

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-721494-p0001-8



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-721494-p0002-3


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-721494-p0003-9

Eb. 469
3

Ci 4183
R

Script. Rom. in octavo. N. 105.

II 2. b. 20
3.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-721494-p0004-5

Geschenk
Amt für Volksbildung
Halberstadt
Bestandskommission

P. VIRGILIVS MARO

VARIETATE LECTIONIS ET PERPETVA ADNOTATIONE ILLVSTRATVS A CHR. GOTTL. HEYNE

EDITIO TERTIA
NOVIS CVRIS EMENDATA ET AVCTA



VOLVMEN TERTIVM
AENEIDIS LIBRI V—VIII

LIPSIAE
SVMTIBVS CASPARI FRITSCH

Universitäts- und Landesbibliothek Halle (Saale)

L 57,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-721494-p0008-7



Vinaque fundebat pateris animamque vocabat. *Aen. V, 98.*

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER QVINTVS

ARGVMENTVM

Aeneas, relicta Carthagine in Italiam nauigans, vi tempestatis in Siciliam defertur: vbi, ab Aceste benigne exceptus, Manibus Anchisae patris, quem superiori anno eodem die apud Drepanum sepeliuerat, anniuersarium sacrum facit, ludosque apud tumulum eius instituit: suaque victoribus praemia decernit 1 — 103. *Nauali certamine vincit Cloanthus* — 285. *Euryalus Nisi dolo cursu superat* — 362. *Entellus senex Dare-*

tem inuenilitер ſe iactantem ceſtu vincit — 484. *Sagittandi peritia ſuperat Eurytion: prima tamen praemia, aetatis dignitatisque habita ratione, Aceſtae decernuntur, cuius ſagitta in aerem emiſſa ſubito exarſerat* — 544. *Aſcanius in honorem Anchiſae aui, cum primae nobilitatis pueris, equeſtres ludos pugnaeque ſimulacrum exhibet* — 603. *Interea Troianae mulieres hortatu Iridis, longaeque nauigationis taedio, ignem in claſſem coniiciunt, quatuorque naues comburunt: ceterae ſubita a Ioue immiſſa pluuia incendio ſunt ereptae* — 699. *Nocte ſequenti Anchiſes, Aeneae filio in ſomnis apparens, Iouis verbis admonet, vt, Nautae conſilium ſequutus, mulieres imbellesque ſenes in Sicilia relinquat; ipſe cum iuuentutis robore integraeque aetatis flore in Italiam nauiget; Sibyllaeque inprimis antrum adeat: illius enim ductu in campos Elyſios eſſe venturum, vbi et poſteritatis ſuae ſeriem omniumque inſtantium bellorum diſcat euentum* — 740. *Monitis itaque paternis morem gerens Aeneas, oppidum in Sicilia condit nomine Aceſtam: eo et matrum et ſenum bello inutilem coloniam transſcribit: ipſe cum exercitus robore Italiam petit* — 778. *Interim Neptunus, Veneris precibus exoratus, nauiganti Aeneae mare tutum praeſtat* — 834. *Palinurus, in tanta ſecuritate ſomno ſuccumbens, vna cum gubernaculo in mare excutitur: eiusque vicem ſuplet Aeneas.*

Pro episodio habendam eſſe maiorem libri partem, negari nequit, nec tamen ab argumento epico illud ſeiunctum et, quae a multis frequentata eſt reprehenſio, alienum habendum. Primo libro iter ex Sicilia in Italiam faciebat Aeneas; reiectus a curſu ſuo in Africam nunc eandem nauigationem repetit, et iamiam ad Italiae littora appulſurum eum eſſe ſperabas. Ecce tibi noua rei mora iniicitur! iterum ventis contrariis a curſu depulſus in Siciliam defertur. Multa omnino in Sicilia erant Troianorum et Aeneae veſtigia, vt in Excurſu monitum.

Classis a Troianis mulieribus incensa, fabula erat vulgari narratione trita. Non igitur otiose desidere in Sicilia poterat Aeneas, nec incensa classis memorari nisi probabili aliqua de ratione. Itaque poeta praeclare eo rem adducit, vt Aeneas patri inferias faciat, ludos funebres instituat, classe incensa partem comitum deponat in insula, et vrbe noua condita cum reliquis discedat. Agnosce poetae siue ingenium siue iudicium et in hoc: Dum ludorum festiuitas viros detinet, nauium incendendarum tempus ac facultas, quae alias vix occurrere poterat, feminis, quae solae relictae sunt, data est. Aeneam autem cum pietate tam insignem esse velit poeta, quid magis consentaneum, quam vt is patris Manibus sacras caerimonias persoluat? In ludorum descriptione, quod rerum genus omnino multum ornatus admittit, facile est ad intelligendum, maiorem veteribus, quibus poeta suum epos pangebat, suauitatem, quam nunc nobis inde prouenire potest, fuisse obiectam. Inprimis vero ludus Troiae Romanos lectores delectare debuit. Alia huius descriptionis suauitas, quae tamen etiam nobis parata et cognitu facilis est, ex Homerica imitatione proficiscitur, qui Iliad. ψ Patrocli funus et ludos simili copia descripsit. Tantum autem abest, vt Romanis, quibus, non nobis, scribebat poeta, aut infringere delectationem, aut carminis dignitatem eleuare videretur talis imitatio, vt potius, ingenio ac sensu illorum temporum et hominum, id quod totus Virgilius et Horatius docent, nihil magnificentius ac splendidius fuerit visum in poeta, quam si Graecorum poetarum loca et inuenta commode et ingeniose in sua carmina transferret.

Sed vt delectationi in hoc libro per certaminum descriptionem tantopere studeret, poetam mouere etiam potuit argumenti sterilitas, in ea tamen narrationis parte, qua ad exitum festinabat illa, hoc est, ad Italiam procedebat Troianorum classis. Iudicium poetae in hoc quoque agnouit Segraisius, quod grauissimis affectibus, quibus libro quarto legentis animus aguabatur, nunc succedit

hilarior rerum facies, ludorum feſtiuitas, certaminum euentus ac praemiorum varietas.

Vt autem in ludorum omnino cogitationem incideret poetae ingenium, facere forte potuit Erycis, herois indigetis, recordatio, qui in iis locis, ad quae Troiani appulerant, clarum pugilatu nomen habebat. Catroeus quidem valde acutus ſibi videbatur in hoc, quod primus vidiſſet, ad ludos in Caeſaris honorem ab Auguſto habitos Virgilium reſpexiſſe. Verum et idem illud commentum iam a veteribus commentatoribus fuit allatum, et ſeu affirmandi ſeu negandi cauſſas idoneas habet nullas. Enimuero ab Homero inde nullus facile fuit poeta, qui non argumentum hoc ad iſtorum hominum, Graecorum inprimis, animos ac ſenſus iucundiſſimum, attingeret. In Graecis quidem poetis deperditis plura huiusmodi certamina, ludis praecipue funebribus, fuiſſe tractata, vel ex Hygino diſcas, f. CCLXXIII. Inprimis ludi funebres in Achillis honorem a Thetide inſtituti nobile fuerunt argumentum, v. Odyſſ. ω, 85 ſqq., quod repetitum videas a Quinto Cal. IV, 110 ſqq., ſaepe idem memoratum in Tragicis. Argonautarum certamina v. in Orphicis 575 ſq. Hinc, Graecorum poetarum exemplo, Romani quoque hunc certaminum locum paſſim carminibus ſuis intexuerunt, Virgilii maxime iudicio; inprimis Silius XVI, 249 ſqq. et Statius Theb. lib. VI, quos cum Virgilio Homeroque comparaſſe non poenitebit, ſimul vt intelligas, tum, quam parum in poeta ars ſine ingenio valeat, tum, quam iniqua eius ſors ſit, qui, cum aliis aetate anterioribus ſuccedat, in anguſtum imitationis orbem ſemel ſe immiſerit. In ſumma rerum copia pauper et ieiunus eſt Statius. Spiritum poeticum atterit in exilibus ornamentis; quae, etſi et ipſa voluptatem afferunt, tamen carminis ſumma parum delectat.



——— *Serpens*
Liberitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo, et depasta altaria liquit. Aen. V, 91.

Interea medium Aeneas iam classe tenebat
Certus iter, fluctusque atros aquilone secabat,
Moenia respiciens, quae iam infelicis Elissae
Conlucent flammis. Quae tantum adcenderit ignem,

1 *Aeneas medium* vett. ap. Pier. et Doruill. 2 *Laetus iter* alter Voss. Burmannum mireris ferre nolle, *tenebat iter*, et iungere: *Certus iter*. Ad *certus* eliciendum est *itineris*. 3 *iam felicis* aliquot Pier., male. 4 *accenderat* Leid. *incenderit* alius Leid.

1—4. *Interea*. v. sup. IV, 584 sqq. Seruius: *circa primum ortum lucis nauigavit — ergo tota die, dum se Dido interimit, dum fletur, paullulum profectus est, leniter spirantibus ventis:* et flammas rogi circa vesperam vidit, *quo tempore et per naturam ignem videre potuit, et per pristinum morem, quo per diem cadauera non incendebantur.* Noctis fere tempus datum rogo igni consumendo, et altero mane lecta ossa. Sic in Patrocli funere Iliad. ψ, 226. Stat. Theb.

Cauſſa latet: duri magno ſed amore dolores
Polluto, notumque, furens quid femina poſſit,
Triſte per augurium Teucrorum pectora ducunt.
Vt pelagus tenuere rates, nec iam amplius vlla

5 *diri* Montalb. *ſub amore* Wall. et Zulich. deleta priore ſcriptura: imperite. *doloris* Medic. 6 *poſſet* Moret. ſec. et Goth. tert. 8 — 11 ſup. III, 192 — 195 iam lecti verſus. *iam* deeſt Moret.

VI, 236 et al. *medium* (v. ſup. III, 664) *iter* (vt curſum, fugam), vulgarius eſſet, *mare altum*. At *certus*: recte Seru. itineris ſui certus, perſiſtens in conſilio proficiſcendi in Italiam. *aquilone* ſimpl. pro vento. conf. ſup. IV, 562 et 310. Nam auſtro tum vti debuit.

5 — 7. *ſed duri dolores magno amore polluto*, quod cogitant, quo erumpere poſſit vel ſoleat dolor animi intolerabilis magno amore laeſo, *notumque*, et, quod non ignorant, *furens quid femina poſſit*, haec *ducunt* Teucros, *Teucrorum pectora, per augurium triſte*, h. e. facile adducunt eos ad augurandum ac ſuſpicandum, id quod erat, mali quid eueniſſe. *magno amore polluto*: expoſui cum Seruio laeſo ſc. ab Aenea, violata fide. Vix tamen, inquis, eo modo *pollui amor* dicitur; potius Dido *polluere* debuit *amorem*, quatenus eo adducta erat, vt mortem ſibi inferret. Nam *polluere* locum habet in caede, ſanguine, piaculo. Recte quidem: ſed minus hoc accommodatum h. l. adiunctis: quid *duri dolores magno amore polluto* efficere poſſint. Ergo ſic dicendum: amor violata fide ab altero amante *pollui* proprie dicitur ex adulterio, concubitu vetito: v. c. Horat. IV, 5, 21; vt etiam fides *corrumpitur*. Poeta idem nunc dixit pro fide amoris laeſa omnino et violata ab Aenea. Ita *iura, foedera*, pollui dicuntur quae violantur; quia eadem ſacra ac ſancta, caſta, ſunt. v. 7 *per* vt VI, 743 *per amplum Mittimur Elyſium*.

8 — 11. Iidem verſus ſup. III, 192 — 195, vbi vide. cf. Odyſſ. μ, 403. ξ, 303 ſq. *ſupra caput*, deſuper, *xx*-

Occurrit tellus; maria vndique, et vndique coelum:
Olli caeruleus ſupra caput adſtitit imber,
Noctem hiememque ferens; et inhorruit vnda tenebris.
Ipſe gubernator puppi Palinurus ab alta:
Heu! quianam tanti cinxerunt aethera nimbi?
Quidue, pater Neptune, paras? Sic deinde locutus
Conligere arma iubet, validisque incumbere remis;
Obliquatque ſinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime Aenea, non, ſi mihi Iuppiter auctor
Spondeat, hoc ſperem Italiam contingere coelo.
Mutati transuerſa fremunt, et veſpere ab atro

9 *Apparet* vn. Guelpherb. in Exc. Cort. Lectio *maria v. et v. coelum* eſt ex Pier. et Heinſ. libris potioribus ab Heinſio repoſita. Vulgaris lectio erat: *coelum v. et v. Pontus*, traducta forte ex lib. III, 193, vnde et Quinctil. XII prooem. petiiſſe videtur. *et* abeſt a Zulich. 10 *Illi* multi. *exſtitit* Ven. et Montalb. 11 *horruit* Mentel. pr. 13 *Heu quo nam* aliquot Pier. *Heu quidnam* quidam ex iis alius, et tres ap. Burm. Iou. Pontanus malebat *quinam;* nec male. Sic Erf. Sed *quianam* codicum et Grammaticorum auctoritate firmat Pierius. Antiquum vocabulum ſectatus eſt poeta, cf. Cerda. *aequora nimbi* alter Hamburg. 16 *ſinum* Longob. 18 *coniungere* Franc. *hoc poſſim I. c. vento* Parrhaſ. Dorvill., interpolate. 19 *ab alto* Medic. a m. ſec. Colot. alter Voſſ. et Rottend, ſec. Sed vulgatum ornantius.

ταχρῆϑεν vel ὑψόϑεν, vt ap. Arat. Phaen. 422. 423.

15. 16. *arma* h. l. vela contrahere iubet. Sic ὅπλα de vno ὅπλων hoc genere apud Homer. v. Cerda. *Obliquat ſinus* velorum *in ventum*, noſtrorum nautarum *Laviren*, vento aduerſo non totis velis accepto, ſed tantum ex obliquo, ne ille magna vi irruens nauem nimium de curſu deflectat. Mox 17 *auctor* etiam h. l. ornatus cauſſa adiectum; quatenus aliquid ſpondet ac promittit.

19—25. Aduerſum igitur

Conſurgunt venti, atque in nubem cogitur aer.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus. Superat quoniam Fortuna, ſequamur,
Quoque vocat, vertamus iter. Nec litora longe
Fida reor fraterna Erycis, portusque Sicanos:
Si modo rite memor ſeruata remetior aſtra.
Tum pius Aeneas: Equidem ſic poſcere ventos
Iamdudum, et fruſtra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis. An ſit mihi gratior vlla,

20 *aether* Sprot., ſed v. Burm. 21 *obnixi* plerique Pier. et Doruill. *neque t.* aliquot Pier. 22 *quo iam* pr. Rottend. *quoniam ſuperat* Ven. 23 *Quaque* Parrhaſ. *Quoue* Goth. tert. *vacat* Medic. *vertamur* Parrhaſ. *vertemus* Goth. alter. *Non l.* Ven. 24 *fraterni* coni. Heinſ.; duo ſcilicet epitheta offendebant. 26 *cum p.* pr. Moret. *te poſcere* Wall., vôce e ſequ. verſu praerepta. 27 *te cerno* duo Burmann. *credo* pr. Moret. 28 *tibi* Bigot. *carior* alter Hamb.

nauigationi in Italiam ventum ab occidente habebant; transuerſim ille ſpirans curſum retardabat. Ita malim accipere, quam ad aquilonem nunc ventum ab occaſu acceſſiſſe putare; nec v. 16 *Obliquat ſinus*, eo ducere poteſt, cum ventum a laeua ſpirantem deſignet. *tendere tantum*, quantum aduerſa tempeſtas valet. *Seru.* 24. ad Drepanum v. ſup. III, 707 ſqq. I, 550. 195. *Fida* propter Aceſtam, cf. Excurſ. I ad h. lib. *litora fraterna Erycis*, qui Erycem condidit; erat is filius Veneris et Butae. cf. Apollon. IV, 914 ſqq. et Excurſ. II ad h. lib. *portusque Sicanos*, proprie. Nam Sicani ab Iberia profecti, cum, relictis ſedibus in Italia ad Tiberim, Siciliam tenuiſſent, reliquis Siciliae partibus depulſi occidentale tamen littus tenuere. cf. Thucyd. VI, 2; atque inter Sicanos hos Troiani conſediſſe memorantur. *remetior* animo *aſtra ſeruata* ante tempeſtatem, adeoque cum aſtris ipſum curſum ac nauigationem factam.

28. *Flecte viam*, vt ſup. *iter*, h. e. curſum, nauem,

Quoue magis feſſas optem demittere nauis,
Quam quae Dardanium tellus mihi ſeruat Aceſten,
Et patris Anchiſae gremio conplectitur oſſa?
Haec vbi dicta, petunt portus, et vela ſecundi
Intendunt Zephyri; fertur cita gurgite claſſis;
Et tandem laeti notae aduertuntur arenae.
At procul excelſo miratus vertice montis
Aduentum ſociasque rates, occurrit Aceſtes,
Horridus, in iaculis et pelle Libyſtidis vrſae:

29 *Quoue* Heinſ. cum potioribus etiam Pier. it. Goth. Vulgo *Quoque*. *Quaue* Oudart. *optem feſſas* Leid. vn. *demittere* Burm. ex ſeptem libris recepit, ſuffragante ratione grammatica. Mare enim *altum* proprie dicitur et *deſcenditur, decurritur*, in littus. Vulgo *dimittere*, quod eſſet a ſe ablegare et alio mittere. 30 *Aceſtem* vulgo et *Acheſtem*. 32 *vt vela* malebat Heinſ. 35 *Et procul* aliquot Pier. et *ex celſo* diſtinctis inter ſe dictionibus, *e celſo* Wall. quod mauult Bentlei. ad Lucan. III, 88. Ed. Londin. *miratur* Zulich. Franc. Goth. pr. 37 *in maculis* Hamb. pr., et ſic doctus Britannus coniecerat: laudato quoque Statio II Theb. 128. 129 *tigris horruit in maculas*. Sed hoc diuerſum; horreſcit ipſa tigris pelle maculoſa. Scilicet iungi ſolet *Horridus in iaculis:* quod an recte fiat, dubito adhuc. Quotquot enim exempla allata vidi, alio modo accipi poſſunt, de quo v. Notam. Itaque interpunxi poſt *Horridus*. Poteſt quidem pro altera interpretatione, vt ſit *Horridus in iaculis*, laudari locus e noſtro expreſſus Valerii Fl. I, 486 *agnoſcit*

velis mutatis. Male turbat Serv. et al.

31. Verſus ad Lucretianam formam lib. IV, 738. *Quorum morte obita tellus complectitur oſſa* et I, 136. *Morte obita quorum tellus amplectitur oſſa*. Mox *ſecundi Zephyri*, curſu iam verſus ortum ſolſtitialem inflexo.

35—41. Aceſtes Troianus, vrbis Segeſtae conditor, qui cum Troianis inter Sicanos conſederat. Ferebatur ille Crimiſi fluuii filius e Troiana muliere. cf. Excurſ. I ad h. lib. *montis*, Erycem de-

Troia Crimiſo conceptum flumine mater
Quem genuit. Veterum non inmemor ille parentum

Acaſtum Horrentem iaculis et parmae luce coruſcum; vbi nec minus *in iaculis* fuiſſe ſcriptum ſuſpicatus iam eſt Heinſius; vel ſic tamen non iungam cum viro doctiſſimo *Horrentem in iaculis*, ſed *Horrentem, in iaculis.* Quoties enim Valerius hoc loquendi genus frequentat, abſolute poſitum video. De reliquis v. Not. *et iaculis* alter Hamb. *Libyſtidis* defenſum vide a Pierio contra eos, qui *Libyſſidis* malebant: *Libyſticis* et *Libyſtinis* vitia librariorum. Eſt Λίβυς. Λιβυστίς. 38 *Criniſo* vbique edebatur; nec aliter codd., etiam Medic. In paucis *Criniſſo*, et *Crinoſſo*. De diuerſitate ſcripturae paſſim viri docti ad Stephan. Byzant. Diodor. et al. v. Cluuer. Sicil. ant., inprimis Heinſ. ad Claudian. II R. P. 57, qui ob codicum conſenſum *Criniſo* defendebat; add. Oberlin. ad Vibium Seq. p. 93. Si Seruio ad I, 550 fides habenda, *Criniſo* Virgilius ſcribere maluit. Verum nomen eſt Κρίμισος vel Κρίμισσος. Hoc repoſui aſſentiente Brunckio: in nominum graecorum ſcriptura audiendi ſunt Graeci. *Troica* Doruill. 39 *gemuit* Goth. pr.

ſignare videtur. *in iaculis*, modus loquendi antiquior, nec tamen infrequens, et a viris doctis paſſim declaratus, etiam apud Graecos ἐν ὅπλοις ὄντες pro ἔνοπλοι, ὁπλῖται. nunc paullo durius, reſpectu tamen inprimis ad alterum habito, *in iaculis et vrſae exuuiis*, ἐν ἀκοντίοις καὶ ἐν ἄρκτε δέρμασι ὤν, *inſtructus iaculis et pelle.* Seruius laudat Ennium: *leuesque ſequuntur in haſtis*, h. e. haſtati. Nec vero iungenda: *horridus in iaculis.* Species viri eadem, quae Camillae, infr. XI, 577. 578. *pelle Libyſtidis*, Libycae, *vrſae*; atqui Plinius lib. VIII ſub f. vrſos in Africa eſſe negat. Sed inſedere multas terras ferae, quae poſtea in iis locis defecere; et Herodoti aliorumque auctoritate Cerda euincit, ſaltem creditum hoc a veteribus fuiſſe, vrſos in Libya gigni. Nec vltra laborandum eſt poetae. cf. ſup. ad I, 184 de ceruis. Ita non haerendum v. c. ſi in Hymno Homerico in Ven. 159 vrſi cum leonibus in Troia memorantur; et fuere ſane in vicina Phrygia leones, Cybelae quoque conſecrati. Habitum autem venatorium h. l. deſcriptum puta. cf. inf. 300. 301.

39. *Veterum parentum,*

Gratatur reduces, et gaza laetus agreſti
Excipit, ac feſſos opibus ſolatur amicis.
Poſtera quum primo ſtellas Oriente fugarat
Clara dies; ſocios in coetum litore ab omni
Aduocat Aeneas, tumulique ex aggere fatur:
Dardanidae magni, genus alto a ſanguine diuom,
Annuus exactis completur menſibus orbis,
Ex quo reliquias diuinique oſſa parentis

verum non ed. Nic. Heinſ., operarum vitio. 40 *Gratatus* Goth. ſec. 41 *et f.* aliquot Pier. *feſſos — amicos* it. Parrhaſ. aliquot ap. eund. et tres Burm., ſed *opibus amicis* haud dubie elegantius, inprimis in carmine, h. e. gratis et optatis, vt iam Pierius praetulit. 44 *Auocat* Ven., ſed v. Burm. *cumulique* Menag. *ab aggere* Witt. 45 *a* deeſt multis Burm. *ab ſ.* duo Heinſ. *ex ſ.* duo alii. *a ſ. ductum* Wall. pro var. lect. *a ſ. Teucri* aliquot ap. Pier. Sed vulgatum generoſius.

quandoquidem a Troianis originem ducebat. vid. Excurſ. I. *gaza agreſti*, epica cum grauitate h. e. penu ruſticano, explicatur per *opes*; ornant *laetus* et *feſſos*.

44. *tumuli ex aggere* (ornate, pro ex tumulo), ſocios alloquitur; more militari, vt toties apud Liu. et Tac. de ſuggeſtu et aggere in caſtris allocutio facta legitur.

45 ſq. Etſi et inferiae hae et ludi funebres plane ad Homeri inprimis, tum et aliorum veterum poetarum, exemplum a Virgilio inſtituuntur, tamen eius ingenium in eo agnoſcas moneo, quod iis rebus ad pietatem maxime Aeneae ſui declarandam vſus eſt.

45. *alto a ſanguine divum*, propter Dardanum Iovis f. v. III, 167. Solet autem eius, qui gentis auctor ac regni vel vrbis conditor fuit, nobilitas toti genti aç populo tribui. Sic Romani, *Martis genus*, *Romulidae* etc. Hoc Burmannus vniçe tenere debebat.

Condidimus terra, maestasque sacrauimus aras.
Iamque dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum (sic di voluistis), habebo.
Hunc ego, Gaetulis agerem si Syrtibus exsul,
Argolicoue mari deprensus, et vrbe Mycenae;

48 *terrae* tres Burmann. cum Goth. pr. Sane *condi terra* et *terrae* dici solet, vt Burm. ad Lucan. I, 607 et alii alibi docuerunt; hoc tamen exquisitius esse videtur. 49 *nisi f.* multi Pier. Heins. 51 *Nunc ego* refellitur a Burmann. *agerer* Hugen. Distinctionem post *Hunc ego* sustulit Burm., vt adeo sit: *Hunc ego agerem, si exsul agerem.* Dubito, an sic poeta senserit: qui forte per ἀνταπόδοτον loqui maluit: *Hunc ego, si* — et nunc structura mutata: *annua — exsequerer.* 52 *Argolicoque* Franc. *depressus* Leid. vn. et Goth. sec., ex more. cf. IV Georg. 421. *Mycenae* Medic. Gud. cum aliis praestantioribus ap. Pier. et Heins. item Seruius, vt *vrbem Pataui* sup. I, 247. Alii, sed recentiori notae, teste Heins., *Mycene.* Romanus et a pr. m. alii *Mycenis*, quod placebat Pierio, sed est vulgare. Tandem aliquot Pier. et Heins. cum Parrhas. et Ven. Goth. sec. *Mycena*, quod Heinsio probabatur, tamquam numerosius et ad poetae morem Graeca latina terminatione efferendi propius. Sic inf. 718 *vrbem Acestam.* Ouwens Noct. Hag. p. 368 hunc locum laudat tamquam retundentem impe-

48. *aras:* funus a sacrificio funebri designat, quod ad rogum et cinerem vrna condendum, Manibus fiebat. cf. v. 86. Mox *ni fallor* male ad anni confusionem, quae erat apud maiores, refert Seruius. Heroicis temporibus non nisi ad solis siderumque conuersiones, quales cuiusque oculis occurrebant, computabantur anni et dies. Atqui in his non semper summa subtilitas, nisi ex arte, est. Caeterum vv. 49 seqq. ornatissimi sunt et pathos habent.

51—54. *Gaetulae Syrtes* paullo latius dictae, ex more poetarum. Nam Gaetuli versus occidentem Africae et in meridiem habitarunt. *deprehensus*, sollenne de procella. vid. Georg. IV, 421. nunc tamen simpliciter de eo, cui importuna res alieno tempore superuenit; pro vulgari: si versarer in naviga-

Annua vota tamen ſollemnisque ordine pompas
Exſequerer, ſtrueremque ſuis altaria donis.
Nunc vltro ad cineres ipſius et oſſa parentis,
Haud equidem ſine mente, reor, ſine numine diuom,
Adſumus, et portus delati intramus amicos.
Ergo agite, et laetum cuncti celebremus honorem;
Poſcamus ventos; atque haec me ſacra quot annis

tus eorum, qui vbique *ve* pro *que* inferant; nam eſſe Argolicoue mari — *et* vrbe. Recte: modo ne contendas *que* eſſe pro diiunctiua particula. Sed pro tribus poeta duo membra ponere putandus: Syrtes Argolicumue mare, et cum altero hoc *coniungit* vrbem Mycenae. 53 *que* abeſt a binis Burm. *que ex ordine* Ven. 54 *ſtrueremue* edd. ap. Burmann. 57 *dilati* Sprot. *aenos* Goth. tert. a m. pr. 58 *et cuncti laetum* vulgg. codd. et edd. praeter Pier. et Heinſ. *laetum cunctis* coni. Heinſ., ſed v. Not. Non iucundum ſed gratum ſacrum ſignificare vult. 59 *Poſcamus veniam* emend. Waddel., ſed v. Burmann., qui male refellit, quod alter bene excogitatum male interpretatus

tione aut in ſolo hoſtili. *pompas*, inferias et parentalia ab apparatu ſacrificii ſollenni deſignat. 54. exquiſite *altaria ſtruimus*, exſtruimus, *donis*. Vulgo *dona* h. e. ſacrae res, quae offeruntur, *exſtruuntur in ara*. *ſuis*, h. e. debitis. cf. Ecl. III, 62.

55 ſq. Quanto magis nunc, cum etc. *ſine mente*, *ſine numine diuom* ſine conſilio ac voluntate deorum. 58. *honorem*, easdem inferias in honorem Anchiſae faciendas, *laetum*, alacriter, lubenti ac parato animo celebrandas. Factis inferiis deos *poſcamus ventos* ſecundos; *atque*, vbi in terram monſtratam peruenerimus, quotannis ipſi has inferias inſtauremus; hoc minus vulgariter extulit: *vrbe poſita velit ille* (Anchiſes) *me ferre ſibi* (adeoque lubens ac propitius accipiat) *haec ſacra quotannis templis dicatis*. Verba, *Poſcamus ventos*, v. 59 ſic ſatis commode expoſuiſſe vide-

Vrbe velit posita templis sibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Troia generatus Acestes
Dat numero capita in nauis: adhibete Penatis,
Et patrios epulis, et quos colit hospes Acestes.
Praeterea, si nona diem mortalibus almum

erat. Nam, quod per aliquot dies a nauigatione feriari volebat Aeneas, hoc non intempestiuas facit preces pro ventis secundis. Verum est aliud, quod illam emendationem commendat: v. Not. premit contra hoc, quod ingratum hiatum infert versui. *haec mea s.* aliquot Pier. et Heins. et sic Lactant. I, Instit. div. 15. perperam. Neminem coniicere video: *vtque h.* 60 *velint* edd. aliquot. *velim* ap. Nonium. Sed *velit* sc. pater, constanter codd. et Lactant. 62 *Adhibere* sec. Moret. 63 *Et pateras epulis* Parrhas. *colet* sec. Rottend. 64 *almam* Parrhas.

mur; Habent tamen *venti* aliquid a loco alienum; nam Anchisae fiunt inferiae, non sacra diis secundae nauigationi expetendae. Nec succedit res satis, si *poscere ventos* intelligas de repetenda nauigatione, vt, quemadmodum *venti vocantur* velis, sic et *poscantur*, velis expansis. vt III, 253 *ventisque vocatis Ibitis Italiam;* ne tamen tentem verba, reuocat me, quod infra v. 639. 640 *aras Neptuno* factas memorari video; nam sic vota quoque Neptuno facta esse debent.

61. βοῶν τ' Ἰφθίμα κάρηνα Iliad. ψ, 260, binos boues in naues singulas. cf. I, 194.

62. 63. Ad *lectisternium* Anchisae factum post Turnebum referunt intpp., perperam, arbitror. *Ferales epulas* celebrandas indicit, quod religionis genus erat, vti alias post rem sacram, ita nunc *inferiis peractis;* cf. inf. 102. 103; in iis libatio fit Diis Penatibus et Troianorum et Siculorum, communi epularum more. Horat. IV, 5, 31 *Hinc ad vina redit laetus, et alteris* Te *mensis* adhibet *deum.*

64. *si* pro cum, vt et alibi. vid. Horat. I Ep. 7, 10 et quos laudat Burm. h. l. *nona*, ex more. Notum *novendiale sacrum*, nono a sepultura die. Aduocare so-

Aurora extulerit, radiisque retexerit orbem,
Prima citae Teucris ponam certamina classis;
Quique pedum cursu valet, et qui viribus audax
Aut iaculo incedit melior leuibusque sagittis,
Seu crudo fidit pugnam conmittere cestu:
Cuncti adsint, meritaeque exspectent praemia palmae.
Ore fauete omnes, et tempora cingite ramis.
Sic fatus, velat materna tempora myrto.

66 *Prima ecce T.* Goth. sec. *P. c. classis p. c. Teucris* Goth. tert. cum Schol. Statii VI Theb. 296. 68 *excedit* Wall. *incendit* Gud. *intendit* Doruill. a m. sec. notanda, inquit Burmann., lectio. An forte dictum pro *Contendit iaculo? leuibusque* recte restituit Heins. e codd.; nam est vnum idemque certamen. Vulgo *ve.* 69 *Seu pugnam crudo fidit* in nonnullis Pier. 70 *adsunt* et *exspectant* alter Hamb. Alterum hoc et in aliis. *meritique* Gud. a m. pr. *multaeque* Bigot. 71 *tempora cingite* tacitus recepisse videtur Burm., quod Pier. e Romano et aliis notauerat; modis suauioribus. Vulgo *cingite tempora. c. t. mirto* Goth. tert. 72 *cingit* sec. Moret. *materno* Parrhas. Totus versus aberat a Goth. tert.

lent Iliad. ω, 784. Alias ipsae caerimoniae sunt nouendiales. v. inf. 762.

66 sqq. *Prima*, primo loco. *ponam certamina classis. Θήσω ἆθλον, ἀγῶνα*, instituam certamen nauale. II Georg. 530 *pecorisque magistris Velocis iaculi certamina ponit in vlmo.* tum *qui pedum cursu valet* etc. h. e. porro certamina cursus, sagittandi ac cestus. Nam haec infra exhibita videbis. Iam poeticam orationem adverte. *incedit*, pro *est* positum, ne offendat, iungenda teneas *qui viribus audax incedit, aut melior iaculo.* (Itaque interpuncta sustuli). Tum *iaculo* et *sagittis*, h. l. de eadem re, vt infra apparebit. *crudo cestu*, e corio bubulo crudo. v. inf. 404. *palmae*, Seru. virtutis; proximo tamen loco, victoriae. *fauete, εὐφημεῖτε. ramis* ap. poetam pro corollis frondeis.

72. *velat* voc. sacrum de

Hoc Helymus facit, hoc aeui maturus Aceſtes,
Hoc puer Aſcanius; ſequitur quos cetera pubes.
Ille e concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterua.
Hic duo rite mero libans carcheſia Baccho
Fundit humi, duo lacte nouo, duo ſanguine ſacro;
Purpureosque iacit flores, ac talia fatur:
Salue, ſancte parens, iterum; ſaluete recepti

73 *Elimus, Elinus, Elenus, Helimus, Holimus, Helenus* paſſim in ſcriptis. Sed eſt apud Dionyſ. Halic. Ἔλυμος. 75 *conſilio* tres Burm. 76 *ſecum comitante* Witt., male. 77 *meri* alter Hamburg., male. vid. Burm. 78 *fudit* Aruſianus Meſſius, et ſic Moret. pr. 79 *et t.* Witt. 80 *magne p.* Parrhaſ. *ſancte pater* alter Hamb. *ſancta* ed. N. Heinſ., vitioſe; ita tamen quoque duo Gothani. *parens: iterum ſ.* diſtinguunt Zulich. et Leid. vn. *ſeceptae* Leid. alius.

corollis, infulis ac vittis. cf. XI, 101. VII, 154. VIII, 276. 277. *materna myrto* ſup. Ge. I, 28 iam vidimus. *Cytheriaca myrtus* ap. Ouid. IV. Faſt. 15. 73. *Helymum* bene h. l. memorat; nam is cum Aegeſto vel Aceſta Troia capta Siciliam petiiſſe ferebatur. vid. Dionyſ. Halic. I, 47 et 52 et cf. Excurſ. III ad h. v. *aeui maturus* exquiſite pro *maturus aeuo*, vel aeuo et aetate matura. cf. Burm.

77. Inferiarum ritus. conf. Iliad. ψ, 170 ſq. 219 ſq. et ſup. III, 66. 67. *Carcheſia*, vox ob dignitatem epicam dilecta, cum vaſis genus eſſet memorandum: memoratum iam Ge. IV, 380. *mero Baccho*, ex more; in ſacris vino mero aquam miſcere neſas erat. *ſanguine ſacro*, victimarum. *Purpureos flores.* Iterum ſic inf. VI, 885. epitheton ornans adiectum a certo genere florum, puta violarum et aliorum rubentium fuſco colore.

80 ſqq. cf. Iliad. ψ, 179 ſqq. *animaeque vmbraeque paternae*, pro anima et vmbra; ne dubita. ſed an hanc receperat Aeneas? Atqui anima et Manes in inferis, v. inf. 98. 99. Scilicet proprie

Nequidquam cineres, animaeque vmbraeque paternae.
Non licuit finis Italos, fataliaque arua,
Nec tecum Ausonium, quicumque est, quaerere Thybrim.
Dixerat haec: adytis quum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina, traxit, 85

81 *vmbraeque penates* Menag. 83 *est* deest binis Heinsii, qui coni. *quicunque is, q.* 84 *hoc* Witt.

patris cineres receperat; iam idem ille *patrem recepisse* bene dicitur; hoc autem idem poeta per *cineres, animam et vmbram* declarauit. Nec tamen hoc necesse; sed distingue: *saluete recepti N. cineres;* saluete *animaeque v. p.* Hoc voluisse videtur Pompon. Sab. *ac si diceret, saluete o Manes paterni.*

84 sqq. Comparant portentum simile ap. Homer. Iliad. β, 308 sq. dracone in Aulide Graecis obiecto: quod annorum numerum obsidendae Troiae portendebat. Alio modo et praeclare ad h. l. accommodatum est portentum serpentis e tumulo Anchisae inter inferias factas prodeuntis. Genios enim siue locorum siue hominum, tota antiquitas, inprimis Etrusci et Romani, per serpentes exhibuerunt; non vna, puto, de caussa. Plurium enim rerum symbolum ac nota habitus est serpens, v. c. vt τὸ ἐγχώριον, solum patrium, vitam, salutem, incolumitatem, immortalitatem etc. innueret. Perperam Seru. Cerda et alii de serpente h. l. agunt ex iis, quae v. c. apud Ouid. XV Met. 389. 390 leguntur: vbi e medullis cadauerum angues nasci crediti sunt. Itaque et h. l. mox ad Genium seu loci seu Anchisae ostentum refertur v. 95. *adytis;* Splendide ornat patris tumulum, tamquam locum sacrum ac templum, mox etiam (inf. v. 760. 761) fani religione consecratum. *amplexus*, gyris ambiens. *septem gyros*, Seruius: *Aeneae omen sui erroris ostenditur*

Amplexus placide tumulum, lapſusque per aras:
Caeruleae cui terga notae maculoſus et auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille iacit varios aduerſo ſole colores.

88 *Squamea* Sprot. 89 *Mille iacit* Medic. Colot. et alii praeſtantiores, quod diſerte adſtruit Heinſ. auctoritate et ratione. *trahit* Romanus tenuiſſe videtur, vt adeo altera codd. familia ab hoc ducta ſit. Poteſt tamen huc reuocatum videri alterum hoc ex IV, 701 *Mille trahens varios aduerſo ſole colores.* Nouas mutationes in editionem inferre nolim, vbi vtraque lectio bona eſt, nec vllum res fructum habet, niſi quod nouae turbae fiunt; at quod h. l. me mouit, vt *iacit* pro *trahit* reciperem, eſt, quod noſter Virgilii contextus plerumque lectionem Apronianam ex Mediceo redhibet; vt igitur ea ſibi conſtet, deſerenda erat altera codicum ſecta.

ſeptem gyris; nam ſeptimus ei annus eſt finis erroris; et eſt (addit ille; quae tamen praeſtare nolim poetam animo tenuiſſe) *optimum figmentum. Annus enim ſecundum Aegyptios indicabatur ante inuentas litteras picto dracone, caudam ſuam mordente, quae in ſe recurrit.* Sed et ſeptenarius numerus tamquam impar et ſacer poni potuit. 86. *lapſus per aras.* Nihil antea de ara dixerat: ſed eam inferiis faciendis exſtruere ſolenne erat: v. ſup. III, 62 ſq. 87. 88. *cui terga notae caeruleae* (pingebant, adſume ex ſequ. *incendebat*) *et ſquamam incendebat fulgor maculoſus auro*, h. e. maculae aureae fulgentes *(with burniſh'd Neck of verdant Gold*, vt Miltonus lib. IX, 501). Has etiam ſic efferas: *fulgor macularum aurearum* vel *fulgor macularum auri*, et *auro;* et hinc exquiſitius poeta: *maculoſus auro fulgor.* Habuit ante oculos illud: δράκων ἐπὶ νῶτα δαΦοινος l. c. Iliad. β, 308. *incendebat ſquamam* ornate pro, inerat ſquamis. Silius, qui totum locum imitatus eſt, lib. II, 585 *Exeitus ſede, horrendum! prorupit ab ima Caeruleis maculis auro ſqualentibus anguis.* — 89. *iacit colores*, dictum vt, iacere radios, lucem, ἱέναι, βάλλειν, mittere, emittere.

Obſtupuit viſu Aeneas. Ille agmine longo
Tandem inter pateras et leuia pocula ſerpens
Libauitque dapes, rurſusque innoxius imo
Succeſſit tumulo, et depaſta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori inſtaurat honores,
Incertus, Geniumne loci, Famulumne parentis
Eſſe putet; caedit binas de more bidentis,
Totque ſues, totidem nigrantis terga iuuencos.
Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchiſae magni, Manisque Acheronte remiſſos.

91 *lenia* duo Burm. *repens* Parrhaſ. ex gloſſa. 93 *feceſſit* Exc. Burm. *Succedit* et *linquit* alter Hamb. *Succeſſit* et *linquit* Medic. cum quatuor aliis. 95 *Geniumue* et *famulumue* quinque Burm. *famulosne* Oudart. 96 Legebatur *quinas:* cuius moris nec exempla nec rationes ſuppetunt; ſaltem ſeptenae eſſe deberent. *mactat binas* Seru. ad IV Aen. 200. *binas* Medic. et Rom. graues adeo auctoritates! in aliis Pierii *ceditque binas;* vnde intelligi poteſt, quo errore *quinas* illatum ſit. Scilicet, cum metrum aliquis repugnare videret, non ſenſit *que* eſſe extrudendum, ſed repoſuit *quinas. bidentum* alter Goth. 97 *totidemque* duo Burm. 98 — 101 aberant a Doruill.

90 — 93. Serpens deguſtavit τὰς χοάς. *agmine* de ſpiris ac voluminibus longoque eorum tractu. Sup. II, 212, de binis ſerpentibus: *illi agmine certo Laocoonta petunt.* Quae ſi cum h. l. compares, eodem modo poſſis accipere. *laeuia pocula,* λεῖα, adeoque nitentia, puta ex aere eſſe. *altaria,* pro dapibus appoſitis dixit.

94 — 99. inſtaurat h. l. ſimpl. peragit. Notus eſt hic vſus verbi ſacrorum. *famulum parentis,* quod parum expediunt intpp., puto dictum pro Genio Anchiſae: Θεράποντα, eum qui *adeſt homini.* Nam Genii miniſterium praeſtant, quatenus genitos ſuſcipiunt, tuentur, iis adſunt perpetui comites ac cuſtodes. Haec elicias ex iis, quae coaceruata ſunt in Diſſ. Paſſerii de Genio domeſtico T. III Muſei Etruſci. Ab Etruſcis enim inprimis

Nec non et ſocii, quae cuique eſt copia, laeti
Dona ferunt; onerant aras, mactantque iuuencos.
Ordine aena locant alii, fuſique per herbam
Subiiciunt veribus prunas, et viſcera torrent.

Exſpectata dies aderat, nonamque ſerena
Auroram Phaethontis equi iam luce vehebant;
Famaque finitimos et clari nomen Aceſtae
Excierat: laeto conplerant litora coetu
Viſuri Aeneadas; pars et certare parati.

100 *quaecunque eſt* Gud. a m. pr. et Hugen. *eſt* abeſt ab ſec. Rottend. 101 vulgg. *onerantque*. Sed *que* poſt *onerant* a plurimis Pier. (inter quos Romanus eſt) et Heinſ. inque his a Medic. abeſt. *auras* Sprot. *arasque onerant* Wall. 103 *veribus* Heinſ. cum plerisque etiam Pier. Vulgo *verubus*. cf. II Georg. 396. I Aen. 242. 107 *Excierant* Ald., fortaſſe verius. *Exierat* Rom., vt duo Goth. *Lato* ſec. Rottend. a m. pr. *Laetoque implerant l. curſu* Sprot. *complerunt* tres Heinſ. *complebant* Medic. cum duobus aliis.

religionem illam acceperunt Romani. Alio modo in locis a Burmanno ad Valer. Fl. IV, 520 excitatis dicuntur *famuli* ac *famulae deorum* dii ſeu deae minores vel aliae naturae, quarum miniſterio dii vtuntur. *caedit*, cf. Iliad. ψ, 166 ſqq. *fundebat* ibid. v. 220. *vocabat*, ſup. III, 67. *Inferimus — pateras, animamque ſepulcro Condimus et magna ſupremum voce ciemus. Manes*, qui ex locis inferis adeſſe inferiis credebantur.

100 — 103. *quae cuique eſt copia.* Vulgare: pro cuiusque copiis. Seru. *pro ſua quisque facultate. onerant:* Georg. IV, 378. *Pars epulis onerant menſas. iuuencos* ſc. ex v. 61. 62. *Bina boum vobis Aceſtes dat capita in naues. aena* cf. ſup. I, 216. 217; alii parant epulas, quae h. l. feſtae ſunt, nec tamen ex victimis: nam inferias fieri vidimus.

105. *Phaethon* h. l. ipſe ſol, vt ap. Hom. ſaepe Ἠέλιος Φαέθων. 107. pars viſuri Troianos pugnantes, pars parati et ipſi ad certandum.

Munera principio ante oculos circoque locantur
In medio: sacri tripodes, viridesque coronae,
Et palmae, pretium victoribus, armaque, et ostro
Perfusae vestes, argenti aurique talenta;
Et tuba commissos medio canit aggere ludos.
Prima pares ineunt grauibus certamina remis

111. *pretium palmae* Parrhas. 112 *auri argentique* aliquot apud Pier., quem vide. *auroque t.* Rom. *talentum* Medic. Gud. et alii, quod placet Heinsio; non enim plura erant talenta, sed auri vnum, vnum itidem argenti. cf. inf. 248. 113 Nemo legit, quod malis: *Vt tuba — ludos: Prima.* 114 *paris* Gud. a m. pr. *Primaque pars* Montalb.

109 sqq. Ex Il. ψ, 259 sqq., sed ornatiora. *circum* noue dixit pro consessu, corona. Est Graecorum ἀγὼν de loco dictus, et de turba spectantium. Mox *pretium victoribus*, pro vulgari, victorum praemium; τὰ ἆθλα. *sacri tripodes*, quorum vsus fuerat vel futurus erat in sacris. *ostro perfusae vestes*: purpura tinctae: πορφυρόβαφοι. *argenti aurique talenta*, ex eodem loco, sed desinite, v. 269 δύο χρυσοῖο τάλαντα, scilicet et h. l. auri vnum et argenti alterum talentum.

113. *Et tuba:* Serv. *Romano more.* et recte. Nam heroicis temporibus tubam nondum inuentam, nec Homero frequentatam esse, satis constat.

114 sqq. Cum Homerus in certamine curuli describendo et ornando paullo distertus fuisset, Iliad. ψ, 270 sqq., Virgilius nauale certamen bene substituit, vt rem variaret. Quatuor sunt naues. Varietatem et ornatum poeta ab eorum insignibus et a ducibus petiuit. Mnestheus belluam marinam, Pristin, Gyas Chimaeram, Sergestus Centaurum, et Cloanthus Scyllam regit. Sagaciter poeta his ducibus nobilium Troianorum nomina dedit, a quibus Memmia, Sergia et Cluentia gens originem ducere videri volebat; quae fere opinio inter Romanas gentes obtinuit. cf. Serv. h. l. Mireris Gyam praetermissum, a quo iam Cerda vidit Geganios ab aliis deduci. Erat

Quatuor, ex omni delectae classe, carinae. 115
Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin;
Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine MemmI;
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram,

115 *dilectae* Goth. duo, vt al. 116 *Pristim* Nonius et pars codd., recte, inquit Heins., nam Maroni sollennis enuntiatio latina in nominibus Graecis. *Pistrin* et *Pistrim* alii et hic et in seqq. cf. ad III, 427. 117 Expectabam mox, post aduentum in Italiam, nomen Mnesthei aliter fuisse inflexum. Nunc, vt est, accipiendum: Mnestheus, mox Italus futurus, et gentem sui nominis constituturus. *Halos* Goth. sec. *a quo sanguine* Parrhas. *Memmi* doctius pro nominatiuo plurali habetur, pro vulgari Memmiorum, quam vt sit *genus Memmii*, h. e. Mnesthei. *Memmum* Zulich., vnde Heins. faciebat *Memmium*. 118 *Gias* scribunt alii.

ea gens Albana. Dionys. III, 29. *pares*, puta, magnitudine et bonitate. Fluctuant Seru. et Cerda inter plura commenta. *grauibus remis*, fortibus, vt Seru. Omnino, si delectationem quaeris, ad verborum ornatum ac miram varietatem copiamque in his certaminibus animus est intendendus. Nos quidem potiora tantum notabimus. Nominantur autem in seqq. insignia nauium pro nauibus: Sic *Pristis*, *Chimaera*. Sic *tigris* inf. X, 166. *Massicus aerata princeps secat aequora tigri*.

117. Cum grammatica inter ceteras artes serius perfecta fuerit: etymologia inprimis, ad certas rationes haud reuocata, intra lusum fere verborum subsistit. Dicas, quomodo ex *Mnestheus Memmii* nomen confici potuit? Scilicet ex μνῆσις latine versum. Mox *Sergius* ex *Sergesto* non minus dura est etymologia. *Cluentii* ex Cloanthus, Cloanthii. Apud Pompon. Sab. etiam hoc legitur: *Probus vult hunc locum sumtum a primo bello Punico* (Naeuii). Praeiuerat forte in his Varro in libro *de familiis Troianis*. Nomina Gyae et Cloanthi sup. I, 612. vidimus. — Iungend. autem: *Mnestheus, mox Italus* sc. futurus.

118—120. Chimaera, *vrbis opus*. Seruius: *ita magna, vt vrbem putares*. Di-

Vrbis opus, triplici pubes quam Dardana verſu
Inpellunt, terno conſurgunt ordine remi;
Sergeſtusque, domus tenet a quo Sergia nomen,
Centauro inuehitur magna; Scyllaque Cloanthus
Caerulea, genus vnde tibi, Romane Cluenti.

Eſt procul in pelago ſaxum ſpumantia contra
Litora, quod tumidis ſubmerſum tunditur olim
Fluctibus, hiberni condunt vbi ſidera Cori;
Tranquillo ſilet, inmotaque adtollitur vnda
Campus, et apricis ſtatio gratiſſima mergis.

119 *quem* Menag. pr. *quam pubes* Ven. 120 *Impellit* codex apud Pier. et tres apud Burm., quod vulgare eſſet. 122 *vehitur* duo Burm. *magno* eſt apud Nonium, et ſic aliquot ap. Pier., ſed alterum doctius, ad *nauem* reuocatum. 123 *Cloanthi, Chloanthi, Choanti, Cloenti, Cloonti, Cloante* alii aberrant. 124 *Aſt* Wall. *Et* Ven. 125 *tonditur* tres Burm. *conditur* Ven., ſed id verbum ſequitur. 126 *vbi nubila* Bigot. *chori* Gothani aberrant. 128 *ſtatio eſt* Goth. ſec.

verſa igitur ratione dictum ac ſi: *Pyramides regum opus*, h. e. a regibus exſtructum. v. 119 et 120 claſſici ſunt in *triremis* declaranda forma et *triplici ordine remorum remigumque* per gradus in obliquum afferendo. Adde Lucan. III, 534. Silium XIV, 424 ſq. et Phot. Cod. CCXXIV, c. 14. v. *Antichità d' Ercol.* Tom. V. *append. verſus*, vt στίχος, per *ordinem* explicatur. v. Ind. Liuian. Etſi triremes ſerius inuentae, vt ex Thucydide ſatis conſtat, tamen Virgilius in his Homericam ſubtilitatem veritatemque non ſequitur.

124 — 128. Scopulus hiberno tempore (quod exquiſite per coelum nubibus obductum deſignat: *hiberni condunt vbi ſidera cori*) fluctibus ſaeuientibus latet, vndis ſubmerſus; cum mare eſt placidum, tunc ipſe attollitur, vt bene Cerda, et planities ſoli in mari eminet. Simili modo curriculi metam deſcripſerat Homerus Iliad. ψ,

Hic viridem Aeneas frondenti ex ilice metam
Conſtituit ſignum nautis pater: vnde reuerti
Scirent, et longos vbi circumflectere curſus.
Tum loca ſorte legunt, ipſique in puppibus auro
Ductores longe effulgent oſtroque decori;
Cetera populea velatur fronde iuuentus,
Nudatosque humeros oleo perfuſa niteſcit.
Conſidunt tranſtris; intentaque brachia remis;

130 *nautis ſignum patet*, emendat I. Foſter *Eſſay on Accent and Quantity* p. 138 Relinquamus poetae ſuum aurium iudicium. 131 *ibi* Hamb. ſec. *ſic* Goth. pr. 132 *Cum* pr. Moret. 133 *fulgent* Leid. 136. 137 Offendit *intenta brachia remis* et ſtatim *Intenti exſpectant*. (Nec v. 118 *Ingentem ingens* et ſimilia a Burmanno huc vocari debebant.) Vtroque tamen propria eſt vox (*remis intenti* Heinſ. iunxerat; quod tamen ipſi mox displicuit); et agnoſcunt lectionem Seruius ac Priſcianus cum antiquiſſ. codd. Medic. Rom. et fragm. Vatic. Itaque poeta proprietatem orationis quam elegantiam ſeruare maluiſſe videtur. Alias *iniecta*, *immiſſa*, ac ſimile quid dicere potuiſſet. 136 *Conſiſtunt* Hamb. ſec. cf. ſup. III, 289. *nudataque brachia* aliquot Pier., quod parum iuuat. *intextaque* et a m. ſec. *extenta* in Leid. vno erat. Heumannus olim *intentaque b. remis* recidi malebat; ſed hiantes verſus vix occurrunt in media propoſitione.

326 ſqq. add. Apollon. I, 365. *olim*, interdum (vt et alibi occurrit), vel alio tempore, alio vero tempore *Tranquillo ſilet*, h. e. nullo fluctuum alliſu reſonat. Brunck. ad Apollon. l. l. πάλαι expreſſum putabat; eſſet quod *tunditur olim* pro tundebatur dudum. Facta autem navium decurſio putanda in ſinu Longuri ſub Erycem. v. Cluuer. Sicil. p. 246 ſq.

132—138. *ſorte*, etſi in eadem linea. v. Cerda. *populea fronde*. Seruius: „quia ludi funebres ſunt, et haec arbor ab Hercule ab inferis allata eſt, cum canem Cerberum extraheret.“ quae equidem praeſtare nolim. — 135. Vt in certaminibus gymnicis, ita nunc ad magnum corporum niſum vncti ſunt oleo. 136. *intenta brachia* ſunt *remis*, h. e. ipſi inten-

Intenti exſpectant ſignum, exſultantiaque haurit
Corda pauor pulſans, laudumque adrecta cupido.
Inde, vbi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, proſiluere ſuis: ferit aethera clamor
Nauticus; adductis ſpumant freta verſa lacertis.
Inſindunt pariter ſulcos, totumque dehiſcit
Conuolſum remis roſtrisque tridentibus aequor.

137 *Attenti* Exc. Burm. a gloſſatore. *exſpectent* Menag. alter: alterum hemiſtichium occurrit Ge. III, 105. 106. 138 *erecta* Hugen., et multi *arrepta*, ſolita variatione. Admodum probabile fit, verſus 137. 138 *Intenti. Corda.* aut eſſe ab alia manu inſertos, confictos ex vſſ. alibi occurrentibus, aut ab ipſo poeta inter experimenta ingenii appoſita, vt mox reliqua accommodaret. Iac. Bryant. delendum cenſebat verſum 136 *Conſidunt.* 139 *Vnde* pr. Moret. 141 *abductis* tres Burmann. *adiunctis* Oudart. 142 *Infundunt* multi, vitioſe. *ſulcos pariter* pr. Hamb. *dehiſcunt* Ven. 143 *roſtrisque tridentibus* Heinſius recte repoſuit. Laudat ille Rottend. ſec. Adde ipſum Medic. (certe in exemplari Foggin., etſi Pierius Aproniani lectionem dicat eſſe *ſtridentibus*; ſed falſo. Nam et Pompon. Sab. tridentibus, *id eſt, acutis, legit Apronianus, ab Ennio tractum eſt)* cum fragm. Vatic. a pr. m. Etiam ſic mſſ. Palatini apud Gruter. Firmatur Valerii Fl. imitatione lib. I, 688 *volat immiſſis caua pinus habenis Inſinditque ſolum et ſpumas*

dunt, intenta habent, quaſi in ſtatione manentes, vt ſigno dato ſtatim incumbant remis. Ingrata tamen repetitio eiusdem vocis: *intenta. intenti.* Sed cf. V. L. Ennii locum ex Nonio Marcello laudant: *tonſas ante tenenteis Parerent, exſpectarent, portiſculu' ſignum Quom dare coepiſſet.* 137. 138. v. ſup. Georg. III, 105. 106. *Quum ſpes adrectae iuuenum, exſultantiaque haurit Corda pauor pulſans.* Ornatius extulit Homerica: πάτασσε δὲ θυμὸς ἑκάστῳ Νίκης ἱεμένων. Longius petitum eſt ὀρεχθῆν in Apollon. II, 49.

139. *finibus*, quae v. 132 *loca* ſortiti erant. 141. *adductis lacertis*, ſimul cum adductis remis. 143. *tridentibus roſtris*, trifidis. conf. V. L.

Non tam praecipites biiugo certamine campum
Conripuere, ruuntque effusi carcere currus;
Nec sic inmissis aurigae vndantia lora
Concussere iugis, pronique in verba pendent.
Tum plausu fremituque virum studiisque fauentum
Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant
Litora; pulsati colles clamore resultant.

vomit aere tridenti, et *rostro trifido* apud Silium VI, 358; et talia rostra saepe in numis et aliis vett. monumm. occurrunt. Frequentata tamen olim a Grammaticis, nec non a scriptis et editis, lectio erat: *rostrisque stridentibus*, etsi in metrum peccans. Sed in aliis modo *que* omissum, modo *s* in *stridentibus* erasum. Hinc interpolatum, ab aliis apud Pier. *r. sonantibus*, ab aliis, *ruentibus*, in Oblongo *rudentibus*, vt et in Sprot. erat pro var. lect. Ab academia Neapolitana profectam lectionem *tridentibus* Ang. Colotii fide narrat Pierius. 144 *certamine currus*, versu seq. intercepto, Goth. tert. 145 *a carcere* Bigot. 146 *Non sic* edd. vett. et Goth. pr. cum codd. Pier. 147 *iubis* coni. Heins., nec id absonum. sed *iuga* pro equis dixit poeta. v. Burm. *que* abest a Franc. 148 *Cum p.* Moret. pr. *plausus* alter Mentel. *gemituque* Hugen. 149 *inclusa* erasum in Exc. Burm. et in marg. *per ampla* ex Aen. I, 725. Io. Schraderus in schedis tentabat: *inlisa*, *incussa*, *impulsa*, et *aequora*.

144—147. Sumta, vt iam Macrobio V, 11 notatum, comparatio ab Homero Od. *ν*, 81 sqq. Sed cf. Iliad. *ψ*, 362 sqq. et Ge. III, 103 sqq. Omnia hic ornate. *biiugo certamine* pro bigarum. *campum Corripuere*, corripiunt; vt carpere, corripere viam, spatium. *immissis* (in cursum) *iugis*, h. e. equis iugalibus admissis, dum freni laxantur. *vndantia lora*, exquisite pro effusis frenis. *proni in verba pendent*, quod egregiam rei imaginem habet, ipsi Virgilio deberi videtur, etsi res expressa l. c. 362 — 364. Contra de equis praeclare Homerus: Πάντες ἅμ' ὁρμηθέντες, ὑπὸ πληγῇσιν ἰμάσθλης, Ὑψόσ' ἀειρόμενοι, ῥίμφα πρήσσεσκον κέλευθον. Homeri laudibus etiam hic male obtrectant viri docti.

149. 150. *Consonat* exquisitius quam, *resonat*. litto-

Effugit ante alios, primisque elabitur vndis
Turbam inter fremitumque Gyas; quem deinde Cloanthus
Consequitur, melior remis: sed pondere pinus
Tarda tenet. Post hos aequo discrimine Pristis
Centaurusque locum tendunt superare priorem;
Et nunc Pristis habet, nunc victam praeterit ingens
Centaurus; nunc vna ambae iunctisque feruntur
Frontibus, et longa sulcant vada salsa carina.

151. *alias* alter Menag. *primisque* Heins. cum melioribus; adde fragm. Vatic. et codd. Pier. Vulgo *primusque*, quod vulgarius. *illabitur* Wall. *vndas* Gud. a m. pr. 152 *strepitumque* Doruill. *gemitumque* Zulich. 153 *Insequitur* Parrhas. *sub pondere* Schol. Stat. apud Heins. cf. ad v. 5. 154 post *tarda* distinguebat pr. Moret. *tardo discrimine* Menag. pr. 156 *habet* Heins. secundum potiores, et Heins. et Pier., adde fragm. Vatic., supple, *priorem locum*, quod praecesserat. Alii *abit. habet metam, nunc praeterit* Wall., male. 158 *longa carina* Heins. secundum plures et meliores, inter quos et Romanus, fragm. Vatic. cum Medic. Vulgg. *longae carinae*, vel *longe e.* In Ald. pr. erat *longe — carinae*, in altera *longae*, at in tertia Naugerius *longa — carina* intulit. Est tamen *longa carina* prorsus otiosa vox, facitque, vt totum hemistichium abesse malim, tamquam male suppletum; ita vt vulgatam olim lectionem praeferam: *nunc vna ambae iunctisque feruntur Frontibus et longae sulcant vada salsa carinae:* hoc est: nunc carinae longae vna feruntur et sulcant vada. Io. Schrader. coni. in schedis: *iuncta* vel *socia* sulcant *vada salsa carina.*

ra, in planitiem decliuia, *inclusa* collibus his nemorosis. *colles resultant clamore*, doctius, quam, vt vulgo, si clamor resilit a collibus.

151 — 158. *elabitur* egregie pro, praecurrit celeriter, vt Seru. primo ante ceteros loco. 154. *tenet*, moratur cursum, vel Cloanthum; pro tarda *est. aequo discrimine*, pari momento, vt linea eadem incederent: qua discernuntur a ceteris nauibus: vnde *discrimen* dicere po-

Iamque propinquabant scopulo, metamque tenebant:
Cum princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem nauis compellat voce Menoeten:
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige gressum;
Litus ama, et laeuas stringat, sine, palmula cautes;
Altum alii teneant. Dixit. Sed caeca Menoetes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad vndas.
Quo diuersus abis? iterum: pete saxa, Menoete,
Cum clamore Gyas reuocabat; et ecce Cloanthum

159 *propinquabat* Medic. a m. pr. *metasque* sec. Rottend., vt v. 171. 160 *Tum* aliquot Pier. 161 *Menoeten*. Μενοίτης est. 162 *dexter mihi tantus abis* Ven. *gressum* Heins. omnium meliorum auctoritate post Pierium. Vulgo *cursum*, ex interpretatione, forte Aproniano emendante. Nam in Medic. *gressum* in *cursum* est mutatum. *cursu* Ven. 163 *amet* ex *am'et* Longob. *laeua* Medic. Hamb. pr. et Gud. a m. pr. cum Goth. sec. a m. pr. Sed *laeuas cautes* doctius dictum puta; hoc nomine lectionem tuere. 164 *tendant* Doruill. *Menoetis* Medic. *Menoetas* pr. Rottend. a m. pr. In Goth. tert. *Menetes*, modo *Monete*, modo *Menestheus*, modo *Monestem* peccatum. 166 *iterum* sc. *reuocabat*. Distinctio ab aliis varie fit. 167 *renouabat* Montalb. *et* in multis, Romano quoque, abest, et deletum a multis, sed repugnantibus Musonio et Pierio; inter eos, qui eliciant *et*, tamquam ad sulciendum versum insertum, video esse Benedictum in ed. Iunt. 1520; prouocat

tuit. *locum superare priorem*, assequi, tenere, altero superato locum primum sc. inter se, post Gyam et Cloanthum. 159. *metam*, non, vbi finirent cursum, sed circumflecterent: sup. 130. 131.

160 — 171. *princeps Gyas* et *victor*, h. l. qui omnes anteuerterat cursu. *dexter*. Cogita metam fuisse ita circumflectendam, vt eam a sinistra haberent. 163. tene cursum propius ad scopulum (quem *littus* appellat), nec

Reſpicit inſtantem tergo, et propiora tenentem.
Ille inter nauemque Gyae ſcopulosque ſonantis
Radit iter laeuum interior, ſubitoque priorem
Praeterit, et metis tenet aequora tuta relictis.
Tum vero exarſit iuueni dolor oſſibus ingens;
Nec lacrimis caruere genae; ſegnemque Menoeten,
Oblitus decorisque ſui ſociumque ſalutis,

ille ad Martianum Capellam, qui litteram T in fine ad libitum poni ait. Verſus ſane ſimiles, producta in quarta regione vltima ſyllaba, quae breuis erat, occurrunt plures. Sed, quid de iis ſtatuendum ſit, mihi nondum ſatis liquet. 168 *terga* Menag. pr. et Doruill. a m. ſec. cf. Heinſ. ad lib. XII, 748. *a tergo* Gud. a m. pr. 170 *ſubitoque* videtur a Burm. receptum, vt ſane praeſtantiſſimus quisque exhibet Heinſ. et Pier., adde Cort. ad Plin. IV, Ep. 15. Magis tamen poeticum *ſubitusque*. 172 *iuuenis* alter Menag. 173 *Non l.* Hamb. ſec. 174 *Oblitusque ſui decoris* Bigot.

verere, ne remi a ſiniſtra parte eum attingant. *amare*, cupide tenere, amplecti, ſeruare. vt in illo Horatii: *amatque ianua limen. palmula*, ταρσὸς πώπης. pars inferior remi. *pelagi* ſc. dextrorſum in altum euectus adeoque *diuerſus*, in diuerſam partem, cum deberet laeuam verſus ſcopulum tenere. 170 *radit iter* (radit mare remis, vt alibi) *laeuum*, a laeua parte, *interior*, verſus ſcopulum, ita vt Chimaera, qua Gyas inuehitur, eſſet exterior, verſus patentiora loca maris. Petita omnia a circo et curſu circenſi. cf. Cerda et al. *priorem* Gyam, qui modo prior fuerat, et *metis relictis*, meta ſuperata (de h. v. vide Burm. ad lib. VIII, 216), quas circumuectus erat, *tenet aequora*, mare liberum, quo iam curſum a meta verſus littus repetere poſſet. In tota hac increpatione ante oculos Menelai obiurgatio ap. Homer. l. c. Iliad. ψ, 420 ſqq., quem totum locum cum nauali hoc certamine comparent litterarum ſtudioſi.

172 — 182. cf. Iliad. ψ, 385 ſqq. *decoris ſui*. Servius: *inhoneſtum enim eſt*

In mare praecipitem puppi deturbat ab alta;
Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister,
Hortaturque viros, clauumque ad litora torquet.
At grauis, vt fundo vix tandem redditus imo est
Iam senior, madidaque fluens in veste, Menoetes,
Summa petit scopuli, siccaque in rupe resedit.
Illum et labentem Teucri, et risere natantem,
*Et salsos rident reuomentem pectore fluctus.
Hic laeta extremis spes est adcensa duobus,
Sergesto Mnestheique, Gyan superare morantem.

175 *detrudit* duo Burm., ex interpr. *detraxit* aliquot Pier., simili a caussa. 176 *gubernando* alter Hamb. *inde magister* idem a m. sec. 178 *Ast* qu. Moret. *e fondo* Oudart. *infando* alter Hamb. *reddit ab imo* pr. Moret. 180 *scopulis* Rom. *summaque in r.* duo Burm. 181 *et* deest Franc. *risere vomentem* malebat Vossius; quod non intelligo quorsum factum voluerit. *risere* et *rident*, vt toties praeteritum perfectum et praesens tempus iuncta videas: sed ingratum h. l. in eadem voce. Fuit qui coniiceret, *et videre*. Mihi probabile sit versum alterum *Et salsos* non bene relictum fuisse a Tucca. 182 *remouentem* aberratum in multis. 184 *Mnestheique* Heins. reposuerat, cum Pierianis et cum Medic. ac Gud. a m. pr., in quibus quidem erat *Mnesthi*, ex Μνησθεῖ. Ita alibi *Mnesthea* dixit. Tuetur hoc quoque Pompon. Sab. *Sergestium Mnestique* Rom. Sed tacite reuocata erat a Burm. vulgata lectio *Mnestheo*.

irasci, duci praesertim; et *salutis sociorum*, sc. erepto gubernatore nauis. *ad littora*, ad scopulum, qui pro meta erat. 178. *grauis*, gravatus adeoque tardus ad natandum, partim senio, partim aqua, quam vestis imbiberat (*fluens in veste* antique pro fluens veste, et hoc pro, veste fluente aqua, vel aqua fluente e veste), *vix tandem redditus est*, difficulter emergit, *salsos reuomentem fluctus* verbis Homericis Odyss. ε, 322. 323.

183 — 187. *extremis duobus* vid. sup. 154 sqq. Sergestus Centauro, magna navi, Mnestheus veloci Prisi

Sergeſtus capit ante locum, ſcopuloque propinquat:
Nec tota tamen ille prior praeeunte carina;
Parte prior; partim roſtro premit aemula Priſtis.
At media ſocios incedens naue per ipſos
Hortatur Mneſtheus: nunc, nunc inſurgite remis,
Hectorei ſocii, Troiae quos ſorte ſuprema
Delegi comites; nunc illas promite vires,

185 *ſcopulosque p.* Menag. pr. *ſcopulumque* ſec. Moret., quam ſtructuram, vt exquiſitiorem, illuſtrat Heinſius. 186 *Nec tamen ille prior tota pr.* plerique codd. ap. Pier. ex interpolatione, cum in vulgata ſyllabarum ſimilium concurſus offenderet. *Ille prius* Gud. *pereunte* duo Burm. *caterua* Sprot. 187 *partim.* iterum in Burm. edit. disceſſum video ab Heinſio, qui cum maiore codd. parte etiam Pierianorum legebat, *partim*, quae antiquior forma pro, *partem*. 188 *incendens* aliquot Heinſ., vnde ille coni. *intendens*, perperam. 189 *incumbite* Seru. ad VIII, 108, ſed hoc petitum ex lib. X, 294. 190 *Hortor vos ſocii* Ruſinian. de figg. p. 29. *ſorte* Menag. pr. 191 *Dilegi* Hugen. *veſtras* Parrhaſ. *promittite* Doruill. *promite, promittere* Goth. alt. et tert.

inuectus. 187. Sergeſti Centaurum puta propius ad ſcopulum interiore adeoque breviore ſpatio (quod in re circenſi ſiniſtrum erat: vnde h. l. ad nauale certamen traductum. vid. v. 116), ſuccedere, Priſtin Mneſthei exteriore verſus dextram decurrere. Cum tamen Priſtis remigio valeret, Centaurum illa eſt aſſequuta, ita vt anteriore nauis parte Centaurum aequaret, 187. et tantum non aequo cum illo curſu ferretur; inde etiam curſu Centaurum anteuertere Sergeſtes in animum induxit.

188 — 197. Factam orationem pulcherrimam ad Homeri imitationem, vbi Antiloehus equos ſuos increpat, Iliad. ψ, 402 ſqq., omnes obſeruarunt intpp. *inſurgite remis* v. III, 560. Ex eodem profecerat Apollon. II, 588 ſqq. *ſocii* nauales, qui iidem heroicis temporibus remiges ſunt et milites, *Hectorei* ſimpl. Troiani, *ſorte ſuprema Troiae*, excidio; haud dubie. 191. *nunc illas.* ſimi-

Nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus vſi,
Ionioque mari, Maleaeque ſequacibus vndis.
Non iam prima peto Mneſtheus, neque vincere certo;
Quamquam o! ſed ſuperent, quibus hoc, Neptune, dediſti; 195
Extremos pudeat rediiſſe: hoc vincite, ciues,
Et prohibete nefas. Olli certamine ſummo
Procumbunt: vaſtis tremit ictibus aerea puppis,

192 *animas* Zulich. 194 *Non iam* Heinſ., ex ſcriptis. Vulgo *Non tam.* 195 *Quemquam*, ſed interpolate, aliquot Pier., et *Quamquam vtinam* Doruill., et hoc ex interpretatione. *Q. ah* Goth. tert. *ſed vincant* ſec. Moret. *ſi ſuperant* alter Hamb. *quibus haec* Ven. 196 *Extremas* alter Hamb. *ho v.* Leid., vnde Heinſ. malebat *o vincite.* Sed *hoc*, hactenus ſaltem. 197 *cert. primo* Montalb. a m. pr. 198 *gemit* vel *fremit* tentabat Io. Schraderus. *aurea* Medic. a m. pr. *puppes* Romanus: vt olim ſcribi mos erat. cf. Pier. *claſſis* Rigot.

lis adhortatio Patrocli ad Aiaces facta Iliad. π, 556 ſq. *Syrtibus*, v. ſup. I, 111. *Gaetulas Syrtes* iam ſup. V, 51. dixerat. *Ionio in mari*, cum ex Creta ſoluiſſent ſup. III, 192 ſqq. 211 ſq., tum etiam *Maleae* in extrema Laconica promontorium, etſi paullo latiore flexu, circumvecti ſunt. *ſequacibus vndis.* Conuenit fere ῥεῦμα πολύκλυστον. παλιρρόθιον. dum fluctus fluctum vrget, quoniam in hac plaga paullo tumidius mare eſt: Κύματά τε τροφόεντα, πελώρια, ἴσα ὄρεσσιν, vt Odyſſ. γ, 290. Alioqui aliis in locis, etiam iſta bona rei imago, ſi fluctus carina et remis impulſi, ſulco facto, iterum concitate coeunt, et in puppim irruunt. *Quamquam o*, vtinam vincerem! 196 *rediiſſe*, ornate pro eſſe, et *nefas* magna cum vi, pro opprobrio, vt et Seru. notauit.

198 — 200. cf. Iliad. ψ, 417 ſq. *Procumbunt*, quod alias, incumbunt. *ſolum* h. l. mare. *Subtrahitur* ſulco facto: vide v. 142. 143.

Subtrahiturque ſolum; tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit; ſudor fluit vndique riuis.
Adtulit ipſe viris optatum caſus honorem.
Namque, furens animi, dum proram ad ſaxa ſuburguet
Interior, ſpatioque ſubit Sergeſtus iniquo:
Infelix ſaxis in procurrentibus haeſit.
Concuſſae cautes, et acuto in murice remi
Obnixi crepuere, inliſaque prora pependit.
Conſurgunt nautae, et magno clamore morantur;
Ferratasque trudes et acuta cuſpide contos
Expediunt, fractosque legunt in gurgite remos.

200 *oſſa* Leid. vn. *ſudor ruit* duo, ſed vide Burm. *ruit v. membris* Doruill. 201 *optatus* Wall. 202 *furens animis* aliquot Pier. Sic inf. lib. VIII, 228. Sed *animi* codd. agnoſcunt et Aruſian. Meſſ. et ſermonis elegantia. *animo* Gud. a m. pr. *dum prora ad ſ. ſuburguet Interior* legerat Pompon. Sab. h. e. ſubvrguet ſe, ſuburguetur, impellitur. Quod doctius dictum eſt. *perurget* ſec. Rottend. et a pr. m. Erf. 204 *procumbentibus* Leid. et Goth. ſec., vt inf. XI, 624 variatum; nec displicet Burmanno. Mihi tamen paullo coactius et temere a librario erratum eſſe videtur. 205 *in* abeſt a Zulich. Goth. ſec. et Erf. 208 *trudes* Heinſ. ſec. ſuos et Pierianos; Sunt *trudes* conti acuta cuſpide, a trudendo, etſi ſic ſyllaba longa in breuem abierit neceſſe eſt. At *ſudes* ſeruat Medic. Hamb. ſec. et a m. ſec. Montalb.

199. 200. verba ex Iliad. π, 109. 110, ſed ornatius. *ora* int. fauces.

201 — 209. Multum ἐναργείας in h. l. *honorem*, victoriam, vt anteuerterent Centaurum. *interior* v. ad v. 187 ſpatio *iniquo*, anguſto. cf. Stat. Theb. VI, 440 ſq. *murex*, Seruius: *ſaxi acumen eminens per tranquillitatem* (hoc ex v. 127). *illiſa pependit* pro vulgari *illiſa eſt*; ſed ſuauius, quod ſublimis et ſuſpenſa nutauit, libravit ſeſe. cf. inf. X, 303, 304. Sumſit ab Virgilio haec eadem Silius XVII, 281ſqq. 207. *mo-*

At laetus Mneſitheus, ſucceſſuque acrior ipſo,
Agmine remorum celeri, ventisque vocatis,
Prona petit maria, et pelago decurrit aperto.
Qualis ſpelunca ſubito commota columba,
Cui domus et dulces latebroſo in pumice nidi,
Fertur in arua volans, plauſumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aere lapſa quieto
Radit iter liquidum, celeris neque commouet alas:

210 *Et* Medic. a m. pr. *Aut* alter Hamb. *illo* Leid. et alter Goth. 214 *in* deeſt alteri Hamb. *in gurgite* a m. ſec. Zulich. 215 *pulſumque* ed. Commel. *pinnis* Rom. Medic. et Gud. 216 *Dat tergo* aliquot Pier. Vulgatam habet Non. et Schol. Statii ap. Burm. 217 Io. Schrader. in ſchedis coni. *Carpit;* nam *radere* inferre vicinitatem; ſic iam Barth. ad Stat. Achill. II, 3 monuiſſe. Non meminerant etiam mare remis, aerem alis radi, verri, verti. *liquidum et c.* Rom. *nec* Doruill.

rantur, haerent; quippe dum nauem retro agunt. *trudes,* contos. v. Var. Lect.

210. *agmine remorum,* ornate, totis remis. 211. *ventis vocatis,* expanſis velis, v. ſup. III, 253. *prona maria,* in quibus curſus pronus ac celer ſine impedimento fit; idem *apertum pelagus.*

213—217. κοίλην πέτρην Χηραμὸν, Iliad. Φ, 494. 495 expreſſiſſe putatur; At quanto ornatius! *domus et dulces nidi* — et *tectum. exterrita tecto dat pennis plauſum ingentem,* cum inde volatu abire parat. Bene Pompon. Sab. „cum incipit volare columba, dat ingentem ſtrepitum; inde ita quieta volat, vt non videatur movere alas.“ *iter liquidum,* aerem, *radit,* vt ψαύειν, et ψαίρειν v. c. ap. Aeſchyl. Prom. v. 394. cf. Valken. ad Eurip. Phoen. p. 471. Sic et *verrere* aequor. Vulgarius *ſecare;* niſi alterum illud eam vim habet, vt quaſi aeris aliqua ſuperficie leuiter tantum perſtricta inceſſum denotet. Paullulum diuerſus eſt columbarum motus placidus et lenis ſuſpenſo gradu in inceſſu: quo Home-

Sic Mneſtheus, ſic ipſa fuga ſecat vltima Priſtis
Aequora, ſic illam fert inpetus ipſe volantem.
Et primum in ſcopulo luctantem deſerit alto
Sergeſtum breuibusque vadis, fruſtraque vocantem
Auxilia, et fractis diſcentem currere remis.
Inde Gyan ipſamque ingenti mole Chimaeram
Conſequitur; cedit, quoniam ſpoliata magiſtro eſt.
Solus iamque ipſo ſupereſt in ſine Cloanthus:
Quem petit, et ſummis adnixus viribus vrguet.
Tum vero ingeminat clamor, cunctique ſequentem
Inſtigant ſtudiis, reſonatque fragoribus aether.

219 *volentem* Montalb. *ire volentem* Sprot. Elegantem vſum verbi illuſtrat Heinſ. h. l. cf. ad II Georg. 41. Nec hoc tamen loco alienum *volare*. 220 *At* et *Ac* variat ſcriptura in Pier. et Heinſ. *in* abeſt a Medic. 221 *et fruſtra* multi ap. Burm., vitioſe. 222 *Auxilium* Bigot. *incurrere* Gud. a m. pr. 224 *cedunt* Sprot. a m. ſec. *eſt* deeſt Wall. 225 *namque* Doruill. *ſuper ipſo eſt* Franc. 226 *petat* alter Hamb. 227 *cunctisque* Goth. tert. cum alt. Mentel. 228 *reſonatque fragoribus*. Ita Heinſ. cum praeſtantiore quoque. Vulgo *clamoribus*, nonnulli ſublato *que*. Voſſ. *clangoribus*.

rus dearum inceſſum declarari poſſe putauit Iliad. ε, 778. At hic aequabilem et liberum et tranquillum nauis curſum per apertum mare egregie repraeſentat. Accipitrem, κίρκον, pro columba in ſimili exemplo laudauit Apollon. II, 932—935.

218 — 228. *vltima aequora* circa metam. *breuibus vadis*, propius ad ſcopulum: 204. vt I, 111. 112, vbi *breuia et ſyrtes*. Mox *diſcentem* eſt experientem, conantem. 224. *cedit* h. e. praeteriri ſe ſinit Chimaera. *in fine* totius curſus, int. ſub reditum ad littus. cf. inf. v. 327. 328. *ſequentem*, Mneſtheum qui inſequitur Cloanthum, *vrget*. 228. *ſtudiis* h. l. proprie, vt in conſeſſu ludorum circenſium de fauore ſpectantium. cf. Iliad. ψ, v. 448 ſqq. et 767, 768.

Hi, proprium decus et partum, indignantur, honorem
Ni teneant; vitamque volunt pro laude paciſci. 230
Hos ſucceſſus alit; poſſunt, quia poſſe videntur.
Et fors aequatis cepiſſent praemia roſtris:
Ni, palmas ponto tendens vtrasque, Cloanthus
Fudiſſetque preces, diuosque in vota vocaſſet:
Di, quibus imperium eſt pelagi, quorum aequora curro, 235

231 *agit* pr. Hamb. *quia poſſunt, p.* Sprot. *poſſunt quae p.* alter Hamb. *videtur* Medic. a m. pr. 233 *ponto palmas* duo Burm. 234 *Effunditque p.* ſec. Rottend. 235 *imperium eſt p.* cum Medic. et aliis Heinſ. Alii cum Rom. *pelagi eſt.* In aliis *eſt* plane abeſt, quod Pier. recte ſequebatur. *aequore* Rom. aliquot Pier. et Burm., quod ieiunum eſſet. *aequora curae* laudat Burm. e Medic., ſed in hoc nihil varietatis.

Silius XVI, 319—332. *fragoribus* h. l. pro clamore et plauſu.

229—231. *proprium decus* h. l. vt alias, pro parta iam et parata victoria. *indignantur, ni teneant,* doctior forma quam, *ſe non tenere, ſibi eripi.* Sic εἰ. εἰ μή. *paciſci* exquiſite pro, reddere, impendere; ex vulgariore formula: redimere famam ſempiternam morte. Sic *emere* inſ. IX, 206. Imitatus Stat. I Theb. 319. *hoc aeuum cupiat pro luce paciſci.* Locus a Burm. iam laudatus. 231. *poſſunt, quia poſſe videntur* ad fiduciam certantium referre malim; efficiunt id, quod facere ſtudent, ſeu in eo ſunt, vt id efficiant; quoniam ſibi videntur id efficere poſſe. Multa argutantur Intpp. inprimis Trappius. Eſt hoc idem, ſed male intellectum, quod noſtrae aetatis ingenia πάνδεινα et πάντολμα prae ſe ferebant: nihil eſſe quod non valeas, modo velis valere: ſcilicet, *modo ſit diuinitus illis Ingenium et rerum fato prudentia maior:* quam tamen fere deeſſe iſtis vidimus.

232—243. Lineas apud Hom. ductas vide l. c. Iliad. Φ, 769 ſq., vbi Vlyſſes in

Vobis laetus ego hoc candentem in litore taurum
Conſtituam ante aras, voti reus, extaque ſalſos
Porriciam in fluctus, et vina liquentia fundam.
Dixit, eumque imis ſub fluctibus audiit omnis
Nereidum Phorcique chorus Panopeaque virgo: 240

236 *hoc* ex vno Medic. Pierius laudauit; abeſt tantum ab duobus Heinſianis. *in* deeſt Rom. Goth. ſec. 237 *votis* Montalb. 238 *Porriciam* defendit Macrob. III. Sat. 2, qui locus eſt claſſicus de hoc ſacrorum verbo; etſi in nonnullis argutatur, vt et Seru. h. l. Omnes tamen codd. Pier. et Heinſ. et al. *Proiiciam* vel *Proiciam*, niſi quod in Medic., a m. ſec. emendatum, *Poriciam*, vt et Parrhaſ. At Franc. *Prociam*. Fuere quoque qui *Proſiciam* mallent. v. Guell. Etiam Vrſinus *Porriciam* in omnibus, quae viderat, bonae notae exemplaribus fuiſſe teſtatur. Benedictus (in ed. Iunt.) defendebat *proiiciam*, ſic enim omnes codices habere, et Homericam imitationem eſſe; quam tamen equidem non memini. *liquantia* alter Hamb. et pr. Rottend. a m. pr., forte vt metro conſuleretur. Sed duo fuerunt verba, alterum, *liqueo, es*, alterum, *liquo, is*; huius prior longa, illius breuis, eſſe debuit; fere vt in Graecis: φίλω, φιλέω. μαρτύρω, μαρτυρέω et ſic porro. 239 *in ſl.* Sprot. 240 *Sporeique* Rom. Veſtigia graeci verſus ſubſunt: Νηρῆος Φόρκυ τε χορὸς Πανόπειά τε κούρη; ſed *Nerei* tribus ſyllabis dicere non poterat:

curſus certamine ſimiliter vota facit. *palmas vtrasque* antique, inquit Seru., quem vide, pro *palmam vtramque*. *diuos in vota vocare* vi ſane et ſenſu idem eſſe debet ac *deos votis vocare* h. e. inuocare: quod aliquoties apud Virgilium et eius imitatione apud Silium et Senecam Tragicum occurrit, ſed dictum exquiſite, vt *in partem praedamque vocare* III, 222, et apud Ouid. Faſt. V, 527 *iuratus vobis in verba vocatis*: Nam *votis* eſt idem ac vocare ad vota, ad ea, quae vouentur. Guellius laudat verſum Lycophronis (v. 288) καλῶν ἐπ' εὐχαῖς πλεῖστα Φύξιον Δία, ſed ibi ἐπικαλῶν Δία eſt iungendum. 237. *voti reus*, vti Ecl. V, 80 *damnari votis*, quoniam *vota deberi, ſolui*, dicuntur. *porricere* voc. ſacrorum proprium. cf. V. L. *liquentia* ornat, vt ſaepe *liquidum* in *aqua, humor, fons*. 240. *Phorcum* (Φόρ-

Et pater ipſe manu magna Portunus euntem
Impulit. Illa noto citius volucrique ſagitta
Ad terram fugit, et portu ſe condidit alto.

at ſunt Νηρεΐδες, vt Νηρηΐδες. *Panopeïa virgo* tres apud Burm. cum binis Goth., nec male. conf. ſup. Georg. I, 437. Ceterum vide an opportunius diſtinguas: *eumque i. f. f. audiit omnis N. P. chorus; Panopeaque virgo, Et pater ipſe manu magna Portunus, euntem Impulit.* Sic ſup. lib. I, 144 *Cymothoë, ſimul et Triton adnixus, acuto Detrudunt naues ſcopulo.* 241 *Neptunus* tres apud Burm. cum Erf., ex interpretatione. v. Not. *Portumnus* alii ſcribunt. Male. Sed *Portunus*, vt Neptunus; etiam *Vertunus* malunt quam Vertumnus. Videtur tamen altera eſſe antiquior, altera mollior pronuntiandi ratio. *eundem* ed. Ven.

κος et Φόρκυς) Ponti et Terrae f. (v. Heſiod. Theog. 237. Apollod. I, 2, 6), Nerei fratrem, poſuiſſe videtur poeta, cum omnino deus marinus eſſet nominandus, cui ſubeſſet deorum marinorum ac Tritonum chorus et agmen. cf. inf. 823. 824. *Numen aquis fecundum* Phorcynem vocat Lucan. IX, 646. *Panopen* vel *Panopeam* (cf. I Georg. 437), vnam ex Nereidibus (Heſiod. Theog. 250), ſigillatim poſuit, forte tamquam ex praecipuis vnam, vt ſup. I, 144 *Cymothoen*. *Portunum* bene memorat, tamquam poeta Romanus, qui Graecis eſt Palaemon, olim Melicerta. Erat *Inous Melicertes* Georg. I, 437. v. Hygin. f. 2. Ouid. Faſt. VI, 547. Cum claue eum fuiſſe exhibitum legitur apud Feſtum in *claudere*, et in gloſſa Seru. ad Georg. I, 437; dubito tamen, an *clauus* potius in eius manu fuerit. Cum h. l. *Portunus pater* dictus ſit, Palaemon autem puer deus factus narretur, Neptunum hoc nomine deſignari putauit Grot. ad Martian. Capellam lib. I, p. 2 et Cerda ad h. l. *Pater* tamen commune deorum nomen, etiam qui iuuenili aetate exhiberi ſolent, vt *Bacchus pater*. 241. *Impulit nauem:* vt ſup. lib. I, 144. 145 in tempeſtate naues Troianorum ſcopulis detrudebant Cymothoe et Triton. Eſt autem Portunus inter deos σωτῆρας nautarum. v. Orph. H. 74, 6—8. *manu magna*, ſignificanter in numine; et me-

Tum ſatus Anchiſa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna praeconis voce Cloanthum
Declarat, viridique aduelat tempora lauro;
Muneraque in nauis ternos optare iuuencos
Vinaque, et argenti magnum dat ferre talentum.
Ipſis praecipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Maeandro duplici Meliboea cucurrit;

244 *At ſatus* Bigot. *Anchiſe* alter Menag. *et cunctis* Wall. *e more* ſec. Rottend. 247 *ternosque* ed. Ven. *optare* cum Medic. Rom. aliisque optimis ſuis et Pierianis Heinſius legi maluit; maluerat idem Benedictus. Vulgo (et ſic vnus Goth.) *aptare*. conf. ſup. ad lib. I, 552. Schrader. coni. *portare*. 249 *praecipue* Colot. et pr. Hamb. cum Medic. *auctoribus* Sprot. *victoribus*, duo Burm., et *vctoribus*, eraſa *d*, Exc. Burm. Omnia temere. 251 *Purpurea* Doruill. *Meleboea* duo apud Burm. *Melibeïa currit* Hugen.

morabilis effectio: *illa noto citius*. — Ductum autem phantaſma hoc ex Argonauticis, in quibus Argo eodem more ſcopulorum anfractibus expeditur modo in Planctis, v. c. Apollon. IV, 930 ſqq. Thetidis et Nereidum opera, modo in Symplegadibus in Ponto Euxino ap. Apollon. II, 598 Mineruae manu. Tandem, *portu ſe condidit alto*, ornate pro, intrauit.

244—248. *ex more*, certe ludorum gymnicorum. *advelat*, vt exquiſitior eſſet oratio pro *velat*, ἐπιπαλύπτει. *dat optare* conf. ſup. I, 425. III, 109, vt eligant ac diuidant inter naues. *magnum talentum*, non comparatiue, quoniam maius et minus talentum fuit; nam hoc et ſerius et ſubtilius quam pro poeta; ſed per ſe, quod multas minas intra ſe continet; vt *magnus annus*, *menſis* etc.

249—257. *Victor* primo loco Cloanthus; at v. 258 altero loco, Mneſtheus, et v. 266 tertio, Gyas. Veſtis auro intexta; vt VIII, 167 *chlamydemque auro dedit*

Intextusque puer frondosa regius Ida
Velocis iaculo cruos cursuque fatigat
Acer, anhelanti similis, quem praepes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger vncis.
Longaeui palmas nequidquam ad sidera tendunt
Custodes; saeuitque canum latratus in auras.

253 *Veloci* Witt. *iugulo* alter Hamb., qui et *cursusque*. 254 Non indocta est P. Burmanni Secundi emendatio *ab alto*. Nam offendit *Ida* bis in fine versus positum. Vide ad Anthol. Lat. poet. pag. 272. Schrader. Emendatt. pag. 154 coni. *ab aethra:* Valer. Fl. I, 156 *Talia contanti laeuum Iouis armiger aethra Aduenit.* Inf. XII, 247 *volans rubra fuluus Iouis ales in aethra.* add. Claudian. b. Gild. 467 sqq. Receptum hoc video a Brunckio. Praefero equidem *ab alto:* inf. XI, 721 *Quam facile accipiter faxo facer ales ab alto Consequitur pennis sublimem in nube columbam.* Cum itaque euidentis veritatis nota neutri emendationi insit, non sane consultum est in contextum alterutram inferre; facere enim hoc non licet, nisi vbi, aut sic aut nullo alio modo, auctorem scribere potuisse, in confesso sit. 256 *tollunt* Sprot. et alter Hamb. cum Goth. sec. perpetua variat. 257 *ad auras* duo Burm., vt alibi quoque.

intertextam. igitur figurae aureae erant; praetexta (περιπόρφυρος) limbo purpureo duplici; non tamen adsuto, sed intexto; quem, quandoquidem cinctu et ipso amictu rugatur vestis et alia parte defluit, alia adtollitur, ornatissime descripsit. *Maeander* enim *flexuosa et in se remeabilis purpura in modum Maeandri*, ait Serv., fluuii, qui inter Cariam et Lydiam defluit, notissimi tum flexibus suis, tum poetarum in eo ornando arte. Vide Ouid. Met. VIII, 162 sqq. et al. Conser Chandler. *Antiqq. Ionicas* c. 3. Virgilii exemplo Maeandrum etiam alii poetae ad texturam transtulere. cf. Cerda et Vrsin. Etrusca sigilla multa sunt, simili habitu facta, ac picta in vasis, quae rem illustrent. *Meliboea purpura*, Meliboeensis, si, quod verisimile est, Virgilio ex Lucretio II, 499 in animum venit: *Meliboeaque fulgens Purpura Thessalico concharum tincta colore*, ab alia, quam

At qui deinde locum tenuit virtute secundum,
Laeuibus huic hamis consertam auroque trilicem

259 Versus idem sup. III, 467. *hinc* Franc.

Thessaliae vrbe (v. Liu. XLIV, 13) appellata ipsi videri vix potuit. Ad insulam tamen Meliboeam, in Orontis, Syriae fluuii, ostiis sitam, purpurae huius laudem referre maluit Voss. ad Melam II, 3 a Burm. laudatus, quoniam scilicet in illo littore muricum frequentia aliunde nota est; nam in ceteris argutatur Vossius. Imitationem Statii (Theb. VI, 540. 541 sq.) agnoscit Pompon. Sab. *cucurrit*, currit, vt Iliad. ξ, 320 περὶ δὲ χρύσεος θέε πόρπης. cf. Guell. 252 sq. Non alienum texturae argumentum, cum Ganymedes ad Aeneae genus spectaret (cf. Winckelmann. *de imitatione Graecc. opp.* p. 169 et 188). modo teneas, illa: *Veloces iaculo ceruos cursuque fatigat*, h. e. venatur, non ad picturam spectare, sed tantum poetice interposita esse, cum in venatu raptus esset puer. *armiger Iouis praepes* iungendum, supplendo, si placet, *ales*; de aquila (ex nostro hoc adoptauit Valer. Fl. I, 156. II, 414); aut *quem praepes rapuit*, velociter. *tendunt palmas*, non mirantes, vt Heins. ac Burm. cum Seru. contendebant, etsi nemo neget esse etiam mirantium eum gestum, sed grauiter ferentes ac deorum fidem implorantes, vt et res postulat et Hymn. in Vener. 208, vbi copiose de Trois patris luctu agitur. Expressit locum Statius Theb. I, 548 sq. Nec tamen aquilam Homerus meminit, nec ibi, nec Iliad. υ, 233 — 235 et ε, 266. 267. *custodes* v. inf. ad 546. *saeuit latratus in auras*, ornate; sic tamen iam antea Varius apud Macrob. VI Sat. 2 *Ceu canis vmbrosam lustrans Gortynia vallem, Si veteris potuit ceruae comprendere lustra, Saeuit in absentem, et, circum vestigia lustrans, Aethera per nitidum tenues sectatur odores.* cf. Excurs. IV.

258 — 265. Altero loco victor Mnestheus. Lorica pro praemio etiam in ludis Achillis occurrit l. c. Iliad. ψ, 560, vt et lebes v. 613, quem re-

Loricam, quam Demoleo detraxerat ipſe
Victor apud rapidum Simoenta ſub Ilio alto,
Donat habere viro, decus et tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagarisque ferebant
Multiplicem, connixi humeris: indutus at olim
Demoleos curſu palantis Troas agebat.

260 *detraxerit* Gud. 261 παρ' ὄχθῃσιν Σιμόεντος. *Simeonta, Simounta* aberrant. *alta* tres Heinſ., non ineleganter. v. Heinſ. ad Ouid. Epiſt. I, 48. *ſub Ilion alto* quatuor apud Burm. *ſub Ilion altom* Wall. *ſub Ilion altum* Parrhaſ. *ſub Ilion alta* Goth. ſec. Sed vulgatam Grammaticorum auctoritate firmauit Heinſius. 263 *Mox illam* Hamb. alter. *Phygeus, Flegeus. Sagiris, Sacaris* aberrant. Sed eſt Φηγεύς, Σάγαρις. 265 *Demoleos* Burm. praetulit codicum et Quinctiliani VIII, 4, 24 auctoritate, grati ſoni cauſſa; vulgo *Demoleus*. ex Δημόλεως, pro Δημόλαος. *pallentes* Oudart. cum Goth. ſec.

ſpexit noſter. *hamis confertam auroque trilicem* v. ſup. ad lib. III, 467; eſt ἁλυσιδωτὸς triplici annulorum ſerie. Vt trinis liciis, ſeu filis, texta veſtis craſſior ac ſpiſſior eſt ad corpus tuendum, ſic trinis annulorum ordinibus conſtans thorax. Demolei illum ſpolium facit more ornandi et commendandi Homerico, quem in Homeri lectione ſaepiſſime obſeruabis; in lorica quidem ipſa Iliad. ο, 529 ſqq. Ceterum apud Homerum Demoleon quidem eſt Antenoris filius Iliad. υ, 395. Hoc tamen loco factum eſt nomen Achiui Δημόλεως. 262. *decus et tutamen*, verſu Apollonii lib. II, 1076 vbi de domo tegulis tecta: δώματος ἀγλαΐην καὶ ὑετοῦ ἔρυμεναι ἄλκαρ, illuſtrat Doruill., ſed Virgilius Homericum expreſſit l. c. ὅπλων ἀνδρῶν ἀλεωρήν. *in armis*, vel inter pugnam, vel eius armati: αὐτοῦ ἐν ὅπλοις ὄντος. Sed illud praeſtat. *donat habere*, δῶκεν ἄγειν l. c. Iliad. ψ, 612, 613. 264. *multiplicem*, quod multis annulorum nexibus pondus magnum habebat. In verbis: *Vix illam — indutus at olim*, color ductus ex Homero, Il. ε, 303, 304. In memoriam autem reuocandum, heroibus et omnino priſcis homi-

Tertia dona facit geminos ex aere lebetas;
Cymbiaque argento perfecta atque aspera signis.
Iamque adeo donati omnes, opibusque superbi,
Puniceis ibant euincti tempora taeniis:
Quum saeuo e scopulo multa vix arte reuolsus, 270
Amissis remis, atque ordine debilis vno,
Inrisam sine honore ratem Sergestus agebat.

266 *lebetes* duo Burm. 269 *et vincti* Hamb. pr. *euictis* Gud. *tenis* plerique Pier. et tres Goth., hinc *tegnis*, *temis*, *thenis*, *theniis* aberratum. In Zulich. superscr. *galeis*. Vratisl. *ramis*. Hugen. *remis*, et a m. sec. *ramis*. vnus Pierii *vittis*, omnia ex interpolatione. 270 *e* abest ab aliquot Burm. *ex sc.* Rom. et Witt. *reuulsam* Rom. et Oblongus Pierii et duo Burm., sed alienum hoc; nam sequitur, *debilis*. 272 *inrisam* iam Pierius e codd. induxit in contextum. Alii, *illisam* vel *inlisam* ex v. 206, quam lectionem etiam Pompon. Sab. interpretatur. *habebat* Menag. Sed *inrisam* et *agebat* codd. et Donatus ad Terent. Andr. IV, 2 agnoscunt. vid. Burm.

nibus tribui molem corporis, robur ac vires, vltra communem hominum sortem; bene itaque h. l. duorum e vulgo hominum vires longe superabat vnus Demoleos. Sic facile tollitur difficultas apud Ouwens N. H. lib. I, c. 4. *palantes agebat* est Homericum κλονεῖν ὀρινομένας.

266. Gyas tertio loco praemium tulit. *aspera signis* (etiam inf. IX, 263, et hinc Ouidius, Silius aliique), anaglypha, vt bene Seruius exponit, figuris eminentibus caelata. Nota res; et praeiuerunt Graeci. Eo refer Arat. Phaenom. 276 τὰ δέ οἱ (sc. Cygno sideri) πτερὰ τετρήχυντα Ἀεράσιν. ita restituendus locus ex Schol.

268—272. Ornati versus 268. 269. *puniceis taeniis*, atqui v. 110 *virides coronae?* et inf. 494 *viridi Mnestheus euinctus oliua*. At erant frondes punicea taenia religatae; bene Seru. *significat lemniscatas coronas, quae sunt de frondibus et discoloribus fasciis*. conf. Cerdam, qui inter alia recte laudat Theocr. Idyll. II, 121. 122 Plin. XXI, 3. *ordine debilis vno* proprie esset vno

Qualis saepe viae deprensus in aggere serpens,
Aerea quem obliquum rota transiit; aut gravis ictu
Seminecem liquit saxo lacerumque viator;
Nequidquam longos fugiens dat corpore tortus,
Parte ferox, ardensque oculis, et sibila colla
Arduus adtollens; pars volnere clauda retentat
Nexantem nodis, seque in sua membra plicantem.

273 *saepe* Heinsium a *saepes* duxisse Burmannus narrat. *saepe* frequens poetis est in comparatione: et Gr. poetis πολλά. *depressus* multi etiam hic, vt plerumque alias. *ab aggere* Seru. apud Burmannum. 274 *Aenea* duo cum Seruio apud Burmann. *transit* Sprot. *transiit rota* Doruill. 275 *saxi*, vt ab *ictu* pendeat, pr. Moret. quo vulgarioris vsus structura prodit: *seminecem ictu grauis saxi*. *linquit* duo Burm. *saxo liquit* Wall. 276 *N. fugiens longos dat pectore* Goth. tert. *dat c. tractus* Oudart. 277 *pars sibila* Rom., male. *collo* ex *collom* Rottend. tert. 278 *Arduos* Rom. v. Pier. *v. tarda* Ven. *vulnera clausa* Gud. a m. pr. *retorquet* pr. Hamb. 279 *Nexantem nodos* vulgg. edd. habent, pars codd. Pier. et recentiores Venetus Heinsii et Doruill., haud dubie ab indocto interpolatore. *Nixantem nodis* verbo Lucretiano alii iique veterrimi Medic. a m. pr. (nam emendatum in *nitentem;* et hoc interpretatur Pompon. Sab., quem vide) Gud. e simili exemplo descriptus, et Mentel. pr. cum parte codd. Pier., inter quos Romanus fuisse videtur, vt sit quasi subnixus nodis suis serpens: sic erit eadem exquisitior ratio, quam deprehendimus v. c. in illo: *mentum crinemque Maeonia mitra subnixus* IV, 216. 217, vbi idem, qui *subnexus* est, doctius dicitur *subnixus*. Tandem

remorum ordine e ternis sup. v. 119. 120; sed, quod res docet, et cf. v. 205, *ordo* h. l. latius de latere dictum est, et naue scopulo admota ab vno latere omnino remi detersi fuerant. cf. sup. ad lib. I, 104. 105. Cur Sergestum tali dedecore affecerit poeta, frustra, puto, quaeritur: vnum saltem ex omnibus extremum esse necesse erat. De Catilina cogitat Cerda, qui e gente Sergia erat.

273—279. Ornatus locus, in quo poeta profeciisse videtur e Lucretio III, 657. 663.

Tali remigio nauis se tarda mouebat;
Vela facit tamen, et velis subit ostia plenis.

legitur: *Nexantem nodis* h. e. nexantem se in nodos, docte et rei conuenienter, sed in pauciſſimis libris; Mediceum suum laudat Pierius. Heinsius tantum de *nodis* affirmat, de altero silet; sed firmant lectionem Grammatici, Prisc ianus et Eutyches. Itaque relinquamus lectionem, quae et ipsa poeta digna est; teneamusque illud: quoties nihil potest ita definiri, vt in alterutram partem probabilitas maior in sensus incurrat, nec mutandae lectioni vulgatae locum et causſam, nec mutationis fructum et vtilitatem esse; contra vero lectoribus, inprimis elegantioribus, qui criticam subtilitatem non curant, moleſtias creari; inprimis si tibi constare, et in paribus causſis parem rationem sequi velis: tum enim innumera erunt mutanda, cum modo casus, modo genius sermonis, inprimis poetici, modo aberratio, binas trinasue lectiones suppeditet, quarum nulla aut sperni possit aut destituta sit auctoritate: quod itaque ego substituo, eodem iure mutabit alter. 280 *sic tarda* Franc. *se tarda ferebat* Gud. a m. pr. et Bigot. v. lib. III, 268. 281 Ordo verborum secundum Pier. et Heins. codd. Alii *plenis s. o. velis*. Ven. *velis subit ostia portus*, ex gloſſa. Iac. Bryant versum deletum malit; nam partim repugnare dicta superioribus, partim *vela velis* parum placere, partim ingulari comparationem appositam. Sane haec v. 280 iam erat absoluta; et ratio erat reddenda, qua arte vel fortuna, deterſis remis, tamen in portum se recipere potuerit nauigium; factum id esse vento suborto secundo, quem velis excepe-

Eadem comparatio a Quinto Smyrnaeo ornata lib. XI, 374 — 376. *viae agger*, proprie editior viae pars, h. l. simpl. pro via. *grauis* est, qui grauem ictum infert; itaque melius iungitur *grauis ictu*, etsi *ictu* etiam ad *feminecem* referri potest; sed prius puto melius, vulgare erat, *graui ictu;* et mox iungenda *saxo lacerum. dat tortus*, facit. *colla arduus adtollens*, αὐχέν' ἀναστχὼν Callimach. in fragm. CCCCXXXVIII egregie a Ruhnkenio restituto. *pars vulnere clauda retentat* — pars vulnerata, obtrita ac fracta, moratur ac retinet, ne possit procedere, serpentem, *nexantem nodis*, nectentem se in nodos et replicantem se in orbes. v. Var. Lect.

280 — 285. Quod Sergesto etsi inferiori munus dat, et quod seruam dat, ab

Sergeſtum Aeneas promiſſo munere donat,
Seruatam ob nauem laetus ſociosque reductos.
Olli ſerua datur, operum haud ignara Mineruae,
Creſſa genus Pholoe, geminique ſub vbere nati. 285
Hoc pius Aeneas miſſo certamine tendit
Gramineum in campum, quem collibus vndique curuis
Cingebant ſiluae: mediaque in valle theatri
Circus erat, quo ſe multis cum millibus heros
Conſeſſu medium tulit exſtructoque reſedit. 290

rant. Videndum eſt, an in his aliquid ſit, quod rei nauticae haud ſatis conueniat. 282 *permiſſo* Hugen. *p. donat honore* Dorvill. 283 *nauim* aliquot Pier. et pr. Moret. cum Erf., ſed vid. Pier. *ſ. que receptos* Sprot., vt lib. I, 583. 284 *ſ. operum datur haut* nonnulli Pier., ex interpolatione indocta, metri cauſſa. 285 *Threſſa* Schol. Horatii Cruqu. ad III Od. 9, quod defendit Burmannus, hactenus non male, quod Thraciae commercia cum Troianis interceſſere. At in Pholoe argutatur. Enimuero ex Lib. III, 131 ſqq. facile memineris, Troianos in Creta inſula plus quam annuum ſpatium exegiſſe, non minus igitur *Creſſa* locum habet: quorſum igitur mutamus quod rationem habet? *Creſa* ſcribitur et h. l. more antiquo, vt alibi dictum; eſt tamen etiam Κρῆσσα. *ſub vbera* Rom. et Gud., minus bene: etſi ferri poteſt. 290 *Conſceſſu, conceſſu, conſenſu,* aberrant nonnulli hic et inf. v. 340 et 577. *in medium* duo Burm.

Homero habet l. c. Iliad. ψ, 536. 537. 538 et 261. 263. Quod autem Pholoen Cretenſem nominat, hoc vt poeta facit, a quo nihil facile indefinite ponendum. *oſtia* h. l. portus. *promiſſo*, vulgare fuiſſet *ſperato*. *operum haud ignara* ſaepe ap. Hom. ἔργ' εἰδυῖαν, de lanificio et textura, vt notum.

286—290. Totum hoc curſus certamen ex Homero adumbratum l. c. Iliad. ψ, 740 ſqq., ſed traducta in illud alia ex reliquis agonibus. Locum ſpectaculi tantum non exſcripſit ex noſtro Statius VI Theb. 255 ſqq. *miſſo certamine*, dimiſſo, finito: proprie dimiſſis certantibus. cf. inf. 545. *ſiluae* in collibus —

Hic, qui forte velint rapido contendere curſu,
Inuitat pretiis animos, et praemia ponit.
Vndique conueniunt Teucri, mixtique Sicani;
Niſus et Euryalus primi:
Euryalus forma inſignis viridique iuuenta,
Niſus amore pio pueri; quos deinde ſecutus
Regius egregia Priami de ſtirpe Diores;
Hunc Salius, ſimul et Patron: quorum alter Acarnan,
Alter ab Arcadio Tegeaeae ſanguine gentis;

291 *Huc* pr. Morer. a m. ſec., et *Hac* Hugen. itidem a m. ſec. *velit* ed. Ven. 292 *ponunt* Goth. pr. Putes leniora fuiſſe: *invitat pretiis, animis et praemia ponit.* Sed in vulgato oratio habet grauitatem epicam: *qui forte velint*, ſi qui, *inuitat pretiis* eos, pro hoc: animos eorum, et nude nunc, *animos.* 293 *concurrunt* Leid. *Sĭcani* prima nunc correpta, vt et alibi; contra quam *Sĭcania* I, 557. VIII, 416. III, 692. Iam monitum ad lib. I, 343. Vnde etiam apud Silium factum: — *gens Sicăna votis.* 296 *quem* Gud. a m. pr. *et quos* duo Burm. 297 *Drïones* Goth. pr. 298 *alius* Rom. et Mentel. pr. a m. pr. *quorum vnus* Doruill. *Acarna* tres Burm. recentes. *Acharnia* Witt. *Acharnem* Goth. tert. 299 *ab Arcadia* multi codd., et edd., quod mireris Pierio caſtius viſum. *Arcadio* Rom. Medic. et al. *Tegeaeae ſanguine gentis* Heinſ. praetulit ex nonnullis Pierianis et binis ſuis, in quibus,

qui iidem *theatrum;* vnde infra v. 340 *cauea. Circus* h. l. pro ſtadio. *ſe tulit et conſeſſu exſtructo reſedit.* cf. ſupr. v. 44. *pretia* explicantur per *praemia:* res, quae pretio habentur, et nunc pro praemiis apponuntur. *animos* eorum qui —.

296. In *pueri* argutantur Seruius, Pompon. Sab. et alii; *amore pio pueri* exponunt, caſto, non infami. Mihi ſimpliciter omnis amor et amicitia pietatem continere videtur; et puer ſpectat ad teneram aetatem. Super nominibus *Diores, Salius, Patron* v. Excurſ. III ad h. lib. Ibidem mox de *Helymo. Tegeaeae* Georg. I, 18. *Pan erat Tegeaeus.*

Tum duo Trinacrii iuuenes, Helymus Panopesque,
Adsueti siluis, comites senioris Acestae;
Multi praeterea, quos fama obscura recondit.
Aeneas quibus in mediis sic deinde locutus:
Adcipite haec animis, laetasque aduertite mentis.
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnossia bina dabo leuato lucida ferro
Spicula caelatamque argento ferre bipennem:
Omnibus hic erit vnus honos. Tres praemia primi
Adcipient, flauaque caput nectentur oliua:

Tegeae sanguine, quo alludunt duo alii. Manifestum fit, omissionem syllabae locum dedisse interpolationi *Tegeae de sanguine*, quae Romanum, Mediceum, et maiorem partem codicum insedit. Alias *Tegeus* vt *Nemeus*, Τέγεος, Νέμεος, adiectiua forma dictum esse posset. cf. Heins. hic et sup. I Georg. 18. Burmannus quidem ibi et ad Ouidium satis sibi non constat, et modo Tegeaeus modo Tegeeus scribit. Enimuero Τεγεᾶιος, vt Νεμεᾶιος, rationem et vsum habet: At Νεμέειος nondum inueni, nec Τεγέειος. Apud Pindar. N. 8, 27 male expressum Νεμέειον ἄγαλμα. 300 *Helemus*, *Helenus*, *Helimus*, *Helinus* corrupte al. *Helymusque P.* Rom. Ἕλυμος. Πανόπης. 301 *Acesti* pr. Voss. v. ad lib. I, 120. *Achesies* Wall. 304 *que* abest a Wall. 306 *Gnosia* et *Cnosia* variant et hic libri. Mox pro *laeuato* Sprot. *limato*, Ven. *polito*, pr. Moret. *leugato* pro *laeuigato*, *lunato* Vratisl. Omnia ex interpretamentis. 307 *fronde* pro *ferre* Medic. a pr. m. 308 *is erit* Ven. *prima* Goth. tert. 309 *Accipiunt* Hamb. sec. *fuluaq.* est ap. Seru. ad IV, 261. De colore dubitari et *alba*, *tonsa*, *pulcra*, tentari video; sunt enim

302—307. Ex Ennio comparat Macrob. VI, 1 *multei aliei aduentant, paupertas quorum obscurat Nomina.* 303. Vulgare: in quorum medio. 305. ἀγέρασος Homericum. Mox *Cnossia* (sup. III, 115. 104) *spicula* v. sup. Ecl. X, 59. Callim. in Apol. 33. Et *bipennem* argenteo manubrio, signis caelatis, h. e. ornamentis exsculptis,

Primus equum phaleris insignem victor habeto;
Alter Amazoniam pharetram plenamque sagittis
Threiciis, lato quam circumplectitur auro
Balteus, et tereti subnectit fibula gemma;
Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Haec vbi dicta, locum capiunt, signoque repente

alias epitheta oliuae, vt sit *alba, pulla, viridis, glauca.* Scilicet sunt varia olearum genera, et mutat oliua colorem ipsa maturitate. Laudatur quoque ξανθῆς ἐλαίας καρπὸς ex Persis Aeschyli. *nectuntur* Rusinian. et Seru. ap. Burm. *nectantur* Goth. tert. *nectetur* Goth. sec. 310 *equum* Medic. a m. pr. 312 *Thraiciis, Traicis*, male al. est Θρηΐκιος. *qua* alter Menag. *circumplectitur*, quod Mediceus, bini Moret. et Ven. binique Goth. cum Erf. a pr. m. firmant, illustrat Heins. Maior pars et omnes Pieriani tuentur vulgg. *circumamplectitur.* 315 *accipiunt* duo Burm. *spatio* Gud. a m. pr., vt et in proletaria editione Gottingae excusa expressum video.

ornato. Mox *vnus* est *hic idem* et communis inter omnes *honos* seu praemium.

310—314. *Amazonia* et *Threiciae*, epitheta ornantia, a praestantissimo genere, vt mos poetis. Sed *Argolica galea*, peculiare genus. conf. sup. II, 389 sq. 412. Ex pharetra aptus balteus latus auratus *(balteus lato auro)*, ad cuius oram fibula gemmata est, qua ille ex humeris suspendi potest: *et fibula, tereti gemma, subnectit* balteum, nectit, oras colligat. conf. sup. ad IV, 139 *Aurea purpuream subnectit fibula vestem.* Omnia ornate, vt et v. 315—317, h. e. Curritur. cf. Iliad. ψ, 753 sqq. *limen, νύσσην*, vt ibid. v. 758. Odyss. ϑ, 121. *simul vltima signant*, notant, oculis animoque designant metam, vt fere Seruius; subnatum forte poetae ex illo: σήμηνε δὲ τέρματ' Ἀχιλλεὺς Τηλόθεν; vbi is, qui ludos facit, metam sic constituisse dicitur. 319 *fulminis alae*, poetica ratione: est tamen etiam in numis fulmen alatum.

Conripiunt ſpatia audito, limenque relinquunt,
Effuſi nimbo ſimiles; ſimul vltima ſignant.
Primus abit, longeque ante omnia corpora Niſus
Emicat, et ventis et fulminis ocior alis.
Proxumus huic, longo ſed proxumus intervallo,
Inſequitur Salius: ſpatio poſt deinde relicto
Tertius Euryalus.
Euryalumque Helymus ſequitur: quo deinde ſub ipſo
Ecce volat, calcemque terit iam calce Diores,
Incumbens humero: ſpatia et ſi plura ſuperſint,
Transeat elabſus prior, ambiguumue relinquat.

317 *Et fuſi* Medic. *nimbi* alter Hamb. 320 *huic longe, ſed* Wall. 321 *ſp. eſt deinde* Goth. tert. *inde* duo Burmann. 322 Deeſt hemiſtichium Goth. tert. 323 *Euryalum ſequitur Helymus* Erf., non male. *quem* Parrhaſ. *quod* Medic. *qui* tert. Rottend. a m. ſec. Sed eſt: *ſub quo ipſo volat* h. e. ei ſubuolat, eum ſubit, ſuccedit. 324 *Ipſe volat* ap. Diomedem Grammat. 325 *humeris* pars codd., ſed et ſingularis minus vulgaris, et alteri tantum humero imminebat. 326 *ambiguumque* Heinſ. conſenſu librorum recepit, quod et pars Pierianorum habebat; ratio tamen ac res reſpuit. Nam, ſi transiiſſet ſocium, res non ambigua iam

324. Expreſſa ex Iliad. ψ, 764. 765, ne dubita. Diores ita curſu aequat Helymum, vt vno tantum ille paſſu praeuertat. Itaque Diores ſic inſtat, vt immineat eius humeris et veſtigia premat, altero pede anteriore occupans eius pedem citeriorem. Ita ad verbum calcem calce premit. Etſi nec hoc neceſſe. Eſt enim dictum exquiſitius pro, *pedem pede*. Aliam rationem Burm. ſequitur, ſed valde duram. Argutatur Ioſ. Scaliger. 325. 326. et, ſi plus ſpatii ſupereſſet, nec curriculi metae iamiam adpropinquarent, aut illum curſu praeuertiſſet, aut ſaltem aequaſſet. Hoc eſt *ambiguum relinquat* eum,

Iamque fere ſpatio extremo, feſſique, ſub ipſam
Finem aduentabant: leui cum ſanguine Niſus
Labitur infelix; caeſis vt forte iuuencis
Fuſus humum viridisque ſuper madefecerat herbas.
Hic iuuenis iam victor ouans veſtigia preſſo
Haud tenuit titubata ſolo; ſed pronus in ipſo
Concidit inmundoque ſimo ſacroque cruore.

fuiſſet, vter prior eſſet. Verius alii editi et ſcripti: *ambiguumue*: ductum enim eſt ex v. 382 Iliad. ψ, Καὶ νύ κεν ἢ παρέλασσ' ἢ ἀμφήριστον ἔθηκεν (ſc. αὐτόν, non πρᾶγμα, quod vulgare eſſet, et Virgilii imitatione refellitur; *ambiguum* ſc. ſocium *reliquiſſet*). Eſt alter locus ſimilis l. c. v. 526. 527, ſed eius ſententia minus accommodata eſt noſtro poetae. *relinquit* Zulich. 327 *ipſam* tuentur Pier. et Heinſ. e codd. cf. ad lib. III, 145. *ipſum* Medic. a m. ſec., tres alii et Goth. vnus. Sed ea vulgarior eſt ratio. 328 *leni* et *tum* aberratt. 330 *humi* duo Pier. et alii recentiores. 333 *craſſoque* Parrh., male ex v. 469.

h. e. ambigentem de curſus palma, vt cum Turnebo Cerda, vel de quo ambigerent alii. conf. Var. Lect.

327 ſqq. Ad Homeri ductum l. c. 773 ſqq. et 539 ſqq. An dignitati epici carminis verſu maxime 333 et 357. 358 ſatis conſultum ſit, quaeſitum eſt cum alias, tum nuper iterum, a viris doctis. Saltem hoc tenendum, non ex noſtro decori ſenſu diiudicandam rem eſſe; quale autem Auguſtei ſaeculi de tali re iudicium fuerit, ignoramus. Noſtra quidem aetas facetias tales recte, puto, reſpuit. Tanto manifeſtior ad cuiusque ſenſum ſuauitas eſt in Euryali repentino conſilio v. 334 ſqq. *ſpatio extremo*, extrema ſtadii parte; non enim plura, quod ap. Homerum ſit, ſpatia conficiſſe videntur. *Finem* exquiſitius pro meta dixit. *laeui ſanguine* pro ſolo laeui propter ſanguinem. 330. ſanguis ſuperfuſus (vt Seru.) madefecerat humum herboſam. *veſtigia titubata*, audacius, vt a poeta, pro pedibus tituban-

Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum:
Nam ſeſe obpoſuit Salio per lubrica ſurgens;
Ille autem ſpiſſa iacuit reuolutus arena.
Emicat Euryalus, et munere victor amici
Prima tenet, plauſuque volat fremituque ſecundo.
Poſt Helymus ſubit, et nunc tertia palma Diores.
Hic totum caueae conſeſſum ingentis, et ora
Prima patrum, magnis Salius clamoribus inplet,
Ereptumque dolo reddi ſibi poſcit honorem.
Tutatur ſauor Euryalum, lacrimaeque decorae,

334 *amorum eſt* Witt. et ſic plerique Pier. Alii *amoris*. at vid. Notam. 335 *Et ſeſe* ap. Seru. *obiecit* Parrhaſ. 336 *tenui iacuit* Seruius legit, et ſic pr. Rottend. a m. ſec. et Regius pro gloſſa, quam forte aliquis decori male prouidus intulerat. *reſolutus* Ven. *reſupinus* alter Voſſ. 337 *munera* alter Menag. *amico* Medic. a m. pr., quod Heinſ. adſtruere laborat. 339 *et tunc* aliquot Burm. *ſubiit et t.* Parrhaſ. 340 *conſenſum* et *conceſſum* multi Pier. Heinſ. et noſtri. vid. ſup. v. 290.

tibus. 334. *amores* male modo ad turpem modo ad magnum amorem trahunt. Nihil aliud eſt, quam poetica ratio pro vulgari, *amor* ſing. numero. 338. *Prima tenet*, τὰ πρῶτα, victoriam obtinet primo loco, amoris beneficio et ſtudio. 339. *tertia palma*, tertio loco victor, ratione poetica, quam ipſa illa exempla illuſtrant, quae Burmannus laudat ad h. l. et Drakenb. ad Silium XVI, 504. cf. Georg. I, 59, vbi *palmas Eliadum equarum* poeta dixit equas victrices in decurſibus Olympicis. *Palma*, vt *victoria*, et ſaepe alia abstracta, pro victore.

340 — 347. Simile inrgium ap. Homer. Iliad. ψ, 543 ſqq. *Caueam*, voce a theatro ducta, bene dixit locum θεατροειδῆ in valle inter colles: vt 288 ſq. videramus. *ora prima patrum* et primo loco, ante alios, priores ordines, quibus ſeniores et honoratiores ſedebant. *lacrimaeque decorae* pueri ſupplicantis, ne ſibi victoriae

Gratior et pulcro veniens in corpore virtus.
Adiuuat, et magna proclamat voce Diores,
Qui ſubiit palmae, fruſtraque ad praemia venit
Vltima, ſi primi Salio redduntur honores.
Tum pater Aeneas, Veſtra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri; et palmam mouet ordine nemo:
Me liceat caſus miſerari inſontis amici.

344 Plerique codd. poſt *virtus Adiuuat* diſtinguunt, quomodo et Nonius agnoſcit; ſed male. vid. Heinſ. *Gratior eſt* Seneca Ep. 66 et paſſim alii, vt ſententiae locum teneat. *G. et populo v.* Witt. *veniens e corpore* Seneca l. c., et ſic paſſim verſus laudatur. *pectore* Bigot. Exc. Burm. et a m. pr. Erf. 346 *palmae ſubiit* Doruill. *pugnare ſubiit* Parrhaſ. 347 *redduntur* Heinſ. praetulit, ex codicum parte, et ex Pierii emendatioribus. Vulgo *reddantur*, quod tamen et Romanus et Medic. habent, nam in hoc *u* a recenti manu ſuperſcriptum. Nil refert; hoc tamen malim: nam epica dignitas reſpuit illos ſubiunctiuos. 348 *Cum* pr. Moret. *pius A.* Ven. et Goth. pr. 349 *Certa mouent* Wall. *p. vouet* tert. Rottend. a m. pr. 350 *Mi* Goth. pr. *caſus* Heinſ. reuocauit, cum nullus codex *caſum*, quod vulgg. edd. obſidet et vulgarius eſt, exhibeat, ſi primum ex Gothanis excipias cum Doruill.

honos eriperetur. *veniens* ſimpl. pro, quae eſt. Nam *venire* plenius voc. poetis pro eſſe, vt iam Heinſius notauit ad Ouid. V Faſt. 648 et al. loc. ἔρχεσθαι, ἐλθεῖν, ſic adeo in pedeſtribus ſcriptoribus. Veteres Grammatici *veniens* h. l. proueniens, naſcens, interpretabantur, vt I Georg. 54 *Hic ſegetes, illic veniunt felicius vuae.* 345. Adiuuat Euryalum eiusque cauſſam, et clamat Dio-

res, qui in victoriae tertium nunc locum ſucceſſerat, et, ſi Salius victor renuntiatur, iterum ea excidiſſet.

348—361. Delectat mite Aeneae ingenium, vel Euryali reſpectu. Praeiuerat tamen et hic Homerus Iliad. ψ, 558 ſqq. 349. ad verba cf. ſup. I, 257. 258. *Parce metu, Cytherea; manent immota tuorum Fata tibi: cernes* etc. 349 *palmam*, debitum cuique ordine ſuo

Sic fatus, tergum Gaetuli inmane leonis
Dat Salio, villis oneroſum atque vnguibus aureis.
Hic Niſus, Si tanta, inquit, ſunt praemia victis,
Et te labſorum miſeret: quae munera Niſo
Digna dabis? primam merui qui laude coronam;
Ni me, quae Salium, fortuna inimica tuliſſet.
Et ſimul his dictis faciem oſtentabat, et vdo
Turpia membra ſimo. Riſit pater optimus olli,
Et clipeum efferri iuſſit, Didymaonis artes,
Neptuni ſacro Danais de poſte reſixum.
Hoc iuuenem egregium praeſtanti munere donat.

miſereri etiam nonnulli, inter quos Rom. Omnino *caſus miſerari* plenius ſonat. 354 *quae praemia* Medic. Moret. ſec. et Colot., ex verſu antec. 355 *meruit* duo ap. Burm., perpetuo fere lapſu in ſimili verborum poſitu. 356 *et S.* nonnullae edd. et codd. 357 *oſtendebat* nonnulli ap. Burm. et Goth. ſec. *monſtrabat* Moret. ſec. 358 *illi* Medic. a m. pr. Quodnam aurium iudicium in hoc ſequutus ſit, vel poſt Quinctil. locum VIII, 3. 25, nos latet. 359 *offerri* aliquot Pier. et duo Burm. *afferri* ed. Geneu. *ferri* Leid., perperam. *Didamonis, Didamaonis, Didiomonis,* et apud Pier. *Didumaeonis,* apud Benedictum Pal. *Didymaeonis,* corruptelae; nam eſt Διδυμάονος. *arte* tres Burm. *artem* Romanus, et ap. Burm. Doruill., ſed exquiſitius plurali numero *artes:* h. e. opus.

praemium. Obſerua etiam copiam dictionis: *munera, praemia, palma, corona, honores, dona, promiſſa.* 355. 356. *Ni me—fortuna tuliſſet,* me a primo praemio abſtuliſſet, abduxiſſet, exquiſitius quam vulgare: ni fortuna mihi eripuiſſet praemium pro *laude* h. e. virtute in curſu. v. 357. Hoc an placere poſſit, v. ad v. 327. cf. Iliad. ψ, 551. 781. 359. clipeus ab artifice, qui fecit, commendatur (cf. III Ecl. 37), et a loco, quo fuerat ſuſpenſus, in Neptuni templo pro donario, et quod e manubiis erat. Seruius: *Danais,* a *Danais:* et *in-*

Poſt, vbi confecti curſus, et dona peregit:
Nunc, ſi cui virtus, animusque in pectore praeſens,
Adſit, et euinctis adtollat brachia palmis.
Sic ait, et geminum pugnae proponit honorem: 365
Victori velatum auro vittisque iuuencum;
Enſem, atque inſignem galeam, ſolatia victo.
Nec mora; continuo vaſtis cum viribus effert

363 *Huc ſi* cod. Ge. Fabric. *animisque* Sprot. Poſt *praeſens* interpungendum ex Burmanni quoque ſententia. Si tamen iungas: *praeſens Adſit*, vt *ſi* ſit optantis, vtinam: nec id importune fieri videtur, ieiune tamen. 365 *praeponit* aliquot ap. Burm., male. 368 *cum* eraſum in Doruill. *affert* Hugen. *offert* Oudart. Vide

telligimus hoc ad Aeneam transiſſe per Heleuum (ſup. III, 465 ſqq.). Nil refert: ſed et Aeneas ex templo aliquo Graecorum inter praedam auferre potuit, vt color ſit ſimilis ac lib. III, 286—288.

362—484. Etiam ap. Homerum πυγμαχία ſit Iliad. Ψ, 651—699. Certauit cum poetarum patre Virgilius fere in ſingulis, vt comparando facile intelligent, quibus haec cognoſcere lubitum eſt, modo varietate modo ornatu. Omnino placuiſſe ſibi videtur poeta in hoc loco, etiam ab Apollonio lib. II pr. et Theocrit. Idyll. XXII tractato. Virgilium vnice ſequitur Statius Theb. VI, 249 ſqq. Poetae ſtudium in oratione varianda cognoſce etiam in illo, quod dicere noluit *confecti curſus et dona peracta. animus praeſens* proprie in discrimine, qui ſine perturbatione, quomodo periculo occurrat, aut hoſtem ſuſtineat, videt. Debet igitur mox omnino dictus eſſe pro fortis, vt h. l. cf. Var. L. adſit is et ceſtu pugnet: at quam ornate! *euinctis palmis* ſcil. ceſtu, *attollat*, vt ἀείρειν voc. propr. hac in re. *honorem* v. modo ad v. 349. *velatum*, ornatum (cf. ſup. ad v. 72), *auro vittisque*, ſeu vitta lamellis aureis distincta; ſeu vt cornua aurata ſint; vittis ceruici impoſitis, ritu religioſo, etiam in monumentis obuio, vt in arcu Titi. cf. Seru. et inf. IX, 627.

368—377. Homer. l. c.

Ora Dares, magnoque virum se murmure tollit:
Solus qui Paridem solitus contendere contra;
Idemque ad tumulum, quo maxumus occubat Hector,
Victorem Buten inmani corpore, qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat,
Perculit, et fulua moribundum extendit arena.

modo v. 359. Sed *ora, se, effert*, ingens viri corpus melius declarat; vt mox *se tollit*. 369 *se munere t.* bini Goth. 370 *extendere* Montalb. 371 *accubat* Parrhas. et aliquot Pier. *occubat* h. l. pro cubat, iacet. 372 *Butem* tres Burm., et vnus *Butan.* Hamb. sec. *i. qui c. sese.* At hoc ex eo tenebimus, vt interpungamus: *Victorem Buten, inmani corpore qui se — ferebat.* vt inf. VIII, 199. *magna se mole ferebat.* 374 *Percutit* vnus Pier. qui est Romanus. *Pertulit* duo, vitiose vt saepe.

664 sq. 370. Paris, vulgo pro imbelli, ignauo et mulieroso homine haberi solitus, nec apud Homerum omni virtute caret, vt Iliad. γ in certamine cum Menelao, ν, 765 sqq. λ, 580 et al., a poetis tamen post Homerum multo maiore virtute insignitus est; in praeliis enim, post Hectoris fatum factis, frequens eius est memoria. Certaminibus autem inclitus factus est vel ex eo, quod, inter pastores nutritus cum esset, certamine a Priamo instituto agnitus est, dum *omnia vicit*, κατὰ πάντα ἄθλα, vt est apud Hygin. fab. 91, et fab. 273 pag. 322. Euenit hoc in ludis funebribus, quos ei pater pronuntiauerat. Probabile sit ab aliquo Tragico fabulam ita exornatam fuisse. Cum vero in omni certaminum genere vicisset; etiam pugilatu eum vicisse necesse est; etiam pugilatu excellere potuit in poetis deperditis. 371. Ludi funebres in Hectoris honorem habiti, num ab iisdem poetis memorati fuerint, an Virgilii ingenio debeantur, non habeo dicere. Probabile tamen sit, e Cyclicis poetis et hos petitos esse. Est quoque vestigium rei in Darete 25. *Priamus Hectorem suo more ante portam sepeliuit: cui lu-*

Talis prima Dares caput altum in proelia tollit,
Oſtenditque humeros latos, alternaque iactat
Brachia protendens, et verberat ictibus auras.
Quaeritur huic alius: nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibusque inducere ceſtus.
Ergo alacris, cunctosque putans excedere palma,
Aeneae ſtetit ante pedes; nec plura moratus,
Tum laeua taurum cornu tenet, atque ita fatur:

375 *in praemia* Vratisl. 377 *praetendens* duo Burm., vnus *portendens*. 378 *hinc* tres Burm. *hic* Medic. a m. pr. *agmine toto* pr. Rottend. 379 *que* abeſt a binis Burm. *ve* Zulich. *caeſtus* vbique ſcribitur, etiam in Mediceo: etymologia ἀπὸ τῦ κεστῦ poſtulat *ceſtus*. Sed in omni ſermone, etiam noſtro, vſus ſaepe etymologiae aduerſatur. 380 *alacer* Bigot. *cunctisque* pr. Menag. *palma* poſt Pierium Heinſius tuetur omnium vetuſtiorum codd. et Grammaticorum auctoritate. Adde Markland. ad Stat. Silu. p. 305. Recentiores et edd. *pugna*, quod vulgare eſſet. Ante alios victoriam obtinere, eſt poetae, *excedere eos palma;* debebat proprie eſſe, virtute. Aliquot *pugnae* et *pugnam*, fruſtra. 381 *moratus* Goth. ſec., ſed mox: *fatur*. 382 *Iam* equidem malim; et ſic

dos funebres fecit. At Buten ſuauiter ab Amyco e Bebrycum gente deduxit, qui Pollucem prouocauerat, cum is cum Argonautis ad Bithyniae littus acceſſiſſet. v. Apollon. l. c. Caue tamen eum confundas cum *Bute*, ex Argonautarum numero, qui Sirenum cantu faſcinatus in Lilybaeum enatauit Veneris beneficio: Apollon. IV, 912 ſq. Apollod. I, 9, 25 de quo v. Burmann. Catal. Argonaut. Diuerſus quoque Butes Pandionis f. a quo Butadae, ſacerdotio Athenis inſignes: v. Apollod. III, 15, 1. et Notas. Dares et Entellus etiam epigrammate ornantur Anthолog. gr. lib. V, pag. 526. v. 373. Butes ex Bebrycia, quae erat *gens Amyci*, id eſt, ſub regno Amyci, venerat Troiam. *ferebat ſe*, incedebat, veniebat, vt I, 503.

Nate dea, si nemo audet se credere pugnae,
Quae finis standi? quo me decet vsque teneri?
Ducere dona iube. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidae, reddique viro promissa iubebant.
Hic grauis Entellum dictis castigat Acestes,
Proxumus vt viridante toro considerat herbae:
Entelle, heroum quondam fortissime frustra,

pr. Hamb. *tauri cornu* Goth. sec., quod communius esset. At Erf., si auctoritatem haberet, sequi malim: *Nec plura moratur. Tum laeua taurum tenet*, versu inexpleto. 384 *Qui f.* tres, et *Quis* totidem alii ap. Burm. cum Erf. cf. sup. ad II, 554. *stanti* Mentel. pr. *stando* tert. a m. pr. *quo me tedet ante t.* Goth. tert., corrupte. *vsque morari* aliquot Pier. et Ven., ex interpr. 385 *ferebant* Zulich. 386 *iubebat* ex Donato ad Terent. Burm. 387 *Hentellus* et *Antellus* hic et in sqq. vitiose scribunt Gothani, vti mox *Herix* pro *Eryx*. 388 *considerat* tres ap. Burm. *herba* vnus Pier. cum Erf.

IV, 11. Apud Homer. l. c. Iliad. ψ, 679. 680 Euryali virtus simili modo commendatur, atque hic Daretis. v. 375—377. stolide ferox homo egregie ante oculos nostros constitutus. cf. Apollon. l. c. 45 sqq., vt nec minus in oratione, quae sequitur; in qua cum Homero contendit, l. c. 666 sqq. v. 380. *cunctos excedere palma*, pugilatu superior omnibus esse, cum nemo ad congressum prodeat. cf. Var. Lect.

385 sqq. Primae lineae in Homero v. 676 sqq.; at quam egregie coloribus suis a poeta inductae! Acestes 387 *graviter* castigat. Ita malim. Nec male tamen *grauis* omnino, quoniam senex erat; quippe senes aetate et auctoritate graues habentur. Similis increpatio Pandari ab Aenea Iliad. ε, 171 sqq. Omnino obiurgationes eiusmodi in Homero occurrunt plures, v. c. Mineruae Odyss. χ, 224. Hectoris Iliad. ο, 440 sq.; quas non facile manibus dimittet poeta, quia vim et δεινότητα oratio habet. 389. frustra fortissime olim inter heroes, sc. quandoquidem

Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona ſines? vbi nunc nobis deus ille, magiſter
Nequidquam memoratus, Eryx? vbi fama per omnem
Trinacriam, et ſpolia illa tuis pendentia tectis?
Ille ſub haec: Non laudis amor, nec gloria ceſſit
Pulſa metu; ſed enim gelidus tardante ſenecta
Sanguis hebet, frigentque effetae in corpore vires.
Si mihi, quae quondam fuerat, quaque inprobus iſte
Exſultat ſidens, ſi nunc foret illa Iuuentas:

390 *discrimine* Doruill. 391 *finis* vn. Burm. cum binis Heinſii, quod huic quidem elegantius videbatur. 394 *Nec l. a.* aliquot Pier. *non gloria* duo Burm. *laudis honor* duo ibidem. *ceſſat* vitium edd. Heinſ. et Burm. 396 *habet* vitioſe, etiam vetuſtiſſimi. v. Pier. *effoeto* Bigot. et Parrhaſ., quod eſt vulgare. *effractae* Hamb. ſec. a m. ſec. *effectae* Doruill.; ſaltem deberet eſſe *affectae*. 398 *Iuuentas* Heinſ. poſt Pier. ex Rom. Medic. et optimis aliis. Vulgo alii *iuuenta*, nonnulli etiam *iuuentus*, proſaica forma. Nam deam Heben, ſ. Iuuentatem, poeta pro ipſa aetate exquiſitius ponit.

nunc iners deſides, vt II, 348. 349. *Iuuenes fortiſſima fruſtra pectora* — 391. 392. grauiſſima obiurgatio: *magiſter Æ.* h. e. gloria haec, quod Erycem heroem (ſed maius, *deus ille*) magiſtrum pugilatus habuiſti. Erycis autem nomen fuit magnum pugilatu, quippe qui Herculem adeo prouocauit v. 412 ſqq. v. Diodor. IV, 83. Pauſ. IV, 36, p. 372. cf. poſt alios Burmann. Sec. ad Numiſm. Sicil. in Doruill. Siculis p. 399 ſq. Adde Excurſ. II et de *Entello* Excurſ. III. *nobis* habere *μιμητικὸν* aliquid ex vita hominum notum eſt. *ſpolia*. Auxit haec Val. Fl. IV, 181 ſqq.

394 — 399. Talis excuſatio frequens in Homero, inprimis Neſtoris. Vide Iliad. *η*, 132 ſqq. *λ*, 669 ſq. *ψ*, 629 ſq., et Laertae Odyſſ.

Haud equidem pretio inductus pulcroque iuuenco
Veniſſem; nec dona moror. Sic deinde locutus,
In medium geminos inmani pondere ceſtus
Proiecit; quibus acer Eryx in proelia ſuetus
Ferre manum, duroque intendere brachia tergo.
Obſtupuere animi: tantorum ingentia ſeptem
Terga boum plumbo inſuto ferroque rigebant.
Ante omnis ſtupet ipſe Dares, longeque recuſat;

399 *inductis pretiis* Montalb. *pulcroue* idem cum aliis Burm. et Pier., male. 400 *nil d. m.* aliquot ap. Burm. 403 *manu* Parrhaſ. et Rom. 404 In *tantorum* haerent intpp. Faber coni. *totorum i. ſ.*, Burmannus et emendationem et Seruii explicationem, *tantorum, hoc eſt, virorum fortium*, recte reiicit; at idem amplecti mauult interpolatam Hamb. ſec. et ed. Venetae lectionem: *Obſtupuere animi Teucrorum. Ingentia ſeptem Terga boum.* Parua eſt obſeruatio grammatica, quam tamen tenere non pigebit. *Tantus* et *talis*, vt τοῖος vel τόσσος, ita ponuntur, vt cauſſalem particulam intra ſe complectantur, reddendaque ſint per: *nam magnus, nam multus.* Ita h. l. pro: *nam ſeptem ingentia magnorum boum terga* (coria) *rigebant* (ornate pro erant). cf. ad Callim. in Del. 27.

ω, 375 ſq., ſed ornatu et orationis vi Virgilius ſuperior. cf. inf. lib. VIII, 560 ſq. Quod autem cum verbis grandes illos, quibus olim vſus erat, ceſtus in medium proiicit, magno poeta dignum eſt. 399. Veniſſem equidem, haud inductus praemio; h. vel nulla praemii ratione habita. *Nec dona moror*, praemium non curo: quod Burmann. illuſtrat.

403. *ferre manum in praelia*, exquiſite pro manus conſerere; et *intendere brachia tergo*, pro induere ceſtum. 404. Nam ceſtus facti erant e corio ſeptem magnorum boum, inſuto plumbo ferroque. v. Var. Lect. Res vero ad miraculum fere aucta in his Erycis ceſtibus. 406—408. *longeque*, valde, vt Seru. Scilicet in *recuſat* latet

Magnanimusque Anchiſiades et pondus et ipſa
Huc illuc vinclorum immenſa volumina verſat.
Tum ſenior talis referebat pectore voces:
Quid, ſi quis ceſtus ipſius et Herculis arma
Vidiſſet, triſtemque hoc ipſo in litore pugnam?
Haec germanus Eryx quondam tuus arma gerebat.
Sanguine cernis adhuc ſtractoque infecta cerebro.
His magnum Alciden contra ſtetit; his ego ſuetus:
Dum melior vires ſanguis dabat, aemula nec-
dum
Temporibus geminis canebat ſparſa ſenectus.
Sed, ſi noſtra Dares haec Troius arma recuſat,

407 *que* ante *Anchiſ.* deeſt Parrhaſ. *et ipſam* duo Burmann. 413 *ſtractoque*, quod Heinſio forte rectius legi viſum erat, et Burmannus, quantum video, in contextum intulit, decem quidem codd. auctoritate defenditur. Vetuſtiſſimi tamen, vt ipſe Rom. et Mediceus, in altera lectione conſentiunt: *ſparſoque*, in quo nihil reprehendas; nam, quod verſu quarto *ſparſa ſ.* recurrit, nil obeſt. At, ſi in vno loco codicum auctoritatem vel aduerſus rationem ſequimur, aliis certe locis non ſine ratione eam deſerere debebamus. Nunc iterum nouare displicet. *ſtractoque inſperſa* Regius. 414 *His* praeclare Heinſ. reſtituit e codd. et Priſciano. Vulgo male *Hic. Alcidem* Doruill. 416 *cana ſ.* Hamb. pr. 417 *recuſet* Exc. Burm.

notio τῦ *refugit. vinclorum vol.* int. lora, quibus ceſtus circa brachium religaretur.

410—419. *arma* non poſſunt eſſe alia quam ipſe ceſtus. Sic et mox v. 424. 425. Nec Hercules aliter, quam pugilatu, cum Eryce pugnavit, vel numis teſtibus. 412. *germanus* Aeneae, eadem ſaltem matre genitus (conf. Weſſeling. Obſſ. I, 13), quippe Veneris ex Buta (ſed alio quam is, de quo v. 372) filius. 413. Etiam hic verſus noſtris ſenſibus faſtidium faciat neceſſe eſt. Sed v. ſup. ad v. 327 ſqq. 415. *aemula* intellige, quomodo alias poetis *inuida*, ſenectus nondum *canebat ſparſa temporibus*; nondum cani erant ſparſi per tempora. Ornatiſſime.

Idque pio ſedet Aeneae, probat auctor Aceſtes:
Aequemus pugnas. Erycis tibi terga remitto;
Solue metus; et tu Troianos exue ceſtus.
Haec fatus, duplicem ex humeris reiecit amictum,
Et magnos membrorum artus, magna oſſa lacertosque,
Exuit, atque ingens media conſiſtit arena.
Tum ſatus Anchiſa ceſtus pater extulit aequos,
Et paribus palmas amborum innexuit armis.

418 *hoc probat* aliquot Pier., ab interpolatore. 421 *triplicem* Vratisl. *deiecit* aliquot Pier. et Witt., ab indocto Grammatico, qui primam in *reiecit*, ſeu *rei* pronuntiando, ſeu geminata tacite *j* littera, produci ignorabat. 422 *artus magnosque lacertos* vnus Pier. et Doruill. ac Witt., ab interpolatore, qui hypermetrum verſum non ferebat; cui alii *ſic* mederi voluere, vt *que* in fine tollerent; quamquam et caſu excidere potuit. *magna ora l.* codex Pontani, *magna arma l.* Sprot. Sed *oſſa* in athletico corpore inprimis notabilia erant; quis dubitet? 423 *Extulit* apud Macrob. VI, 1, ſed Nonius et ſcripti ſeruant vulgatam, et recurrit iſtud verſu ſtatim ſequente. Scilicet *exuit artus* venuſte dictum pro vulgari, *exuit veſtem* (ſc. de *artubus*). 424 *Cum* pr. Moret., vt ſaepe al. 425 *intexuit* Medic. a m. pr.; vitioſe hoc idem in priore edit. a typographis fuerat exaratum. Sed eſt, *innexuit:* de quo verbo v. Bentl. ad Horat. Epod. 17, 72. *nexuit* Sprot.

418. *ſedet* vt ſup. lib. II, 660 *Si ſedet hoc animo. auctor Aceſtes*, ſuaſor, qui primus me ad hanc pugnam excitavit. *aequemus pugnas* certamen, et nunc quidem arma, ceſtus. *remitto*, cedo ac renuntio ceſtibus Erycis, vt bene Cerda. Sic et alias, v. c. inf. XI, 359 *Cedat ius proprium regi, patriaeque remittat.*

421—423. Manifeſta imitatio loci nobiliſſimi Odyſſ. σ, 65—74. cf. Apollon. II, 30 ſqq. Verſus 422 ex Ennianis fluxit apud Macrob. VI, 1 *magna oſſa lacertique Apparent hominei. duplicem*, Homer. διπλῆν, duplicato panno, vt alibi docuere viri docti. In v. 424 iterum conuenit cum Apollon. II, 51 ſqq.

Conſtitit in digitos extemplo adrectus vterque,
Brachiaque ad ſuperas interritus extulit auras.
Abduxere retro longe capita ardua ab ictu;
Inmiſcentque manus manibus, pugnamque laceſſunt,
Ille pedum melior motu, fretusque iuuenta; 430
Hic membris et mole valens; ſed tarda trementi
Genua labant, vaſtos quatit aeger anhelitus artus.
Multa viri nequidquam inter ſe volnera iactant,
Multa cauo lateri ingeminant, et pectore vaſto

426 *arreptus* Rom., ſolito errore. 428 *Adduxere* tres Heinſ. *Redduxere* Victorinus Art. Gramm. lib. I apud Heinſ., non male. Sed *Abduxere retro* eodem redit. *longo* Doruill. 429 *pugnasq.* aliquot Pier., et hoc decebat poetam. 430 *pedum curſu melior* Sprot. *p. motu m.* Rottend. tert. 431 *Is membris* Ven. 432 *Genua* binis ſyllabis pronuntiatum eſſe, nota res eſt. *acer anhelitus* Probum olim cum aliis hic maluiſſe, ex Scholio Seruii P. Danielis monet Heinſius. Quantum tamen ipſe video, non h. l., ſed ſub f. libri noni, ita illi legere maluerunt. *Aeger anhelitus*, qui aegre trahitur. 434 *pectora* alter Hamb., non male. *pectore vaſto* ed. P. Danielis.

426 ſqq. Comparanda hic inprimis loca Homeri, Apollonii et Theocriti, ſupra ad v. 362 memorata. Adde Val. Fl. VI, 261 ſqq. et Silium XVI, 295 ſqq., ſed, comparare talia, ſatis expedita res eſt. Nos Virgiliana ſaltem illuſtrabimus. *arrectus in digitos*, ἐπ' ἀκροτάτοισιν ἀερθείς — πόδεσσι, Apollon. II, 90. 91. *pugnam laceſſunt* pro ineunt, exquiſite, proprie *laceſſere aliquem pugna*, *ad pugnam*, h. l. praeludendo. *immiſcent manibus manus*, conſerunt manus (Male Seru.). *pedum melior motu*: Sunt enim haud dubie etiam pedum partes in pugilatu, enitandis ictibus. vid. Stat. Theb. VI, 794 ſq. 433. *vulnera* pro vulgari, *ictus*; hos v. 434—436 per partes enumerat. cf. Apollon. II, 82 ſq. Aures pugilum fractae ac tumidae ex hoc ipſo, quod aures petuntur

Dant ſonitus; erratque auris et tempora circum
Crebra manus; duro crepitant ſub volnere malae.
Stat grauis Entellus, niſuque inmotus eodem
Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.
Ille, velut celſam oppugnat qui molibus vrbem,
Aut montana ſedet circum caſtella ſub armis,
Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum; et variis adſultibus inritus vrguet.
Oſtendit dextram inſurgens Entellus, et alte
Extulit: ille ictum venientem a vertice velox
Praeuidit, celerique elabſus corpore ceſſit.

435 *Dant gemitus* ſec. Rottend. *errantque crebra manus* Ven., quod Heinſio placuiſſe facile ſuſpiceris. 436 *durae* Zulich. a m. ſec. 437 *nixuque* Ven. *niſuſq.* Rom. 438 *Vulnera, tela, ictus*, o. *v.* Goth. alter, interpolate. 439 *qui m. arcem* Sprot. 441 *Nunc illos, nunc hos* Rom. *nunc hos, nunc alios* pr. Hamb. 442 *aſſaltibus* tert. Rottend. 443 *Protendit* em. Wakefield Silu. crit. P. IV p. 141, quod voc. proprium eſt: poteſtque adeo et ipſum ferri; non vero ſubſtitui exquiſitiori.

ictibus pugilum, notae nunc ſunt ex Winckelmanni obſeruatione ſuper κατεαγὼς τὰ ὦτα.

437. 438. *grauis* aetate et mole corporis; cf. inf. 447. Nam alter contra agilior corpore. *tela exit*, pro vulgari, ictus cauet, declinat, euitat, eludit. Vocabulum in re gladiatoria proprium, vt multi monuere. Vidd. Cerda et Burm. cf. inf. XI, 750. *vim viribus exit* Stat. VI Theb. 802. *Ecce iterum immodice venientem eludit et exit Sponte ruens merſusque humeris; effunditur ille In caput.*

In vſſ. 439—442. ſplendida comparatio a re multo maiore et grauiore: oppugnatione vrbis vel caſtelli. *molibus*, machinis — 444. *a vertice*, deſuper, v. ad II Georg. 310. *elapſus ceſſit*, elabitur; quod ſup. *exit.*

Entellus vires in ventum effudit; et vltro,
Ipse grauis, grauiterque, ad terram pondere vasto
Concidit: vt quondam caua concidit aut Erymantho,
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.
Consurgunt studiis Teucri et Trinacria pubes; 450
It clamor coelo, primusque adcurrit Acestes,
Aequaeuumque ab humo miserans adtollit amicum.
At, non tardatus casu neque territus, heros
Acrior ad pugnam redit, ac vim suscitat ira;
Tum pudor incendit vires, et conscia virtus; 455

446 *effundit* aliquot Pier. 449 *in* abest Erf. *radicitus* Rom. et aliquot alii Pieriani, cum parte codd. Heins. et Priscian. Ornat hoc Heinsius. Sed *radicibus* haud dubie recte. Nec id tam Silii imitatione satis obscura lib. VI, 196, quam potius ratione poetica defenderem. *Radicitus* pedestri orationi est frequentatum, *radicibus* non aeque. *rad. e. quercus* a pr. m. Oudart. 450 *Teucri studiis Trinacria* Exc. Burm. 451 *que* abest a Medic., quod praefert Heinsius. Eiusdem multi cum Oblongo Pierii, Goth. sec. et Erf. *occurrit*. Witt. *primus concurrit*. 453 *Et* duo Hamb. 454 *ac vim* Heins. cum scriptis. Al. *et v. inde s. iras* Goth. sec. 455 *intendit* Hugen., ex pedestri ratione. Versum hunc *Tum pudor* tam-

grauis, grauiter, vt Homericum: μέγας μεγαλωστί. 448. 449. Comparationem satis obuiam vel ap. Homerum Iliad. ν, 178 sqq. ξ, 414 sqq. π, 482 sqq. et alibi (Aliorum poetarum loca v. apud Cerdam.) ornauit nobilium Arcadiae et Troadis montium nominibus; quae et ipsa rebus dignitatem adiiciendi ars est.

450 sqq. Similiter Iliad. ψ, 694 sq. Sed reliqua, quod Entellus nouas vires sumit, de suo Virgilius addidisse videtur; ductu forte Theocriti Idyll. XXII, 107 sqq. *studiis*, Seru. in studia. Malim esse pro studio, i. e. prae studio; per studium ac fauorem, qualis spectantium in ludis est. 455. *conscia virtus*, in prosa, virtutis conscientia.

Praecipitemque Daren ardens agit aequore toto;
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille ſiniſtra.
Nec mora, nec requies. Quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant: ſic denſis ictibus heros
Creber vtraque manu pulſat verſatque Dareta.
Tum pater Aeneas procedere longius iras,
Et ſaeuire animis Entellum haud paſſus acerbis,
Sed finem inpoſuit pugnae, ſeſſumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis; ac talia fatur:
Infelix, quae tanta animum dementia cepit?
Non vires alias, conuerſaque numina ſentis?
Cede deo. Dixitque, et proelia voce diremit.
Aſt illum fidi aequales, genua aegra trahentem,
Iactantemque vtroque caput, craſſumque cruorem

quam importune interiectum in ſuſpicionem adducebat V. C. Iac. Bryant, etiam *vim* et *vires* non bene ſibi ſuccedere. 457 *geminans* Vratisl. *nunc deinde* Medic. Sprot. cum Colot. *nunc atque* Bigot. Notam illam elegantiam in repetito *ille* ſperni potuiſſe mireris. 459 *crepitent* Sprot. *nimbus crepitet* tert. Rottend. *trepidant* pr. Hamb. *ſic denſis* poeta exquiſitius pro *tam* denſis. 461 *Cum* Moret. pr. *producere* fuerunt qui legerent apud Guellium, ſed idem alterum illuſtrat per graeca: προβαίνειν περαιτέρω τὰς ὀργάς. 463 *imponit* Zulich. 464 *Corripuit, miſcens* Sprot. 465 *animi* Parrhaſ. 466 *Non* Oudart. *Num* qu. Moret. et Goth. tert. *commiſſaque* Ger. Voſſius e codd. notauit. v. Burm. 467 *dixitque et* vereor vt fulcrum *que* ab poeta ſit. 469 *vltroque* Goth. tert. *vtraque* Parrhaſ. *Quaſſantemq. vtroque* Macrob. IV Sat. 1, vt

461 ſqq. Aeneas idem facit, quod Achilles l. c. Iliad. ψ, 734. 465. Cf. Iliad. υ, 332 ſq. *infelix*, ἆ ἀειλέ. *vires alias*, ſimpl. quam putaveras huius hominis eſſe, h. e. tuis maiores. *conuerſa numina* quod frequentius: auerſum numen, proprie, fortunam certaminis mutatam. 468 ſq. Cf. Iliad. ψ, 695 ſq., vbi φίλοι δ' ἀμφέσαν ἑταῖροι,

Ore eiectantem, mixtosque in sanguine dentes,
Ducunt ad nauis; galeamque ensemque vocati
Adcipiunt: palmam Entello taurumque relinquunt.
Hic victor, superans animis, tauroque superbus:
Nate dea, vosque haec, inquit, cognoscite, Teucri,
Et mihi quae fuerint iuuenali in corpore vires,
Et qua seruetis reuocatum a morte Dareta.
Dixit, et aduersi contra stetit ora iuuenci,

Ecl. X, 25 Siluanus *Florentes ferulas et grandia lilia quassans;* sed diuersa in re; et de irato *quassanti capite* ex Plauto Asin. II, 3 23 laudat Burm. *Nutantemq. vtroque caput* coni. Heins., cui displicebat in binis verss. *Iactantem — eiectantem.* 470 *Ore eiectantem* Heinsius tuetur Macrobii auctoritate, lib. IV, 1, quam pars codd. firmat. Vulgo *reiectantem*, quod praeferebat Pierius, quo alludit in tribus Burm. nonnullis Pierianis et Goth. sec. *reiactantem.* Orta haec scriptura ex syllabae continuatione, qualis in Mediceo est, *Oreiactantem*, in Rom. *Ore iactantem;* Parrhas. vero interpolate, *Ore reluctantem. mixtoque in f.* Medic. a m. pr., quod etiam Heinsio arridebat. 471 *ad nauem* Doruill. 473 *Sic v.* pr. Moret. *taurisque superbis* Hugen. 474 *vos quoque haec* Parrhas. *haec vos inquit* Doruill. 475 *fuerant* duo Burm. *fuerunt* Dorvill. *iuuenali* Heins. post Pier. e codd. et Grammaticis. cf. sup. ad lib. II, 518. Etiam *in* abest a Witt. 476 *Daretam* Gud. 477 *auersi* Gud. *aduersa* Montalb.

Οἵ μιν ἄγον δι' ἀγῶνος, ἐφελκομένοισι πόδεσσι, Αἷμα παχὺ πτύοντα, κάρη βάλλονθ' ἑτέρωσε etc. Mox v. 471 *vocati* non vacare putandum. Seruius: *Bene eorum ostendit pudorem, vel quia erant occupati circa amicum.* Saltem prius admittere licet: non sponte, auidos, acres, accurrere puta, sed verecunde ac timide, nec nisi hortatu facto, vt tollerent. Forte tamen argutum magis hoc, quam verum: Coetu facto a praecone pronuntiatur victor et praemia tribuuntur. Sic sup. 244 sq. Itaque vocati victores praemia ferunt.

473—484. Nouum hoc Entelli facinus et praeter opinionem, adeoque iucundum cognitu. 476. Quae mors destinata Dareti fuerit: orna-

Qui donum adſtabat pugnae; durosque reducta
Librauit dextra media inter cornua ceſtus
Arduus, effractoque inliſit in oſſa cerebro.
Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille ſuper talis effundit pectore voces:
Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis
Perſoluo: hic victor ceſtus artemque repono.
Protenus Aeneas celeri certare ſagitta
Inuitat, qui forte velint, et praemia ponit;

478 *pugnae adſtabat* Parrhaſ. 480 *immiſit* nonnulli Pier. *in* eiicit Erythr. in *reuocabat*, cum Benedicto in ed. Iunt. cf. ſup. ad v. 167, et aberat a codd. Giphanii, Ind. Lucret. p. 468. cf. Pier., qui tamen non vidit abeſſe *in* etiam a Romano. *in ora* Parrhaſ. et Hugen., ſed *in oſſa* eſt exquiſitius dictum pro *oſſibus*, vulgari; vt apud Horat. *fragili quaerens illidere dentem*. 482 *effundit* ex codd. ab Heinſio repoſitum. Vulgo *effudit*. 484 *reponit* Rom. cum aliis; manifeſto mendoſe. Nam formula conſecrationis ſollennis multo melius ex Entelli perſona effertur. 486 *praemia dicit* Gud., quod copioſe adſtruit Heinſius. Mihi potius aut caſu aut interpolandi ſtudio illatum eſſe videtur. Variandam eſſe orationem ratus poeta praemia non hic ante certamen, ſed ſub finem demum, quit, *Parcite, pro paruo victima parua cadit; Cor pro corde, precor, pro fibris ſumite fibras; Hanc animam vobis pro meliore damus*. 484. *hic victor — repono:* a noto more, v. c. Horat. III Od. 26. *Nunc arma defunctumque bello Barbiton* etc.

te; ſed multo magis ea quae ſequuntur. 480. *illiſit ceſtum*, ſeu manum ceſtu munitam, oſſibus. 483. *meliorem a.* aptiorem; nam animalem hoſtiam dat, ait Seru. cf. Macrob. III Sat. 5. Ductum ab hoſtia ſuccidanea. cf. inf. XII, 296 *haec melior magnis data victima diuis*. Guellius laudat Ouid. VI Faſt. 162. *extis puerilibus, in-*

485 ſqq. Idem certamen ap. Homer. Iliad. ψ, 850 ſq.,

Ingentique manu malum de naue Sereſti
Erigit; et volucrem traiecto in ſune columbam,
Quo tendant ferrum, malo ſuſpendit ab alto.
Conuenere viri, deiectamque aerea ſortem
Adcepit galea; et primus clamore ſecundo
Hyrtacidae ante omnis exit locus Hippocoontis;
Quem modo nauali Mneſtheus certamine victor
Conſequitur, viridi Mneſtheus euinctus oliua.
Tertius Eurytion, tuus, o clariſſime, frater,

v. 535 ſqq. enumerat; ab initio tamen dixit: *praemia ponit;* quae cum nulla ſubiicerentur, repoſuit aliquis, *dicit*, deſinat, conſtituit. 488 *in*, quod ſi abſit, non deſiderem, ſoli deeſt Sprot. *traiectum in* Hugen. 489 *tendat* ſc. ferrum, aliquot Pier. ſed eſt, quo certantes intendant, dirigant, ſagittam. *tendunt* alter Menag. *ferrum tendant* Parrhaſ. 490 *deiectas — ſortes* malit Trappius. Non videbat alterum eodem ſenſu eſſe magis poeticum. 491 *primum* Rom., vulgari ratione. 492 *Hyrtacidae iuuenis* Bigot. Ὑρτακίδης, Hyrtaci filius, Aſius, ap. Homerum occurrebat Iliad. β, 837 ſqq., nunc alter, Ἱπποκόων. Occurrit et ipſum nomen Iliad. κ, 518, ſed ibi Rheſi Thracis auunculus eſt. *exiit* Parrhaſ. *Hippocoonti, Hippocoantis, Ipſocoontis, Oppocoontis*, librariorum fraudes. 493 *Poſtmodo* Parrhaſ. fere vt apud Iul. Pompon. Sab. Vrbanus *modo* pro propemodum exponit. *M. c. ductor* emendabat Io. Schrader. in ſchedis. conf. Not. 495 *cariſſime* Montalb.

ſed variauit multa Virgilius, quae facile comparatione facta animaduertere licet. 487. *manu*, h. l. magna multitudine Seru. Niſi placet accipere dictum, vt *magna manu*, de heroibus ac fortibus viris. *Sereſti* ſup. I, 611, ne de Sergeſto cogites ex v. 121 ſup. *traiecto in ſune*, funis traiicitur, transuerſe circumplicatur columbae. 490. ex l. c. Iliad. ψ, 861, ſed ornate. conf. Iliad. γ, 316 ſq. alia apponit Guell. *primus locus* eleganter pro prima ſorte; et acclamatio fauentium, *clamor ſecundus;* et *exit* ſors ἐξέθορε, ἐξόρουσε, vt notum ex Homero. 493. *victor*, ſecundo loco, v. ſup. v. 258. Turbas tamen faciunt intpp. v. Burmann. atqui ſimili modo

Pandare, qui quondam, iuſſus confundere foedus,
In medios telum torſiſti primus Achiuos.
Extremus galeaque ima ſubſidit Aceſtes;
Auſus et ipſe manu iuuenum tentare laborem.
Tum validis flexos incuruant viribus arcus
Pro ſe quisque viri, et depromunt tela pharetris.
Primaque per coelum neruo ſtridente ſagitta
Hyrtacidae iuuenis volucris diuerberat auras;
Et venit, aduerſique infigitur arbore mali.

496 *iuſſus quondam* Parrhaſ. *ſuaſus* male coniecerat vir doctus, (Iortin. *Tracts* p. 474. Tom. II.) ap. Burm., qui non meminerat Homerica. 498 *galea atque ima* Parrhaſ. *ſuccedit* Wall. *ſubcidit* Menag. pr. *conſedit* Exc. Burm. *ſubſedit* edd. vulgg. *ſubſidit* Burm. tacite repoſuit propter communem poetarum vſum et vulgarem errorem in hac voce. 500 *Cum v.* pr. Moret. *Tum ſummis flexos* Priſcian. et Alcuin. ap. Heinſ. 501 *et* abeſt apud Priſcian. p. 1187. 503 *deuerberat* aliquot apud Burm. *alas* (ſc. columbae) Donatus legit, et ſic ed. Iunt., quam Burm. memorat; ſc. e ſerioribus aliqua: nam Iunt. 1520 *auras* retinet, ſed Benedictus *alas* cum Donato legendum eſſe contendit; minus ſuauiter, et ſic plane otioſum: *Et venit;* niſi cum Bigot. legas: *Vt venit.* 504 *aduerſaeque — mali* ap. Probum, ſub f. lib. I Art. Grammat., ſed v. Heinſ. *infingitur* Franc. *infringitur* Doruill., errore non infelici.

tertia palma v. 339, vnde hoc idem habet Silius XVI, 462. 503. Quod *euinctus* comas *oliua* eſt Mneſtheus, ad eandem victoriam ſpectat; nec in eo haerebimus, quod oleaginea corona ſup. 246 et 269 commemorata non eſt. 496. *Pandare, qui* v. Iliad. ὃ, 104 ſq. *confundere foedus,* turbare, vocab. propr. συγχέειν, vt ipſe Homer. l. c. v. 269 ἐπεὶ σύν γ' ὅρκι' ἔχευσαν. *telum torſiſti.* Pandarus emiſſa ſagitta Menelaum vulnerauit. Male veteres de haſta acceperant *telum;* v. Pompon. 499. *manu,* ſagitta manu emiſſa: quandoquidem manus pro ipſa opera et opere manuum dicitur.

500 — 506. *Pro ſe quisque* κατ' ἑαυτὸν ἕκαστος, h. e.

Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales, et ingenti ſonuerunt omnia plauſu.
Poſt acer Mneſtheus adducto conſtitit arcu,
Alta petens, pariterque oculos telumque tetendit.
Aſt ipſam miſerandus auem contingere ferro
Non valuit; nodos et vincula linea rupit,
Quis innexa pedem malo pendebat ab alto:
Illa notos atque atra volans in nubila fugit.

505 *Infremuit m.* Bigot., nec hoc male. *malos* tert. Rottend. In *timuitq.* nulla variatio occurrit. *pinnis* Medic. Gud. cum al., vt alibi. 508 *que* poſt *pariter* abeſt a qu. Moret. 509 *auim* Exc. Burmann. et 547 *aurim.* 510 *Qui primus nodos* Priſcian., fallente memoria. *linea vincula* tres apud Burmann. *rumpit* aliquot Pier. et duo Heinſ. 511 *pedem nodo* Parrhaſ. 512 *alta volans* tert. Rottend. cum aliquot Pier., ſed quae *alta*, eadem exquiſitius *atra, nigra. atraque volans* Ven.

εἰς δύναμιν. Sic Iliad. α, 272. καὶ μαχόμην κατ' ἔμ' αὐτόν. 505. *timuit* alis, h. e. plauſit, trepidauit prae metu; vt Seruius: *terrorem ſuum pinnis ſignificans.* Dictum adeo, vt, *increpare verbere, obiurgare brachio, flagris.* Tenuius dictum fuiſſet, *tremuit pennis.* At vero *timuit pennis*, tertio caſu, plane foret ieiunum. 506. totus locus reſonuit *ingenti plauſu*, alarum columbae debet intelligi; ſup. 215. 216 *plauſumque exterrita pennis Dat nido ingentem.* Tenuius eſſet, ſi de plauſu populi accipere malles. 507—512. *acer* Cerda ad oculorum aciem referre mavult. At eſt epitheton ornans a virtute et ſtudio omnino petitum. cf. ſup. ad lib. I, 14 et 99. *miſerandus*, σχέτλιος. *nodos et vinc.* v. l. c. Iliad. ψ, 865 ſq. 512. Ἡ μὲν ἔπειτ' ἤϊξε πρὸς οὐρανὸν, *fugit in notos et nubila*, h. e. in nubes ac coelum euolauit; mox 517 idem: *in aſtris aetheriis* ornatius; etſi in eo argutantur Macrob. III Sat. 8 et alii. Et v. 525 *liquidis in nubibus*, h. e. aere. Cerda, *fugit notos*, expl. volatu anteit notos; quod durum. Sed *fugit in*

Tum rapidus iamdudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocauit,
Iam vacuo laetam coelo ſpeculatus; et alis
Plaudentem nigra figit ſub nube columbam.
Decidit exanimis, vitamque reliquit in aſtris
Aetheriis, ſixamque refert delabſa ſagittam.
Amiſſa ſolus palma ſuperabat Aceſtes:
Qui tamen aerias telum contendit in auras,
Oſtentans artemque pater arcumque ſonantem.

515 *Tam* Franc. *telo ſpec.* Menag. pr. *iaculo* Erf. 516 *nigram* Parrhaſ. *fixit* duo Burm. Sed cum ſtudio variauit tempora. *figit nigra* Gud. 517 *relinquit* tres ap. Burm. *finiuit* Wall., addito illo. *in aſtris:* portentoſe ad noſtrum ſenſum. Aliter tamen veteres, et noſter aliquoties: v. c. IX, 76. Schrader. Obſſ. I, 3 em. *in auris.* 518 *Aeriis* alii paſſim v. Pier. et Heinſ. 520 *aerias* poſt Pier. hoc loco reduxit Heinſ. ex vetuſtiſſ. vulgo: *aetherias. telum contendit* Pierianorum ſuorumque optimorum auctoritate recepit Heinſius; vulgo alii *contorſit;* quod et Mediceo ſuperſcriptum. 521 *Oſtendens* Hugen. *artemque pater arcumque* ex Medic. aliisque praeſtantioribus repoſuit Heinſius, vt iam Pierius ex Romano aliisque ſuis. Idem Aſpri Grammatici auctoritatem memorat, Heinſius vero Marii Victorini. At alii, ſiue de metro male ſolliciti, ſiue *notos* eſt in aerem; ſic *in ventos receſſit, abiit,* et ſimilia, nota ſunt.

513—519. *rapidus* Hom. l. c. v. 870 Σπερχόμενος. rapide, confeſtim. *in vota vocauit* v. ſup. ad v. 234; fratrem Pandarum *tamquam heroem,* inuocaſſe puta; quod grauius eſt, quam ſi eius recordatione animum confirmaſſet, aut *eius Manes* inuocaſſet, vt ſibi propitii eſſent. Quod Eurytion hic facit, Merionae ars eſt ap. Homer. l. c. v. 870 ſqq.

519—531. Aceſtes, cum iam non haberet, in quo cum ceteris contenderet, certamine iam abſoluto, ne tamen omnino otioſus eſſet et arcum ſemel intentum ſagitta emiſſa laxaret, artem ſuam in eo declarat, quod longiſſime in altum euolat ſagitta. Hoc Seruius quo-

Hic oculis ſubitum obiicitur magnoque futurum
Augurio monſtrum: docuit poſt exitus ingens;

librarii errore, vel vt Aldd.: *artem pariter arcumque*, vel ex emend. Egnatii *artem pariterque a.* Inde lapſus alii poſt alios. Sic ed. Ven. *Oſtendens pariter artemque arcumque*, Bigot. et Franc. *artem paterque;* Sprot. a m. pr. *artemque patris;* Goth. tert. *artemque paternam a.;* Erf. *artemque parans.* Ceterum haec ipſa varietas lectionis, tum verſus et verborum ſtructura, dubitationem facere poteſt, an verſus e margine irrepſerit, quaeras quoque, quae tanta ars apparere poſſit in ſagitta temere emittenda? conf. tamen Notam. 522 *Hinc* duo Burm. *ſubitum* Heinſ. maluit ac repoſuit conſentiente Montalb. tert. Rottend. Scheffer. et Hamb. pr. a m. ſec. pro vulgari *ſubito.*

que voluiſſe videtur, dum ad v. 521 poetam aduerſus eos, qui eundem reprehenderent, defendit. *arcumque ſonantem*, h. e. arcus tractandi peritiam. *monſtrum magno augurio futurum.* Non primo ſtatim obtutu occurrit, quid tandem *monſtrum* hoc, mirus hic caſus, portendere debuerit; et *docuit* tamen mox *exitus;* rem igitur, *quae vere euenit*, ante oculos habuit poeta. Sunt in oſtento nonnulla (ſagitta in altum emiſſa et flamma ardens), quae ad laetum, alia (quod ſagitta ardens conſumitur quodque flamma tractum in coelo facit), quae ad triſtem euentum ducant, vnde *terrifici* vates memorati. Plerumque incenſas mox Troianorum naues reſpicere oſtentum creditur. Male. Spectauit haud dubie poeta ad bella Romanorum cum Siculis. In Sicilia Romani bello a Carthaginienſibus et Siculis, inprimis Syracuſanis, fuere petiti; ſed horum opes conſumtae bello acceptis cladibus, vt nunc ſagitta igni. Aceſtes, quippe qui vrbem Siciliae, Segeſtam, teneret, fata Siciliae nunc augurio denuntiare recte poteſt. Conferri meretur imitatio Statii VI Theb. 938 ſqq., vbi Adraſti telum, dum redit et ad eius pedes in terram fertur, infauſtum expeditionis euentum bene ominatur, et alia Silii XVI, 586 — 594. Quod ſagitta exardeſcit, haud dubie melius ad portentum poeta retulit, quam ex hyperbolica celeritatis deſigna-

Seraque terrifici cecinerunt omina vates.
Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo,
Signauitque viam flammis, tenuisque recessit
Consumta in ventos: coelo ceu saepe refixa
Transcurrunt crinemque volantia sidera ducunt.
Attonitis haesere animis, superosque precati
Trinacrii Teucrique viri: nec maxumus omen

524 *fatidici* Parrhas. *omnia* et hic corrupte libri. *carmina* tres apud Burm., sed *omina* etiam de interpretatione oraculorum et auguriorum. 526 *lamnis* Medic. a m. pr. 528 *Concurrunt* alter Hamb. Sed et ap. Aristotelem ἀστέρων διαδρομαί. v. Guell. Locum respicit Seneca I. N. Qu. 2. *cineremque v. s.* Witt. pro var. lect.

tione repetiit: vt factum est in glande plumbea inf. IX, 588. motus celeritate liquefacta. Portentum autem *ignis aerii* v. 527 sq. simile illi, quod lib. II, 693. 694, vbi v. Not. Popius consilium poetae in hoc prodigio desiderabat. v. eum ad Il. XXIII n. 45. Ad *Iulium sidus* haec referre velle, hoc est ingeniose ludere; et intercedit ipse poeta, cum *terrificos* vates appositi. 524. *Seraque t.* per se incertus et ambiguus est sensus, pro temporis, quo vates cecinere, varietate; quia tamen antecedit: *docuit mox exitus ingens*, necesse est ad tempora hoc non illa, quibus ostentum oblatum est, sed quibus euentum habuit, spectare. *Cecinerunt* est adeo h. l. interpretati sunt. *sero*, cum res ipsae euenirent, vt eas iam olim illo ostento monstratas esse dicerent. Est ergo: Etiam vates, etsi serius et iam post euentum, quem res habuit, casum ita interpretati sunt. Nec aliter acceperat Io. Fr. Gronou. Obss. in Add. p. 272. *Exitus ingens* praeclare de euentu magno ac mirabili. 527. 528. *stellae cadentes* vulgo dictae cum noctu tum interdiu occurrere solitae, vt in Hymno in Apoll. 441. sup. l. c. II, 693 et Ge. I, 365 sq. *refixa*, decidua, nam alias stellae dicuntur *fixae* esse. 530. *nec omen Abnuit Aeneas*; igi-

Abnuit Aeneas; ſed laetum amplexus Aceſten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
Sume, pater: nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auſpiciis exſortem ducere honores.
Ipſius Anchiſae longaeui hoc munus habebis,
Cratera inpreſſum ſignis, quem Thracius olim
Anchiſae genitori in magno munere Ciſſeus
Ferre ſui dederat monumentum et pignus amoris.
Sic fatus cingit viridanti tempora lauro,
Et primum ante omnis victorem adpellat Aceſten.

531 *et laetum* Rom., et hoc praeferam. *laetus* Longob. 532 *magnis cumulat* Witt. 533 *Summe* multi, vitioſe. v. Burm., qui etiam τὸ *ſumere* illuſtrat. 534 *auſpicibus* Wall. Mox vulgg. *honorem*. *honores* Heinſ. repoſuit tamquam concinnius et ſonorius. Sic Rom. et Mediceus Pierii. At in Mediceo Heinſio inſpecto et a Fogginio typis excuſo *honores* ſecunda manus in *honorem* mutauit, vt adeo haec Aproniana habenda ſit lectio. Gudianus a m. pr. *honore* ſeu *honorē* lectionem Apronianam habuit, ſed iterum mutata eſt in *honores* a m. ſec. At Hamburg. alter a m. pr. *honores*, quod et Montalb. et Goth. ſec. habet; item Palat., teſte Benedicto. 535 *hoc* deeſt Exc. Burm. 536 *Crateram* Medic. a m. pr. et Bigot., ſed Virgilius eo genere non eſt vſus. v. Burm. *quam* Hugen. a m. pr. 537 *Ciſeus* al., eſt Κισσεύς. *in* non delendum; eſt vt ſaepe ἐν, in parte, pro munere, muneris loco. 538 *Eſſe ſui* Parrhaſ. ex v. 572. δῶκε φέρειν, δῶκε δ' ἄγειν, δῶκε φορῆναι, ὄπασσε κομίζειν, ſaepe Homer. 539 *cinxit* alter Hamb. *velat* Parrhaſ. *t. myrto* Wall. et Erf. a m. pr. 540 *At p.* Leid. vn.

tur accipit tamquam laetum? certe quod ille putabat; nam claritatem nominis, famam et laudem, omnino fortunam inſignem, augurabatur ignis in aere exardeſcens. cf. Serv. ad 524. 530.

531—540. Imitatur Hom. l. c. Iliad. ψ, 616 ſqq., vbi Neſtor ſimili modo praemium extra ordinem fert. Ad *craterem* ſaltem cf. craterem Sidonium Odyſſ. o, 115. *impreſſum ſignis*, anaglyphum;

Nec bonus Eurytion praelato inuidit honori;
Quamuis ſolus auem coelo deiecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit;
Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Aeneas, nondum certamine miſſo,
Cuſtodem ad ſeſe comitemque inpubis Iuli
Epytiden vocat, et fidam ſic fatur ad aurem:

541 *praelato inuidit honoris* emend. Marklandus Epiſt. crit. pag. 106, h. e. Aceſtae praelato ſibi non inuidit honorem ſeu praemium primo loco datum. Neſcio tamen an alterum exquiſitius ſit dictum, vt transferatur a perſona attributum ad ipſum honorem; et ſi *quis* eſt *praelatus*, etiam *honos* eius dicatur *praelatus*. Sic *cedere alteri in honore*, et *cedere alterius honori*. Sed verum ne ſic quidem videram; *praeferre* poeta dixit exquiſite pro praeripere. Eſt *praereptus* honor, *praelatus*, quem ille tulit, abſtulit, prae Eurytione. 542 *coelo ab alto*. Mireris ter ita verſum clauſum, hic et v. 489 et 511. *demiſit* ed. Ven., vulgari varietate. 546 *Cuſtodemque ad ſe* c. Witt. *comitem impubentis* ed. Ven. 547 *Aepytidem* Rom, et alii libri Pier., *Epitiden*, *Ephitidem* al., vitioſe. Eſt ap. Homer. Ἠπυτίδης. cf. Heiuſ. *ad aurim* Gud. *in*

ſignis expreſſis in argento vel aere. Luxuriat in eo Statius l. c. Theb. VI, 531 — 539. *Ciſſeus*, Thracum rex, cuius filia Hecuba. cf. inſ. lib. X, 705. v. Munker. ad Hygin. f. 91. Notae ad Apollod. p. 759. De eodem Homerus Iliad. λ, 223. Locum hunc Virgilii eleganter expreſſit Ouidius in munere Anii Met. XIII, 681 ſqq.

541 — 544. *praelato honori*, hoc eſt: honori, quem alter ipſi praetulerat, praeripuerat. Aliter vulgari vſu dicitur alter alteri praelatus. *bonus* cum dilectu h. l. poſitum vt ἐσθλὸς, εὐγνώμων. *Proximus donis* (vt *proximus laude*) *ingreditur* (pro eſt), h. e. qui proximo loco praemio donatur, Mneſitheus. Haec mea ratio. At Seru. *donis* h. e. ad dona; et Cerda: *ingreditur donis*, incedit gloriabundus cum donis. Omnino eſt, quod ſup. 268. 269 *omnes donati ibant*. *Extremus* Hyrtacides.

545 — 547. Vid. Excurſ. ad h. l. *certamine miſſo*,

Vade age, et, Aſcanio, ſi iam puerile paratum
Agmen habet ſecum, curſusque inſtruxit equorum,
Ducat auo turmas, et ſeſe oſtendat in armis,
Dic, ait. Ipſe omnem longo decedere circo
Infuſum populum, et campos iubet eſſe patentis.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frenatis lucent in equis: quos omnis euntes
Trinacriae mirata fremit Troiaeque iuuentus.

aurem aliquot Heinſii libri, quod ipſe monet comicis eſſe familiare; quod tamen ſi eſt, epico ſermone minus dignum videri debet. Bene etiam Burm. monet, *in aurem* eſſe alicuius auri arcani quid inſuſurrare, *ad aurem* vero *fidam* Epytidae idem eſſe ac, ad fidum hominem. 549 *curſumque* Ven. 550 *oſtentet* Seru. ad XI, 42. 551 *Dic, ait,* ex codd. et ratione firmarunt Pier. et Ge. Fabric. Alii *Sic. In ſe omnem* Menag. pr. *longe* duo Burm. et Erf. a m. pr. *largo* Oudart. *deſcendere, deduçere, discedere* ſollenni modo variatur et hic. *discedere coetu* quatuor ap. Burm. 552 *et* abeſt a Franc. 553 *que* deeſt Parrhaſ. 555 *Trinacria emirata*

vt ἀγὼν, pro certantium ac ſpectantium turba dimiſſa: fere vt iam ſup. 286. Sed et pedeſtri ſermone fere ſic: vt apud Cic. *ante ludorum miſſionem* lib. V ad Diu. 12. *Cuſtodem comitemque,* infra v. 562 *magiſtros,* ex ſuo aeuo adſciuit Virgilius, quo nobilibus iuuenibus addebantur tales magiſtri vel cuſtodes (Horatio *reges,* vt I Od. 36, 8). Minus bene Seruius locum ex Cicerone (nunc eſt in Fragmentis) laudat, melius ſup. v. 257 et infr. VIII, 515 compares (Multis de iis egit Martorell. *Theca calam.* p. 169 ſqq.). *Epytidem* ex Homerico Periphante, Epyti filio, Iliad. ρ, 323 ſeq., adumbraſſe videtur. Ornatus verſus 550 de Aſcanio. *auo,* in ludis in Anchiſae honorem habitis. 551. *circo* de ſpatiis et loco, in quo decurſus equeſter fit, vt ſup. 289. de ſtadio.

554—556. Ornatum verborum vide in *lucent* pro

Omnibus in morem tonsa coma pressa corona.
Cornea bina ferunt praefixo hastilia ferro;

Montalb., qua lectione, seu vitio potius, Burmannus aduersus Bentleii emendationem vtitur I Carm. 5, 8 ap. Horat. 557 *gerunt* duo Heinſ. *praefixa h. ferro* Medic. Rom. et quicquid antiquiorum est codicum ap. Pier. et Heinſ. Sic quoque Erf. et noſtri Goth., niſi quod tert. *preſſa*. Tamen *praefixo* ex vulgg. edd. Hamb. pr. a m. pr. et Hugen. ſeruarunt Heinſ. ac Burmannus, qui vtramque lectionem ait habere, quo ſe tueatur. Recte quidem, ſed *praefixa h. f.* eſt magis poeticum, auri vero magis conſulitur, ſi *praefixo* legis.

vehuntur, et *mirata fremit* pro miratur, et ſic porro in aliis; vt infra: *fulgent, vagantur* etc. 556. *tonsa coma pressa corona*, coronati, et quidem, vt inf. v. 673 intelligitur, vbi Aſcanius *galeam ante pedes proiecit inanem*, corona ſuper galeam impoſita; qualis inf. VII, 751 *Fronde super galeam et felici comtus oliua*. cf. Cerda. Coma tamen vel ſic *a corona* (non a galea) *pressa* dici potuit, quatenus haec caput ambiebat. *tonsa corona*, h. e. ex arbore tonſa, cui frondes decerptae: vt inf. 774 *tonsa oliua*, vbi cf. Not. (Male ad Horat. I Carm. 7, 7 hic locus excitatur). *in morem*, ex more huius ludicri. Docta quidem, ſed importuna nota eſt Seruii ad h. l., qui etiam *coronam* de galea accipere vult, quippe quae Homero κέφανος ſit Iliad. η, 12 (ſcilicet κεφάνην dicere voluit, quae et alibi apud Homerum occurrit, et galeae proprie pars eſt frontem ambiens eminentior, qualis v. c. in Winkelm. *Monum. inedd.* n. 108). In iisdem Seruianis ſubiectum paullo poſt: *Sed alii dicunt, potuisse eos galeas habere coronatas. Baebius tamen Macer* (eius mentionem facit Seru. etiam ad Ecl. IX, 47) *dixit: a Caesare Augusto pueris, qui luserunt Troiam, donatas esse galeas et bina hastilia; ad quod Virgilium constat alludere.* Poetae igitur iudicium in his ad ſuam aetatem accommodandis declarant haec Macri verba. conf. Sueton. Octau. 43, vnde inprimis *torquem* mox non absque conſilio me-

Pars leuis humero pharetras; it pectore ſummo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tris equitum numero turmae, ternique vagantur
Ductores; pueri bis ſeni quemque ſecuti
Agmine partito fulgent; paribusque magiſtris.
Vna acies iuuenum, ducit quam paruus ouantem
Nomen aui referens Priamus, tua clara, Polite,

558 *Parsque leues* aliquot ap. Burm., non male, ſed intruſum *que* librariorum more; et tuetur alterum codd. auctoritas. *humeris* duo Burm. *pharetras humero* Goth. tert. 558. 559 Vulgata lectio h. l. ſanior eſt omnium codicum varietate nata ex depraua to *it* in *in* vel *et*, vnde mox *it* in ſequ. verſu infertum vel poſt *obtorti* vel poſt *collum* vel *Fl. it torti*. v. Pier. Heinſ. et Burm. 560 *Tres, treis, tris* legitur; hoc cum Mediceo: vt iam inde ab I, 108. *turmae numero* Rom. et Menag. pr., inconcinne. *trinique* Witt. 562 *Agmina* Rottend. pr. a m. ſec. 563 *Vana* Menag. alt. *paruos* Rom., vt et 569. 564 *Nomen qui* Franc. *Polites* Medic. a m. pr. cum tribus aliis Heinſ. et parte Pierianorum.

moratum videas. Nam 558. 559 ornate pro, torquem collo geſtabant aureum. cf. inſ. X, 137. 138. *auri obtorti*, torti; vt στρεπτός.

560—574. Pueri fuere omnino XXXVI cum trinis ductoribus, in tres turmas deſcripti: vnaquaeque turma XII capitum. Ternarium numerum ad tres P. R. tribus a Romulo inſtitutas refert Seruius; ſaltem Centurias tres equitum reſpici dicere debebat. cf. Liu. I, 13. Sed ornauit poeta locum egregie eorum, qui turmas ducebant, nominibus et equis declarandis. *magiſtris* vid. ſup. v. 546. Forte ad turmas *maiorum puerorum* reſpexit v. Sueton. Iul. 39, Octau. 33. Paruus hic Priamus Politae filius, Priami regis nepos. De Polite cf. Iliad. β, 791 et ſup. lib. II, 526 ſq. *auctura Italos*. Seruius: *Polites — de quo Cato in Originibus dicit, quod ad Italiam venerit, et ſegregatus ab Aenea condiderit oppidum* Politorium *a ſuo*

Progenies, auctura Italos; quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, vestigia primi
Alba pedis frontemque ostentans arduus albam.
Alter Atys, genus vnde Atii duxere Latini;
Paruus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.
Extremus, formaque ante omnis pulcer, Iulus
Sidonio est inuectus equo, quem candida Dido

565 *actura* aliquot Burm. 566 *bicolos* Goth. tert. *primis Alba pedes* Medic. a m. pr. 567 *arduos* antiqui et hic apud Pier. 568 In *Atys*, Ἄτυς, aberratur *Atis*, *Attis*, et in Gud. *Atus;* et in altero *Atii*, variatur, in Rom. Medic. a m. sec. ac Reg. *Atyi*, in al. *Attii*, *Atti*, *Ati*, *Aci*, et in Goth. sec. *Alii*. Pro *Atti* h. e. *Attii*, pugnat Pierius, codicum et marmorum auctoritate: antiquiorem auctoritatem pro *Atia gente*, vna consona scripta, attulit Heins. ad h. l. Nota illa gens, ex qua Caesaris Octauiani mater oriunda fuit. cf. ad Dion. XLV pr. Praeferam tamen h. l. ex vetere more *Atī*. *dixere* emendatum in Medic., vt alibi. 569 *puero multum d.* Bigot. *delectus* et hic pr. Rottend. ac Medic. 570 *formam* Medic. a m. pr. graeca forma, quae placet Heinsio et Burm. *forma ante omnes est* Menag. pr. *ante o. formaque* Exc. Burm. 571 *Sidonioque inu.* tres ap. Burm. *Sidoneo* scribunt nonnulli, vt *aethereus* pro *aetherius*. vid. Pier.

nomine. Paullo post in *equis* v. 565 sq. argutantur Intpp. *albas maculas* mox in aliqua praecipua parte declarari puta, in pedibus, quos poetica ratione, *primi vestigia pedis*, dixit, et in fronte. Sunt qui putent, Homerum Iliad. Ψ. 453 poetae ante oculos fuisse. 568. Atiam gentem memorauit propter Atiam, Augusti matrem. v. Seru. et ad eum Burm. it. Heins. ad h. l. cf. vel Suet. Octau. 4. *Latini* simpl. pro Romanis, vt saepe al. Heinsius eo refert, quod Atii Aricia erant oriundi. Neque illa temere adiecta: *pueroque puer dilectus Iulo:* vt iam tum concordiae inter Atiam et Iuliam gentem tamquam prima semina iacta sint: cf. Eckhel Doctrina numor. Vol. V, p. 145 de numis gentis Atiae. 571. *Si-*

Esse sui dederat monumentum et pignus amoris.
Cetera Trinacriis pubes senioris Acestae
Fertur equis.
Excipiunt plausu pauidos, gaudentque tuentes
Dardanidae; veterumque adgnoscunt ora parentum.
Postquam omnem laeti consessum oculosque suorum
Lustrauere in equis: signum clamore paratis
Epytides longe dedit, insonuitque flagello.
Olli discurrere pares, atque agmina terni

573 *Trinacriae pubes* plerique Pier. et sic Medic. cum al. Heins. ac Burm. Ers. binisque Goth. *Trinacrii* Rom. cum Menag. pr. et pr. Rottend. Sed *equis* deberi epitheton, non est quod dubites. 575 *ruentes* vitium ed. Dan. Heins. v. Burm. 576 *corda p.* tres Burm. 577 *omnes* alter Menag. *concessum*, *consensum* et hic aberratur. *oculique* alter Hamb. a m. pr. 578 *parentis* Medic. a m. pr. 580. 581 *Deductis* scriptum in Rom. Medic., et al., forte doctius pro *ductis* simpliciter. Sed de aberratione satis constat. Vide modo v. 569 *delectus* in eodem Mediceo. Porro *ternis* codd.

donium equum dicere potuit etiam qui ex Africa esset. Nam Phoenicios equos non memini narrari; nec tanti res erat, vt curiosius in eam inquirerem; nec Phoeniciae solum equis alendis idoneum. 572. *esse* e Graecismo abundat: ὧπερ ξεινήϊον ἔναιε. 573. Curiose haec adiecta sunt; alioqui enim quaeri poterat, vnde Troianis classe aduectis, inprimis ista aetate, tot equi suppetere potuerint.

575. *pauidos.* Seruius: gloriae cupiditate sollicitos, vt III Georg. 106 *Corda pauor pulsans.* cf. Silius XVI, 431. 514. 479. Nec tamen iniucunda res, si puerilis aetatis ingenuam verecundiam exprimi putes. Mox eos cogita longo ordine incedentes campum in orbem obiisse.

580 sq. Hunc locum cum subiuncta comparatione e pulcerrimis esse puto viuida ad sensum repraesentatione

Diductis ſoluere choris, rurſusque vocati
Conuertere vias, infeſtaque tela tulere.
Inde alios ineunt curſus aliosque recurſus
Aduerſis ſpatiis, alternisque orbibus orbes
Inpediunt, pugnaeque cient ſimulacra ſub armis;
Et nunc terga fuga nudant; nunc ſpicula vertunt
Infenſi; facta pariter nunc pace feruntur.

Pier. cum quatuor Heinſ. et vno Burm. ac Goth. ſec., quod malebat Pierius. Sed bene monet Heinſius, legendum tunc eſſe: *agmina ternis Diducti ſ. choris;* nec vidit Pierius *terni* etiam exquiſitiorem orationem efficere. 582 *inſtructaque* Medic. Pier. *dedere* Witt. a m. pr. cf. Burm. 583 *curſus ineunt* Ven. a m. pr. *aliosque reuerſus* Wall. a m. pr. 584 *Auerſis* Zulich. *Aduerſos* Erf. *Aduerſi* poſt Pierianos nonnullos Exc. Burm., quod probat vir doctiſſimus. Enimuero v. Not. *alternisq.* Heinſ. recepit Pierio, puto, obſequutus et parti codicum, quorum princeps Romanus. At Mediceus cum ceteris *alternosq.*, quo variatur oratio. 586 *fuga* recte ſecundum rationem et praeſtantiores codd. Rom. Medic. aliosque praetulit Heinſ. Vulgo *fugae*, quod non bene relictum Silio in ſimili loco XVII, 445; non enim *fugae*, τῇ φυγῇ, nudat quis tergum, ſed, dum fugit, fugiendo, *fuga*, tergum nudat. *verſant* Gud. pro diu. lect., et pr. Rottend. *verrunt*, at Rom. *torquent*, cum Goth. ſec., tamen lapſu potius, etſi nec infelici, quam conſilio. 587 *pariter facta* Parrhaſ. *fruuntur* tres ap. Burm. cum edd. Ald. Iunt.

rei ad eloquium difficilis. Occupatus fuit in hoc ludo declarando atque etiam delineando Ge. Henr. *Nöhden* noſter *(in Erklärenden Anmerkungen zur Aeneis:* Claſſ. Encyclop. P. V. Vol. I. p. 332 ſq.) *pares* loco, ordine eodem, vt ſup. v. 114. *terni* tamen, h. e. ternis diverſis turmis, quas *choros* appellat, discedunt, aut, terni quique inceſſerunt, ita vt duodecim eſſent cateruae, trium vnaquaeque puerorum. mox iterum coeunt, *vocati*, a ducibus. *infeſta tela tulere*, vt alias *ferre ſigna infeſta*, inferre vel tenere, habere, gerere. conf. etiam Burm.; mox v. 584 *Aduerſis ſpatiis*, h. e. quibus ipſi

Vt quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum caecis iter, ancipitemque
Mille viis habuisse dolum, qua signa sequendi 590
Falleret indeprensus et inremeabilis error.

588 *Crete* Wall. a m. pr. *Cretae altae* Seru. apud Burmann. 589 *Abietibus* cod. Thuan. Macrobii V Sat. 14. *textis* Parrhas. *textus* Ven. 590 *Millenis h. d.* Goth. sec., praue. *domum* tres ap. Burm. Sed *dolus* eleganter. v. Not. *Mille dolis h. viam, quae s. s.* Parrhas. *quo signa* Bigot. 591 Agnoscas et hic duplicem codd. sectam: Rom. cum codd., inter quos Goth. alter, parte, *Frangeret*, forte tamen illud primum ex librarii lapsu natum. Etiam Donatus interpretatur: *fregerint flexus*. Sed melius Medic. cum aliis: *Falleret* — quippe, *error*. Seruius vtrumque prodit. *indeprehensus* al., vt solet.

aduersi h. e. obuii inuicem sibi facti iterum deflectunt se et in nouos gyros discurrunt. *alternis orbibus orbes Impediunt* praeclare, cum variis flexibus subeunt se inuicem saltantium ordines, seque miscent et implicant. v. 585. dictio Lucretiana facile agnoscitur ex eius Lib. II, 41 et 324 *belli simulacra ciere. sub armis*, vt saepe apud poetam pro, *armati*.

588—591. Non poterat Virgilius superare vel assequi locum Homeri, quem inter pulcerrimos primum excitandum credo, Iliad. σ, 590 sqq. ad 605 de Daedali choro. Rem itaque sapienter traduxit ad similem rem, Labyrinthum, quem ea cum arte effinxit, vt inter eius flexus legendos ipse quasi errore ferri videaris; ita implexa ipsa verba, quae Plinii animo obuersata puto in Labyrintho lib. XXXVI, 12, s. 192, vti ipse Virgilius Catulli memor fuisse videtur n. LXI, 112—115. *Creta in alta*, cf. mox lib. VI, 23 propter Idam et alios montes; quamquam et omnis insula *alta* est, quippe mari altior. *Parietibus caecis* h. l. qui visum ac prospectum intercipiunt, vt totum iter, qua pateat, aestimare nequeas. Ouid. in loco cum hoc comparando VIII Met. 158 sqq. *caeca tecta* dixit. Cuiacius Obss. I, 30 a Burm. laudatus *caecos parietes* esse sine se-

Haud alio Teucrum nati vestigia cursu
Inpediunt, texuntque fugas et proelia ludo,
Delphinum similes: qui per maria humida nando
Carpathium Libycumque secant, *luduntque per vndas*. 595
Hunc morem, hos cursus, atque haec certamina primus

592 *Haud alio* elegantius ex Medic. et pr. Moret. reposuit Heinsius. At alii cum Romano *aliter*. *nati Teucrum* Gud. 595 Malim aliquem codicem habere: *Libycumue*. Etsi non ignoro, esse qui dubitent de hoc discrimine inter *ve* et *que;* et ista maria, quippe contermina, passim iungi; v. c. Iuuenal. XIV, 278, vel permutari, v. c. Georg. IV, 387, et in vtroque delphinas vagari. Mox *luduntque per vndas* deerat Oblongo Vatic. et aliquot aliis Pier. Mediceo a pr. m. Gud. et aliis Heinf. et Goth. tert. cum Erf. Laciniam inepti esse Grammatici per se patet. 596 *Hunc morem cursus* vulgo codd. ap. Pier. Heinf. et Burm. et sic tres Goth. et primo loco Romanus. *Hunc m. hos c.* elegantius iam olim a Rob. Stephano inde editum; vt iam legitur in Aldd. prioribus, etiam in

nestris docuit; sed hoc est ICtum interpretari, non poetam. *dolum* h. e. iter dolosum, fallens. *signa sequendi*, procedendi, vt poetis ἕπεσθαι, *sequi*, pro *ire*, h. e. notas viae et itineris, qua erat incedendum redituro. Ouid. l. c. Daedalus *turbatque notas, et lumina flexum Ducit in errorem variarum errore viarum.* cf. inf. VI, 27 sq.

592—595. *vestigia impediunt*, cursus flexus implicant. *per maria humida* (ὑγρὰ κέλευθα θαλάσσης ap. Homer. huc vocat Seruius) *nando Carpathium Libycumue* (conf. V. L.) *secant luduntque per vndas*, videtur aliquid otiosi esse in hac verborum copia; etsi bene video marium denominatione rei dignitatem increscere. Ouid. de delphinis III Met. 685 *Inque chori ludunt speciem, lasciuaque iactant Corpora, et acceptum patulis mare naribus efflant;* et qui anteiuit Apollon. Rh. IV, 933 sqq.

596—603. *Hunc morem— Retulit*, innouauit, vt Seru.,

Ascanius, Longam muris quum cingeret Albam,
Retulit, et priscos docuit celebrare Latinos,
Quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes.
Albani docuere suos; hinc maxuma porro
Adcepit Roma, et patrium seruauit honorem;
Troiaque nunc, pueri Troianum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus sancto certamina patri.

Egnatiana recensione. Pro ea lectione codicem suum laudat Ge. Fabric., at Heinsius sec. ac tert. Moretanos cum Mediceo, qui tamen, vt a Fogginio editus est, alterum exhibet. 597 *quum conderet* Gud. pro var. lect. 598 *Rettulit* vulgg. *retulit* h. l. Burmannus reuocauit, non e ratione grammatica, quam vir doctiss. Io. Schraderus Emendatt. praef. p. XLII constitutam esse voluit in *retulit, reperit, repulit*, verum laudato cod. Gudiano. Desidero omnino constantiam in his ac similibus, v. c. *Iupiter*, quod *Iuppiter* exaratur. Si ad morem veterum scribendum est, equidem litteram male geminari puto scriptura; etsi pronuntiatione id fieri necesse est. Si tamen gemines, semper et vbique ista ratio est sequenda. *in priscos* Goth. pr. 599 Versus molestus. *ille* Wall. *secum cum T.* pr. Hamb. Olim distinguebatur: — *Latinos. Quo puer — pubes, Albani d.*, vt adeo esset: *Quo puer — pubes* sc. celebrauerant haec certamina, *docuere Albani suos* illa celebrari. Melius sic interpungas, vt fecimus: *Retulit et p. docuit celebrare Latinos, Quo puer ipse modo, s. q. T. pubes* (sc. celebrauerant. Hinc) *Albani docuere suos* etc. 600 *hunc* Oudart. a m. sec. Goth. tert. 602 *pueri et Tr.* ed. Ven. *dicimus* Doruill. *ducitur* Leid. 603 *sacro* Bigot.

repetiuit. *priscos Latinos* h. l. vt *antiqua Italia*, et sic *Latium antiquum* inf. VII, 38. Aliter *prisci Latini* in historicis et geographicis, dum antiquum Latium et nouum iuxta ponitur. 598. *docuit celebrare eo modo, quo* ipse celebrauerat. v. V. L. 601. *honorem*, ludum ab origine sua in Anchisae honorem institutum. 602. Pro vulgari, quod ex Suetonio de puerorum lusibus Seruius laudat: *Lusus ipse, quem vulgo Pyrrhicham appellant, Troia vocatur*, poeta dixisse videtur exquisitius: et nunc honor ille, seu ludicrum, *Troia, agmen*

Hic primum Fortuna fidem mutata nouauit.
Dum variis tumulo referunt sollemnia ludis:
Irim de coelo misit Saturnia Iuno
Iliacam ad classem, ventosque adspirat eunti,
Multa mouens, necdum antiquum saturata dolorem.
Illa, viam celerans per mille coloribus arcum,

604 *Hinc* multi Pier. et Heins. ac Burm. *vocauit* Goth. tert. a m. pr. 607 *inspirat* pr. Hamb. a m. sec. et Sprot. 608 *monens* Montalb. et ed. Iunt., solito lapsu: *saturata* codd. Pier. et suorum ac Arusiani Messii auctoritate sonique suauitate recepit Heins. Vulgo *exsaturata*. 609 *celebrans* Medic. et Zulich., noto sphalmate. *pro* Erf.

autem *Troianum* appellantur pueri; Alii sic: *pueri*, Troianum hoc puerorum agmen, *Troia* appellatur; at alterum lenius.

604 sqq. Nouum auertendi Troianos ab Italia consilium Iunonis, incensis nauibus; ad ductum historiae etiam hoc, etsi variis modis fuit narratum. v. Excurs. VI ad h. l. Sed poetam decebat haec ad deae Troianis infestae machinationes referre. Quod Iridis ministerio vtitur Iuno, Homeri exemplo fit. v. sup. ad IV, 694. Apud eundem Iliad. ψ, 198 sq. ad Ventos ea mittitur, vt Patrocli rogum illi flamma inuoluant. Argutatur Seruius in caussa reperienda, cur Iridis maxime ministerio h. l. poeta vtatur, et affert aliena a poeta. Iunoni enim ministra Iris data est more sollenni, non Mercurius. Transitum a laetis ad tristia, adeoque delectationem ex rerum varietate, facile vnusquisque obseruet. conf. Trapp. ad h. l.

604—610. *mutata nouauit*, pro mutauit, ornate. Manil. IV, 580. *Scilicet in piscem sese Cytherea nouauit*. Fortunae autem *perfidia* ac *fides* proprio aliquo modo tribuitur, quatenus fallit spem vel sustentat constantia aut leuitate sua. *ventos adspirat eunti*, praeclare pro, volantem incitat, properare facit; quod optime fit vento secundo alis

Nulli visa, cito decurrit tramite virgo.
Conspicit ingentem concursum, et litora lustrat,
Desertosque videt portus classemque relictam;
At procul in sola secretae Troades acta
Amissum Anchisen flebant, cunctaeque profundum
Pontum adspectabant flentes. Heu tot vada fessis,
Et tantum superesse maris! vox omnibus vna.

610 *orto* pro *cito* Sprot. *d. tr. Iuno* Erf. a m. pr. 611 *confessum* Medic. a m. pr. et Moret. sec. *cursum* Franc. et Sprot. *occursum* Wall. Mox nescio an melius legas *vt;* nam *et litora lustrat* inter reliqua otiosum esse videtur. Igitur coni. *decurrit virgo; conspicit ing. concursum. Vt* (vbi) *litora lustrat: Desertosque — classemque relictam.* 612 *classimque* Sprot. vid. sup. ad III, 5. 613 *Et* vel *Haud* nonnulli; item *Troeades* vel *Troiades*, ac Medic. *secreta T. actae.* 615 *Portum* Goth. sec. *spectabant* Medic. *exspectabant* Voss. pr. ac Ven., quod Heins. interpretatur: secunda nauigationi tempora. Alii apud Seru. *flentes heu t.* iunxere.

immisso. Ad Mercurium Iupiter sup. IV, 223 *Vade age, nate, voca Zephyros et labere pennis.* Sunt autem modi volatum declarandi varii apud poetas. modo *fertur aliquis vento*, vt et apud Homer. πέτετο πνοιῇσ' ἀνέμοιο. modo volat ἅμα πνοιῇσ' ἀνέμοιο apud Homerum et Hesiodum, quod redditum erat supra IV, 241: Mercurium talaria *sublimem alis*, volantem, *rapido pariter cum flumine portant* seu vt aequet ventum, seu vt volet vna cum vento; nam vt sit volat tam celeriter quam ventus, seu, vt reddunt similiter ac ventus, repugnat vsui loquendi τοῦ ἅμα et τοῦ *pariter cum.* Mox illius volatus declarabatur: *agit ventos et nubila tranat*, findit aerem, qua peruolat, et agit, mouet, ante se. *multa movens:* sup. III, 34 *multa mouens animo*, voluens; machinata. X, 890 *Multa mouens animo iam tandem erumpit.* Porro *necdum antiquum saturata dolorem.* Erant sup. I, 25 sq. expositae caussae; et hinc I, 4 *memorem Iunonis ob iram* erat dictum. Iterum inf. 781 *Iunonis grauis ira nec exfatura-bile pectus.* 610. Laudat

Vrbem orant; taedet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias ſeſe haud ignara nocendi
Coniicit, et faciemque deae veſtemque reponit:
Fit Beroe, Tmarii coniunx longaeua Dory-
cli; 620

617 *pelagi conuexa tueri* Ven. ex ſup. IV, 451. 618 *medios* Goth. ſec. 619 *Miſcuit et f.* Goth. ſec. *Coniecit f.* duo Burm. *vultumque r.* Doruill. 620 *Fit decor et varii* Wall. a m. pr. *Veroe* paſſim ſcribitur. *Iſmarii* vulgata lectio ante Heinſ. e recentioribus (etſi et Seruius agnoſcere videtur) petita erat libris; *Tmarii* Heinſius reſtituit, etiam librorum auctoritate, in quibus vel *Tmarii* diſerte, vt etiam in Rom. ſuit, in Medic. a m. pr. *Mari*, a ſec. *Tmarii*. In cett. *Marii*, *Tinarii*, *Timarii*, *Tarii*, *Thiari*. v. Heinſ. ad h. l. et cf. ad Ecl. VIII, 44, vbi ſimilis error inſederat edd.; videtur adeo ex *Marii* ab interpolatore *Iſmarii* factum eſſe. Pompon. Sab. ad h. l. „*Marii* forte *Iſmarii Dorycli*, Thracii, ab Iſ„maro monte Thraciae. Mihi non placet; nam antiqui codices *Ma„rii* habent, et haec Beroe in Sicilia manebat. In Bucolicis Apro„nianus ait: Maros mons Thraciae, vbi Maro vinum dedit Vlyſſi, „et Probus in commentariolo Georgicorum facit mentionem.“ Vides vera falſis mixta eſſe. *Tmaros* in finibus Dodonae Epiri mons erat: Τόμαρος. Τμάρος. conf. Steph. Byz. Interea velim Heinſium docuiſſe, quomodo inter *Troïanas* mulieres eſſe potuerit vxor *Dorycli*

Cerda locum Ouidii: *et remeat per quos modo venerat arcus*, Met. XI, 632. *cito tramite*, exquiſitius quam curſu, volatu.

611—617. *concurſum* vide ſup. 106. 107. *deſertos portus* vid. ſup. 286. 287. Quod ludis non interſunt mulieres, ſed ſolitario in littore deſident, ex antiqua decori ratione et moris ſeueritate fit, quam tamen inter Graecos quoque ſerior vſus temperauit. Sed et illae *Anchiſen flebant*, inferiis igitur adhuc operantes. cf. inf. 652. Bene ad miſerationem: *Pontum adſpectabant flentes;* et quod ſtatim querelas ſubiungit; *heu tantum viae ſibi Et tantum ſupereſſe maris*. 617. *Vrbem*, ſimpl. ſedem.

618—622. *veſtem*, verſicolorem, qualis alias Iridi tribuitur. Attamen ſupra de Venere quoque I, 404 *pe-*

Cui genus, et quondam nomen, natique fuissent;
Ac sic Dardanidum mediam se matribus infert:
O miserae, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad letum patriae sub moenibus! o gens

Tmarii, a *monte Epiri* appellati. At *Ismarii* alicuius *e Thracia* oriundi, cum multa Thracum et Troianorum memorentur fuisse commercia, vxor interesse facile potuit. Hactenus vtique alterum hoc haud dubie verius. Sunt forte, quae et his reponas. Aeneam etiam Dodonam adiisse, a nonnullis fuit traditum. v. Excurs. de Aeneae Errorr.; et ipse poeta noster, qui escensionem ad Buthrotum factam sup. III, 293 sqq. narrauerat, sub discessum ab Epiri littore v. 470. 471 inter Heleni munera hospitalia: *Addit equos, additque duces. Remigium supplet, socios simul instruit armis;* quod infra v. 646 eadem Beroe *Rhoeteia* appellata, nil repugnare; esse docte dictum pro *Troiana*. Locus tamen vel sic inter eos referendus, in quibus ratio critica, quatenus in librorum vsu versatur, aliam lectionem, aliam rerum ratio et iudicii subtilitas defendit. *Ismarium* hominem etiam requirit Beroes auctoritas, quam Troia profecta matrona habere potuit, non ea, quae in itinere fuit allecta. *Ismarii* etiam defendere video sagacem virum Ouwens Noct. Hag. p. 624. Doryclus nothus Priami filius memoratur Homero Iliad. λ, 489. 621 *Quot etiam quondam nati nomenque f.* ed. Ven., male. 622 *Dardanium* aliquot Pier. cum Wall. et Goth. tert. *manibus* Goth. pr. *offert* alter Hamb., at v. Burm. 623 *Achaia* tres Heins. cf. ad II, 462. 624 *Traxerat* Sprot. *Troiae sub* Goth. sec.

des vestis defluxit ad imos
Et vera incessu patuit dea:
vt adeo etiam, tamquam ex deabus vna, suam pallam haberet. Iris *fit Beroe*, vt Laodice apud Homer. fit, Iliad. γ, 121. *Cui* siue ad Doryclum siue ad Beroen referas, parum interest. Hoc alterum forte melius, siquidem in feminae auctoritate nunc res posita. Vix tamen feminae *nomen* tribui potuit. Praestat ergo ad maritum referre, *genus*, nobilitas h. l. v. Burmann., quem indigneris operam et chartam in Harduino refellendo perdere. Georg. II, 240. *Salsa tellus — nec Baccho genus seruat. fuissent* pro *Cui fuerant*.

623—640. Artem agnosce, quod miseratione animis se insinuat, antequam ad consilium suum proferendum descendit. In vs. 623 seq.

Infelix! cui te exitio Fortuna reseruat?
Septima posi Troiae excidium iam vertitur aestas:
Cum freta, cum terras omnis, tot inhospita saxa
Sideraque emensae ferimur; dum per mare magnum
Italiam sequimur fugientem, et voluimur vndis.
Hic Erycis fines fraterni, atque hospes Acestes:

625 *exitium* Gud. a m. pr. Witt. 626 *volutur* Menag. pr. 627 *iam terras* Rottend. tert. *terras* aberat a Voss., et mox erat *saxis*. Sane quidem *saxa* parum commode subiiciuntur, inprimis inter *terras* et *sidera*. Puta tamen poetam *littora* commemorare voluisse, et quidem barbararum terrarum. 628 *ferimus* nonnulli. Sed vid. Heins. ad III, 268. *tulimus* Rom. et Menag. pr., non improbante Burmanno. Sed alterum ex poetica consuetudine. 629 *volvimus* Doruill., fraude librariis sollenni. 630 *Hic fr. E. fines* Parrhas.

sententia fere qualis sup. I, 94 sq. et III, 321. 626. *Septima post Troiae excidium aestas*. Sic et I, 755. conf. Excurs. II ad lib. III. 628. „*Sidera* aut tempestates ait, quae ortu vel occasu siderum saepe nascuntur, aut prouincias, quae sideribus subiacent, vt Ecl. X, 68 *Aethiopum versemus oues sub sidere cancri.*“ Haec Seruius. Exemplum quidem parum idoneum, sed de acceptione vocis h. l. in hunc sensum non dubito; vt terras diuersis caeli plagis subiectas intellexerit, posi *freta*, *terras*, *saxa*, h. e. littora saxosa. Porro *emensae ferimur*, plenius quam emensae sumus. Mox *mare magnum* simpl. vastum, immensum, nil amplius. *voluimur vndis*, grauiter pro, nauigamus. Non adeo dissimilia his versibus sunt inf. VI, 58 seq. *magnas obeuntia terras Tot maria intraui duce te, penitusque repostas Massylum gentes, praetentaque Syrtibus arua* (vt h. l. saxa): *Iam tandem Italiae fugientis prendimus oras*. 630. v. sup. ad v. 24. *iacere muros*, exquisite pro ponere, duce-

Quid prohibet muros iacere, et dare ciuibus vrbem?
O patria, et rapti nequidquam ex hoſte Penates,
Nullane iam Troiae dicentur moenia? nusquam
Hectoreos amnis, Xanthum et Simoenta, videbo?
Quin agite, et mecum infauſtas exurite puppes. 635
Nam mihi Caſſandrae per ſomnum vatis imago
Ardentis dare viſa faces. Hic quaerite Troiam;
Hic domus eſt, inquit, vobis. Iam tempus, agi res;
Nec tantis mora prodigiis. En quatuor arae

631 *Quis* paſſim in libris. Sed *quid* e melioribus praeferunt Pier. Heinſ. Adde Romanum. At Medic. *Qui* et *muro;* et a m. ſec. *Quis* et *muros*. In Goth. tert. verſus imperfectus erat relictus *Quis prohibet muros?* 632 *et* abeſt a nonnullis. Duo Heinſ. *O patrii*. Apparet adeo ab initio *O* excidiſſe, mox diuerſimode ſuppletum; et verum eſſe: *O patria o rapti*. Hoc etiam Macrob. VI Sat. 6 laudat. 633 *ducentur* alter Hamb., quod placet Burmanno. Scilicet ſi ea communis librorum lectio fuiſſet, vnusque contra *dicentur* exhibuiſſet, praetuliſſet ille viciſſim hoc. *dicentur* eſt exquiſite dictum pro *erit*, vt Homericum: σήν τε κεκλῆσθαι ἄκοιτιν. *nunquam* Rom. 634 *H. manes* Rom. et Sprot. a m. ſec. *et* abeſt a Montalb. 635 *infauſtas et mecum* tert. Rottend. 636 *per ſomnum Caſſ.* Goth. tert. et Lutatius ad Stat. IV Theb. 133. *noctis imago* Montalb. 638 *nobis* tres Burm. *nunc* ante Heinſ. cum vno Pier. *agit res* Rom. cum aliis Pier. et Statii Schol. *agit rem*, praue. *tempus agi*, eſt agendae rei. Alii diſtinguunt: *Hic domus eſt, inquit; vobis iam t.* Doruill. *inquit, vbi tempus agi res.*

re; vt vulgo *fundamenta iaci* dicuntur. 634. *Hectoreos amnes*, exquiſitius quam, Troianos, vt et alias. Ad ſenſum verſus cf. lib. III, 349 ſqq. ſcilicet, non continget, vt noua Troia alicubi nobis condatur? cf. Excurſ. I ad h. lib. 635. Somnium hoc praeclarum et conſilio accommodatum poetae commentum. 639. *tantis prodigiis*, rei per ſomnum tam manifeſte monſtratae. *arae Neptuno*. Forte Anchiſae aras potius expectabas. Sed, vt nunc eſt, ante ludos funebres commiſſos ſa-

Neptuno. Deus ipſe faces animumque miniſtrat.
Haec memorans, prima infenſum vi conripit ignem,
Sublataque procul dextra connixa coruſcat,
Et iacit. Adrectae mentes, ſtupefactaque corda
Iliadum. Hic vna e multis, quae maxuma natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroe vobis, non haec Rhoeteia, matres,
Eſt Dorycli coniunx. Diuini ſigna decoris,

640 *ipſe facer* Parrhaſ. *ſtammamque miniſtrat* Ven. a m. ſec. et Rom. *animamque m.*, male. *animum* eſt conſilium, inuentum hoc. At Pierius de audacia accipit; nec id male. 641 *ſubito inf.* Doruill. *infeſtum* Medic. Pierii cum aliquot Burm. *incenſum* Wall. et Witt. 642 *ſubnixa* pr. Hamb. *connexa* alter a m. ſec. *conniſa* Goth. ſec. 643 *abrectae, arreptae* duo Burm. 645 *Pirgo, Phirgo* ſcribitur. Πυργὼ erat. *nat. maxima nutrix* Goth. tert. 646 *nobis* ſex apud Burm. *nobis, nobis Rh.* duo ibidem. *Rhoeteia mater* duo alii, vitioſe.

cra debent eſſe facta Neptuno, vnde aris adhuc titiones ardentes ſuppetebant; dicas, quorſum? forte ad placandum deum et ſecundam nauigationem expetendam. Quorſum autem quatuor? Seruius: *quatuor, quia ſinguli duces nauium* (v. ſup. 115), *qui certauerant, ſingulas poſuerant — alii tamen dicunt a Cloantho eſſe poſitas, qui promiſerat ſe daturum* (ſup. v. 233 ſqq.). Adde Pompon. Sab. Non expedio equidem numeri cauſſam, nec refert.

641—643. Ornata oratio, vtpote in re, quae miratione nem facere debet. Eſt autem ea cauſſa poetae cur ornet, ſi phantaſma aliquod in mentem alte deſcendere vult. *connixa coruſcat et iacit* pro iacit ſimpl. Fert autem ita res, vt, dum vibras titionem, motu ipſo flamma vires ſumat. 647 ſq. cf. ſup. Excurſ. XIII ad I, 402. Seruius ad h. l. *Non eſt diſſuaſio, vt quidam putant,* (ſcil. ne credant feminae hanc eſſe Beroen neque ei fidem habeant) *ſed magis hortatur*

Ardentisque notate oculos; qui spiritus illi,
Qui voltus, vocisue sonus, vel gressus eunti.
Ipsa egomet dudum Beroen digressa reliqui
Aegram, indignantem, tali quod sola careret
Munere, nec meritos Anchisae inferret honores.
Haec effata.
At matres primo, ancipites, oculisque malignis
Ambiguae, spectare ratis, miserum inter amorem
Praesentis terrae, fatisque vocantia regna:

648. 649 *Splendentesque n.* Goth. sec. *quis* et *quis* vel *qui* et hic multi codd. et edd., vt passim alibi. v. Burm. *vocisque* etiam multi cum Medic., item *et gressus* aliquot (v. Pier.) Copulatiuae sane particulae, non disiunctiuae, requiruntur. Nondum tamen exploratum satis, an ipsi poetae vsum variauerint. *vt g.* Goth. pr., et maior pars *euntis.* 650 *degressa* tres ap. Burm. 651 *quo* aliquot Pier. *quae* alii, non ineleganter. 652 *ferret* Exc. Burm., sed *inferre* vocab. proprium. 653 *Est effata* Puget. *Haec est fata* Doruill., vt codd. ap. Pier. Totum hemistichium exciderat Goth. tert. Potest sane his verbis bene carere contextum. 654 *primum* Goth. sec. *malignae* Rom. 655 *Ambiguas* Wall. *Ambiguae* Witt. 656 *terras* Rom. cum aliis Pier. *factisque* alter Hamb. *vacantia* Zulich. a m. sec.

perfuadendo, numinis auctoritate. Sed idem *spiritum* male de odore accipit. Nam ad dignitatem spectat: h. spiritus altus, magnus; sensus, adeoque gestus, et oris species, maiestatem habens et numen. 651. *tali munere,* sacrificio et inferiarum caerimoniis tam sollennibus; vt ipse poeta interpretatur: *nec meritos Anchisae inferret* (voc. proprio) *honores,* inferias.

654 — 658. *oculis malignis,* h.l. simpl. toruis, transversis, quales alias maligni animi signum esse solent. *fatis vocantia regna,* vt *fata vocant, terrae vocant* sup. I, 610; ita nunc exquisitius *regna vocant fatis,* oraculis, vel ex fatorum ordine. *paribus,* pariter libratis, *alis*

Quum dea se paribus per coelum sustulit alis,
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Tum vero adtonitae monstris, actaeque furore,
Conclamant, rapiuntque focis penetralibus ignem;
Pars spoliant aras, frondem ac virgulta facesque
Coniiciunt. Furit inmissis Volcanus habenis
Transtra per et remos et pictas abiete puppis.
Nuntius Anchisae ad tumulum cuneosque theatri
Incensas perfert nauis Eumelus; et ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare fauillam.

657 *Tum* Leid. et ed. Ven. cum Medic. Pierii et Erf. 659 *monstrisque* Parrhas. 660 *locis* alter Hamb. *focios* aberrat Goth. pr. 661 *frondesque* Hamb. pr. 662 *inuissis* sec. Moret. 663 *pictas abiete puppes* varie tentabat Io. Schrader. *factas. textas.* et *aggere.* 664 *cumulum* alter Hamb. 666 *Perspiciunt* Goth. alt. *in nubem*

v. sup. IV, 252. conf. Iliad. ε, 778. *secuit arcum*, secando aerem fecit arcum, aut, quod malim, ductum ex τέμνειν ὁδὸν, θάλασσαν, ἀέρα, petitum ab agrorum sulcis; vt sit, *incessit per arcum.* Nam per arcum, tamquam tramitem, euolare debuit. cf. sup. 609. 610.

659—663. *focis penetralibus*, focos penetrales dixit, qui in penetralibus (locis seu sacrariis) sunt; recte Donatus: ex interioribus partibus (domorum proximarum) incendia rapiebant. opp. *arae* quatuor v. 639. 662. Praeiuerat iam Lucret. V, 784. 785 *Arboribusque datum est Crescendi magnum immissis certamen habenis;* imitatus hoc Silius IV, 682. 683, adde XVII, 96. (ex) *abiete puppes*, (ἐξ ἐλάτης pro νῆες ἐλάτιναι), *pictae*, vel colore inductae, vt ap. Homer. μιλτοπάρηοι, vel propter pictam tutelam in puppi aut parasemon in prora pictum. conf. Cerda et Heins.

664—669. *cuneos theatri:* locum consessus; v. sup.

Primus et Aſcanius, curſus vt laetus equeſtris
Ducebat, ſic acer equo turbata petiuit
Caſtra; nec exanimes poſſunt retinere magiſtri.
Quis furor iſte nouus? quo nunc, quo tenditis, inquit,
Heu miſerae ciues? non hoſtem, inimicaque caſtra
Argiuum; veſtras ſpes vritis. En, ego veſter
Aſcanius: galeam ante pedes proiecit inanem,
Qua ludo indutus belli ſimulacra ciebat.
Adcelerat ſimul Aeneas, ſimul agmina Teucrum.
Aſt illae diuerſa metu per litora paſſim
Diffugiunt; ſiluasque, et ſicubi concaua ſurtim
Saxa, petunt. Piget incepti, lucisque; ſuosque
Mutatae adgnoſcunt, excuſſaque pectore Iuno eſt.

Bigot. a m. ſec., ex interpretatione. Forte *in* elegantius abſit; ſed in talibus nihil nouandum: quandoquidem vix certam aliquam rationem tenes. 669 *exanimis* Medic. a m. pr. mutatum rubro in — *es*. 671 *O m.* Ven. *Hæc m.* Goth. pr. *miſeri* Wall. 672 *ſpes veſtras* Rottend. ſec. *at v. ſpes* Goth. ſec. 674 *inductus* duo Burm. cum Goth. tert. *gerebat* Witt. *ciebant* Macrob. VI, 1. 675 *Accelerant* Montalb. et a m. pr. Gud. *Accidit ſ.* Franc. pro *Accedit*. Mox *agmine* Medic. a m. pr. 677 *Defugiunt* Sprot. *ſicubi concaua ſurgunt* Witt., non infelici errore. 678 *pudet* Sprot., ex interpretamento. 679 *Multatae* Rom. *Agnoſcunt mutatae* Sprot. *eſt* abeſt a tribus Burm. et Goth. tert.

287 ſqq. 667. Aſcanius, vt erat, curſum ad nauale conuertit. *turbata caſtra*, claſſem, v. ſup. III, 519. *magiſtri* 546. 562. Aſcanio autem egregie aliquae partes hac in re tribuuntur, cum ex perſonae dignitate tum ex aetatis alacritate. Mox 674 *belli ſimulacra ciebat* Lucretianum eſt, ex II, 42. 324.

676—679. *diuerſa litora*, diuerſas littoris partes,

Sed non idcirco flammae atque incendia vires
Indomitas posuere: vdo sub robore viuit
Stuppa vomens tardum fumum, lentusque carinas
Est vapor, et toto descendit corpore pestis;
Nec vires heroum infusaque flumina prosunt.
Tum pius Aeneas humeris abscindere vestem,
Auxilioque vocare deos, et tendere palmas:
Iuppiter omnipotens, si nondum exosus ad vnum
Troianos, si quid pietas antiqua labores

680 *flammam* a m. pr. Medic. et Gud. *impendia* Rom. 681 *vdo sub pectore* aliquot Pier. et sic pr. Hamb. *sub cortice* Parrhas. *duro sub robore* vulgg. ap. Macrob. VI, 6, sed et ibi Thuan. vet. *vdo*. 682 *Stuppa* Medic. aliique vetustiores scribunt; et est τύππη. *mouens* Hugen. *lentasque c.* duo Burm., male, *lentusque carinis* Hamb. pr. 685 *Tum pater* Sprot. *humerisque* pr. Hamb. *excindere* Medic. *abscidere* Menag. pr. Voss. pr. et Franc. (adde Romanum), ex perpetua variatione. conf. Heins. h. l. et v. sup. IV, 425. 590. Georg. II, 23.

vt toties alibi. *Piget lucis*, vt IV, 451 *taedet coeli conuexa tueri. excussa pectore Iuno*, praeclare, furor a Iunone iniectus; vt *deus pectore accipi* dicitur.

680 — 684. Ornati versus. *vires indomitas* ex Homerico ἀκάματον πῦρ. *vdo sub robore*, sub materia desuper aquis iniectis irrigata, *viuit* (pulcre pro durat, ignem alit) *stuppa*, qua coassatorum tignorum iunctura e stipatae sunt. *vapor* pro flamma et igne, Lucretii exemplo, vt ἀϋτμὴ ap. Homer. conf. Guell. 685. Aeneam reprehendebat vir doctus, quod ad preces otiosas confugit, cum auxilium navibus ferre deberet. Non meminerat v. 684 *Nec vires heroum infusaque flumina prosunt*. Praestruendum nunc erat prodigium et caussa idonea apponenda, cur imber effusus incendia extingueret.

688. *pietas* h. l. miseratio, qua miserias humanas numen respicit. Mox *letum* docte

Respicit humanos, da flammam euadere classi
Nunc, Pater, et tenuis Teucrum res eripe leto.
Vel tu, quod superest, infesto fulmine morti,
Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra.
Vix haec ediderat, quum effusis imbribus atra
Tempestas sine more furit, tonitruque tremiscunt
Ardua terrarum et campi; ruit aethere toto
Turbidus imber aqua densisque nigerrimus austris;
Inplenturque super puppes; semiusta madescunt

689 *classes* Zulich. et codd. aliquot Pier. *classis* alii duo Burm. cum Goth. tert. *classem* Wall. a m. sec. vid. ad lib. VI, 67, et haec recte: sed et vulgatum bene. 690 *Iam p.* Parrhas. *Teucrum tenues* Wall. *tenuis nunc res Teucrum* Ven. 692 *Si merui* Rottend. sec. *dimitte* multi, vitiose. *tuaque h. o. d.* deerat hemistichium sec Hamb. a m. pr. *tua meque obrue dextra* Vratisl. ne subiectum *me* desit; numeris tamen paullo impeditis. 693 *e. nubibus* Goth. sec. 694 *tremescunt* fere omnes codd., vt alibi. v. ad III, 648. *fremescunt* Hugen. 695 Mediceus (a m. pr.) cum aliis, etiam binis Goth. et Erf., distinguunt et legunt: *Ardua terrarum, et campis* (Hugen. *et campo*) *ruit.* Male et ieiune. Saltem, si sic distinguas, legendum: *et campi ruit aequore toto Turbidus imber.* In Goth. alt. *aere.* 696 *T. imber aquis* Hamb. alter. *aquam* Reg., ita erit: *ruit aquam,* vt *ruit* actiue capiatur. cf. inf. ad VIII, 63, et hoc Masuic. exhibuit, obseruante Burm., qui codd. auctoritati obtemperare maluit, qui *aqua* magno consensu habent. Ita quoque *aqua* et *austris* numerum suauiorem efficiunt, quam si *aquam* vel *aquis* esset. In Witt. distinctum erat: *terrarum, et campi ruit — imber, aqua densisque n. A.* 697 *Impleturque* Wall. *Impleuitque* duo Burm. *semiusta* Heins. et hic praetulit; et sic Medic. aliique. vid. sup. ad III, 578.

pro excidio et interitu. Burmann. nimis argute: quia debebant verti in nymphas, quae mori non debebant. Atqui de hoc prodigio Aeneas cogitare non poterat. 691. 692. aut me fulmine feri: scil. ne exitium hoc adspiciam.

693 — 699. *sine more,* immodice. Satis illustrarunt viri docti v. c. Drakenb. ad Silium XII, 449. Mihi videtur ita reddidisse poeta

Robora. Reſtinctus donec vapor omnis, et omnes,
Quatuor amiſſis, ſeruatae a peſte carinae.
At pater Aeneas, caſu concuſſus acerbo,
Nunc huc ingentis, nunc illuc pectore curas
Mutabat verſans: Siculisne reſideret aruis,
Oblitus fatorum, Italasne capeſſeret oras.
Tum ſenior Nautes, vnum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque inſignem reddidit arte,
Haec reſponſa dabat, vel quae portenderet ira

700 *Et* Medic. et Reg. 702 *Motabat* duo Burm. hic vt alibi. v. III, 581. *iactans* tert. Rottend. *dubius* codex Pierian. propius ad vulgarem rationem. *verſas* Goth. tert. *Siculis reſideret in aruis* ed. Ven. Ceterum diſtinctionem inter *Mutabat*, *verſans* ſuſtuli, ne ad orationem pedeſtrem res rediret. *Mutabat verſans* eſt pleniore ore pro *verſabat*. 703 *Italisne* Reg. *Italasue* Sprot. Sed *Italasne* pro *an I.* ſtudioſe dixit; vt I, 308 *hominesne ſeraene*. *capeſceret* aliquot ap. Burm. *poſceret* Ven. 704 *Cum* aliquot et hic ap. Heinſ. *Nautis* Gud. *vates* Goth. tert. 706 *Haec r. dabat*. Salebroſa oratio, ſequente inprimis *Isque his A.* Malim: *Hic* (Nautes) *reſponſa dabat*, dare ſolebat, ſuper iis, *quae vel — vel*. *Isque* — vt iungatur: *Tum ſenior Nautes inſit:* ſed interiecta alia ratione, *Isque*, Is inquam, ſubiectum eſt. Ita facile careas interpretum argutiis. Et eſt *hic* in qu. Moret. Emendationem

obuium illud apud Aratum aliosque: ἐ κατὰ κόσμον h. e. ἀμέτρως. At Seruius: *ſine exemplo* interpretatur, quem ſere ſequuntur alii. Mox *denſis auſtris* pro nimbis, quos auſtri agunt: hoc imbre *deſuper* implentur naues.

701. 702. Homericum διάνδιχα μερμήριξε. Mox *capeſſeret* de conſilio ac conatu.

704—708. Magni poetae vim et indolem agnoſce in hoc, quod rem, quam factam alius nude ſine auctoritate et apparatione expoſuiſſet, a conſilio prudentis alicuius amici proficiſci et ab Anchiſae vmbra per ſomnum oblata Aeneae approbari facit; multo vero magis in eo, quod Nautae perſona vtitur, cuius nomen non obſcurum

Magna deum, vel quae fatorum poſceret ordo.
Isque his Aenean ſolatus vocibus inſit:
Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque, ſequamur.
Quidquid erit; ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.
Eſt tibi Dardanius diuinae ſtirpis Aceſtes:

noſtram in contextum recepit Brunck. *pertenderet* Sprot. *praetenderet* Hamb. *portenderat* Erf. 708 *Atque his* video in vulgg. *Hisque is* Bigot. *Iamque his* pr. Hamb. *Hisque Aenean* Wall. *inquit* duo Burm. Totus verſus deerat Hugen. a m. pr. 710 *ferenda eſt* Wall. *eſt* deeſt duobus Burm. et binis Goth. Sed talia notare infinita res eſt. 711 *Eſt mihi* Goth. tert.

inter eos Troianos fuit, a quibus Romanae gentes originem repetebant. Fuit enim Nautia gens, apud quam Palladii cura remanſerat, ortum ducens a Naute, vel Nautio, qui Mineruae Poliadis ſacerdos Palladium ſecum Troia abſportaſſe narrabatur. Res nota ex Dionyſ. Halic. VI, 69 (p. 393), et Seruio ad h. l., qui Varronis de Familiis Troianis libros excitat. Hinc *Pallas* Nauten h. l. *docuit*, vt ſaepe ap. Homerum a diis artes edocti inducuntur. *vnum*, quod plenius effertur: quem vnum omnium maxime Pallas docuit. Nec nouum hoc, quod Pallas vaticinandi artem impertitur. Habes exemplum in Tireſia ap. Callim. H. in Lau. P. 123 ſqq. Igitur hic Nautes *reſponſa haec dabat*, quae mox exponit: *Nate dea*. Reſpondit autem et interpretando vaticinatus eſt ea, quae vel ira deum portenderet vel fatorum ordo poſceret, oſtento hoc incenſarum nauium. Aut *haec* eſt Pallas, quae Nautae ſubiicere ſolebat ea, quae is vaticinaretur. Attamen in his aliquid duri eſſe, ad ſenſum facile eſt; nec Pallas *reſponſa dare* ſolet. Itaque de v. 706. 707 cf. Var. Lect.

709—718. Adhibuit h. l. vatem poeta ex vetuſtiore more, quo vatum ac prophetarum ipſorumque deorum reſponſa non vbique futuros euentus praedicunt, verum

Hunc cape consiliis socium, et coniunge volentem;
Huic trade, amissis superant qui nauibus, et quos
Pertaesum magni incepti rerumque tuarum est;
Longaeuosque senes, ac fessas aequore matres,
Et quidquid tecum inualidum metuensque pericli est,
Delige; et his habeant terris, sine, moenia sessi:
Vrbem adpellabunt permisso nomine Acestam.

712 *consilii socium* pars codd. Pier. et Burmann. Doctius tamen dictum *socius consiliis* videtur. *consiliis comitem* Oudart. 714 *est* abest a multis. v. Burm. 716 *est* abest et hic a tribus. 717 *Dilige* scribitur in multis etiam hic. *Delege* Wall. *et* deest Ven. *et his t. habeant* sec. Rottend. *sessis* pr. Hamb. 718 *adpellabant* Gud. a m. pr. cum binis Goth. *promisso nomine* Rom. cum plerisque Pier., sed paucis ex Heinsianis. *praemisso* tert. Rottend. Sed *permisso* Medic. cum ceteris, quatenus permissum Acestae, de suo nomine appellare nouam vrbem; etsi a Troianis, qui cum Aenea venerant, habitatam, adeoque ab Aenea conditam; qui inuidendus olim in coloniis deducendis habebatur honos. Mox

plerumque monitis, hortatibus, consiliis continentur. Sane bene et sapienter monendo haud raro futuros consiliorum aut contrarios euentus ante oculos ponimus: idque si ἐνθουσιῶν, magno cum spiritu ac motu animi aliquis facit, non mirum si in praedictionem res abiit. *superanda omnis fortuna ferendo* plenius quam *ferenda est omnis fortuna. diuinae stirpis*, nam Dardanus ex Ioue natus et Electra Atlantis f. cf. sup. lib. III Excurs. VI, seu, quod forte praestat, quia mater eum ex Crimiso flumine susceperat. v. sup. 38. 39. 713. *superant qui amissis nauibus* sunt quatuor crematarum nauium copiae. 718. *Acesta*, nota vrbs Egesta et Aegesta, vulgo Segesta: quam poeta nunc ab Aenea, comitibus, quos in Sicilia reliquerat, in eam conscriptis, conditam narrat; v. mox v. 755 sq.; nomine tamen non ab Aenea, sed ab Aceste, imposito. vid. Excurs. I ad h. lib.

Talibus incenſus dictis ſenioris amici.
Tum vero in curas animum diducitur omnis:
Et Nox atra polum bigis ſubuecta tenebat.
Viſa dehinc coelo facies delapſa parentis
Anchiſae ſubito talis effundere voces:
Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Care magis; nate, Iliacis exercite fatis;
Imperio Iouis huc venio: qui claſſibus ignem
Depulit, et coelo tandem miſeratus ab alto eſt.
Conſiliis pare, quae nunc pulcerrima Nautes

Aceſten nonnulli vel vt Rom. *Aceſtem*, minus bene. *Aceſta*, vnde Segeſta facta, vt ſup. v. 52 *Mycena* occurrebat. 719 *accenſus* aliquot Pier. et duo Heinſ. *incenſis* Menag. *ſenioris Aceſte* Parrhaſ. Nullus codex ſubiicit in fine *eſt*. Parum vero expolita iunctura amborum verſuum, qui ſe excipiunt. 720 *animum d.* graeca ratione poſt Ge. Fabricium reſtituit Heinſ. ex ſuorum codd. parte, et Probo Grammat. Vulgo *animus*. Rom. Medic. cum vetuſtioribus aliis it. Erf. *animo*. Porro idem Rom. cum plerisque Pier. Heinſ. et Burm. *deducitur*, quod hic ferri poſſit; ſed alterum τὸ: διάνοιχα μερμήριξε melius repraeſentat. *animum d. omnem* Hamburg. alter pro var. lect., quod Heinſio arridet, non mihi. 721 *advecta* alter Hamb. a m. pr. Male. cf. Burm. 722 *facies coelo* duo Burmann. et Rom. cum vno Goth. et Erf. 723 *A. et ſubito* Parrhaſ. *voces e. tales* aliquot Pier. 724 *quondam vita* alter Goth. *vitae* Rom. 726 *hic* Mentel. pr. *veni* pr. Rottend. 727 *tandem coelo* aliquot Pier. et pr. Hamb. 728 *nunc quae* et

721. De h. v. cf. Excurſ. ad lib. II, 8. 9. Poetis Nox iter per caelum faciens media nocte culmen caeli tenet: vt ſol medio die. 722—730. Quod non niſi Anchiſae auctoritate inclinatur ad Nautae ſuaſionem amplectendam Aeneas, id toti conſilio condendae coloniae Troianae auctoritatem ac dignitatem magnam conciliat. *facies* eſt εἴδωλον, ſimulacrum. *caelo delapſa*, ad ſenſum noſtrum, de iis, quae ſubito apparent; nam ipſe Anchiſes in Elyſio degit 733. 4. 726. Διὸς δέ τοι ἄγγελός εἰμι,

Dat ſenior: lectos iuuenes, fortiſſima corda,
Defer in Italiam. Gens dura atque aſpera cultu
Debellanda tibi Latio eſt. Ditis tamen ante
Infernas adcede domos, et Auerna per alta
Congreſſus pete, nate, meos. Non me inpia namque
Tartara habent, triſtes vmbrae; ſed amoena piorum

mox *p. Nantes* alter Hamb. *vates* Montalb., quod ferri poſſit; ſed idem librarii lapſus ſupra notatus v. 704. 729 *laetos i.* Gud. a m. pr. cum binis aliis, perpetuo lapſu. *Dat ſ. lectis iuuenum* Wall. 730 *Diſer* Franc. *horrida cultu* Parrhaſ. 731 *eſt* abeſt a Ven. et Goth. ſec. *Dictis* Doruill. *tamen antea Ditis* alter Hamb. 732 *accende* Medic. a m. pr. 733 *Amplexus* plerique Pier. et duo Heinſ. *Complexus* vn. Goth. ſex Heinſ. vnus Burm. Duo alii *Compleſſus.* 734 *triſtes vmbrae* bene Heinſ. cum antiquiſſimis Pier. et ſuis. In Medic. a m. ſec. *ve* inſertum; et ſic plures: *triſtesve.* Ita *vmbrae* de locorum inferorum altera parte cum Spencio accipienda eſſet. Vulgg. *triſtesque. ſed am. colorum* pr. Hamb. a m. ſec., an *locorum* voluit?

Iliad. β, 27. ω, 173. cf. ſup. IV, 268. 730. *Gens dura,* vide inf. IX, 603 — 613. *Aſpera cultu,* quae cultu, habitu, vita aſpera, fera, vtitur. Vt apud Horatium *feri cultus hominum recentum* dicti ſunt.

731 — 737. Huius ad inferos aditus prima ſemina iam lib. III, 441 ſqq. in Heleni vaticinio iecerat; nunc paullo maiore expectatione lectoris animum erigit. Dicas forte: quid tandem neceſſe fuit, vt Aeneas ad loca infera, vt conueniret patrem, vocaretur, cum pater hoc ipſo ſomnio ac viſo monere et exponere ipſi omnia illa in Elyſio docenda potuiſſet. Cauſſa in promtu eſt: nec in viſo nocturno tam amplus rerum ordo recte exponi potuiſſet, et excidiſſent tum illa omnia, quibus liber VI de deſcenſu ad inferos inter potiores et diuiniores carminis partes haberi meruit. *Auerna,* forte ſtagna, iam ibidem vidimus v. 442 pro lacu Auerno; vt *Tartarus* et *Tar-*

Concilia Elysiumque colo. Huc casta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.
Tum genus omne tuum, et, quae dentur moenia, disces.
Iamque vale. Torquet medios Nox humida cursus;
Et me saeuus equis Oriens adflauit anhelis.
Dixerat: et tenuis fugit, ceu fumus, in auras.
Aeneas, Quo deinde ruis? quo proripis? inquit,
Quem fugis? aut quis te nostris conplexibus arcet?
Haec memorans cinerem et sopitos suscitat ignis;

736 *Nigrantum* ed. Iunt. *pecudum cum* Ven. 737 *Tu g.* Goth. tert. 738 *currus* Seru. ad Aen. I, 108. 740 *tenuis* dubitat Burm., vtrum ad *fumus* an ad *auras* referendum sit. Melius, *auras tenues* accipere, tamquam magis poeticum. Sic Georg. IV, 499, vbi res liquida. 741 Ordo est, ait Seru.: *Aeneas deinde, quo ruis?* cf. I, 195. III, 609. IV, 561. 742 *Quo* Parrhas. *Quid* multi Pier. et Burm. *te a nostris* duo Burm. et ed. Ven. *aut quisnam mihi te c.* Parrhas. *c. aufert* Bigot. 743 *cineres* tres Burm. *excitat* Ven.

tara. conf. Seru. 735. v. inf. VI, 243 seq. 737. v. ibid. 756 sqq. *moenia* ibid. 782.

738—745. Nox ad altissimum mediumque caeli culmen euecta iam decliui via fertur. cf. v. 721. — 739 Dixerat iam Georg. I, 250. *Nosque vbi primus equis Oriens adflauit anhelis* ad quae v. Not. Sentit Vmbra orientis solis primos accessus, diluculo subeunte. Re ad sollennem Solis cursum et equos reuocata, sentit equos Solis appropinquantes et iamiam sibi imminentes afflare se. Circensis cursus frequens spectaculum, equus equum, cui imminebat, anhelitu et spuma vrgens: conf. Iliad. Ψ, 380. Georg. III, 111. *saeuus*, qui lucis vsum eripit Vmbris, quas sub ortum diei ad inferos redire fas est. 740. Vt sup. II, 791. *tenuisque recessit in auras.* In 743 rem exilem ornate efferri obserua: interea ignem ac-

Pergameumque Larem, et canae penetralia Veſtae,
Farre pio et plena ſupplex veneratur acerra. 745
Extemplo ſocios primumque arceſſit Aceſten,
Et Iouis imperium et cari praecepta parentis
Edocet, et quae nunc animo ſententia conſtet.
Haud mora conſiliis, nec iuſſa recuſat Aceſtes.

745 *ſupplex plena* Wall. 746 *accerſit* male edd. ante Heinſ. *acceſſit* ed. D. Heinſ. cum binis Goth. 747 *clari* Bigot. 748 *ſ. ſurgat* pr. Moret., vt IX, 191. I, 582., ſed v. Heinſ. ſup. ad v. 486, vbi poetam in his variandae orationis ſtudioſum fuiſſe docet. Alibi eſt: *quae ſit ſententia menti. Sedet ſententia* VII, 611. IX, 220. XI, 551. 749 *Nec m. conſ. n. iura* Wall.

cendit. 744. 745. Etiam haec ornate: Penatibus ac Veſtae mola ſalſa ac thure ſupplicat. *Larem* nonnulli de Anchiſae vmbra accipiunt, quandoquidem patrum animae pro Laribus habitae ſunt; ſed hoc argute magis quam vere, et obſtat, quod *Pergameum* dixit. Alii ipſam Veſtam intelligunt; quod durum eſt, nec Veſtam per Larem declarari aut inter Lares referri vidi. Malim de *Penatibus* accipere, qui pro Lare Troiae omnino haberi, atque ita poetae appellari poterant. conf. ſimilem locum ſup. III, 148 ſq. 176. 177. Adde II, 293 ſq. et ibi Excurſ. Lares autem et Penates permutari ſollenne eſt. *penetralia Veſtae* pro Veſta dixit, quae intima aedium parte, velata et ab hominum adſpectu intacta, ſeruabatur. Aeneam itaque cogita ad hoc aedium penetrale conuerſum ſacra feciſſe. *cana Veſta*, vel propter antiquam religionem, vt I, 292 *cana Fides*, vel quod e ſenioribus diis, qui iam ante Iouis pueri regnum caelum tenuerunt, vna eſt. Res ex theogoniis nota. Quod poeta *thuris* vſum heroicis temporibus tribuit, in eo ſuis magis temporibus quam rei veritati obtemperat. *Iliacis temporibus*, notum eſt ex Plinio, *nec thure ſupplicabatur*. De quo conf. Cerda.

Transcribunt vrbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos nil magnae laudis egentes.
Ipsi transtra nouant, flammisque ambesa reponunt
Robora nauigiis; aptant remosque rudentisque;
Exigui numero, sed bello viuida virtus.
Interea Aeneas vrbem designat aratro,
Sortitusque domos, hoc Ilium, et haec loca Troiam

751 *nec magnae* Doruill. *agentes* Parrhas. probante Heumanno; atqui hoc vulgare satis esset. Neque *laus* h. l. virtus est; sed gloria ex magna virtute et rebus gestis. cf. Burm. τὸ κῦδος. 752 *I. t. vocant* Goth. pr. *ambesa* multi Pier. *ambusta* Rottend. tert. ex gloss. *que* abest in Voss. alt. et Wall. 753 *Robora remigiis* Sprot. Distinctionem post *nauigiis* probat Seruius. Alii Codd. haud dubie melius cum Heinsio: *Robora: nauigiis aptant r.* Nam *reponere* est instaurare. *que* in fine abest a binis et a duob. Goth. 754 *numeri* pr. Moret. a m. pr. 756 *Sortitur* alii. *hoc* exciderat Doruill. et Parrhas. *hic Ilio et* Franc. *hoc Ilion, haec,* quod ferri possit, vel *hoc Ilium, haec* alii, etiam ap. Pier. *Troiam* Heins. ex melioribus, elegantius, quam vulgo alii: *Troiae.*

750. 751. Ornati versus dilectu verborum. *Transscribere Romani*, ait Seruius, *moris verbum est: transscripti enim in colonias ducebantur.* Potius ita dicendum: qui deducendi, ex vetere in nouam ciuitatem transscribuntur. Iidem *in coloniam adscribi* dicti sunt. *Deponunt* signate, vt inutile onus. Illa vero egregia plane: *animos nil magnae laudis egentes,* non desiderantes aut appetentes, non gloriae cupidos, sed ingloria et obscura vita, modo aerumnarum et laborum experte, contentos.

752—754 *Ipsi* socii reficiunt classem. *reponunt* h. l. renouant, cum integris permutant. *sed bello viuida virtus* vim orationi addit inversio, *sed tales, quibus sit viuida virtus ad bellum.*

755. 756. Cf. I, 423 sqq. Aeneas sortito distribuit lo-

Esse iubet. Gaudet regno Troianus Acestes,
Indicitque forum, et patribus dat iura vocatis.
Tum vicina astris Erycino in vertice sedes
Fundatur Veneri Idaliae, tumuloque sacerdos 760
Ac lucus late sacer additur Anchiseo.
Iamque dies epulata nouem gens omnis, et aris
Factus honos: placidi strauerunt aequora venti,

759 *Tum* vindicauit Pier. *vicino* Wall. *Erycina* Menag. pr. *in litore* Comment. Cruqu. ad Horat. I Od. 2. 760 *Fundantur* Doruill. *Iliadae* Parrhas. 761 *Ac* ab Heinsio reuocatum e codd., alii *Et*, tres *At*. Parrhas. *late lucus s.* Cum Brunckio reuocaui *Anchiseo*: est Ἀγχίσειον. Male in recentioribus etiam Heins. *Anchisaeo* scriptum. 763 *tenuerunt* Vratisl.

cum aedibus futuris. *hoc Ilium et haec loca Troiam*, recordatione et repraesentatione ad animum veteris Troiae, cum nouam coloniam conderet, hanc pro Ilio et Troia esse vult. v. Excurs. I. Similis facies vrbis ab Heleno in Epiro conditae sup. III, 300 sq.

757. 758. *regno*, noua regni sui accessione, noua vrbe. *indicit forum*. Servius: *tempus et locum designat agendorum negotiorum, qui conuentus vocatur*. Cerda minus bene de conuocato nouo senatu; sed *forum* cum senatu iunctum haud dubie ad iudicia spectat. Aeneas iudicia constituit, rem iudiciariam describit; tum *patribus vocatis*, senatu lecto atque conuocato, *dat iura*, ad Senatum fert de nouis legibus scribendis. sup. I, 426 *Iura magistratumque legunt sanctumque senatum;* qui versus forte ex hoc nostro coaluit. Minus bene Seruius.

759 — 761. Veneris in Eryce monte supra Drepanum templum nobilissimum ad Troianos conditores refertur. conf. Excurs. II ad h. l. Anchisae autem, tamquam heroi, Flamen cum luco sacro constituitur. *tumulo Anchiseo*: qui consecratus pro sano est. τὸ Ἀγχίσειον. *lucus* est τὸ τέμενος. De *Idalia* Venere v. ad I, 680 sq.

762 — 764. Intellige, con-

Creber et adſpirans rurſus vocat Auſter in altum.
Exoritur procurua ingens per litora fletus;
Conplexi inter ſe noctemque diemque morantur.
Ipſae iam matres, ipſi, quibus aſpera quondam
Viſa maris facies, et non tolerabile nomen,

766 *Complexique* Franc. 767 *Ipſae i. m. ipſae, q.* quatuor Burm., et ſic ap. Nonium. 768 *nomen.* Adeo fluctuat criticorum opera in multis, vt, quod alter repoſuit, alter reiiciat, reiectum alius reducat. Quo ipſo apparet, nihil magis improbandum eſſe quam temerariam lectionis mutationem. Vulgo editum eſt *numen.* Heinſ. e Nonio et Medic. a m. pr. repoſuerat *nomen.* Reuocauit Burmann. *numen*, nulla tamen, quod expectabas, explicatione vel illuſtratione adiecta. Nec quicquam melius ſuppeditant membranae. Nam quod in vtroque Hamb. adſcriptum pro var. lect. vel *lumen*, perperam factum. Romanus: *non tolerabile coelum;* ſic et Parrhaſ., quod per ſe bonum ſenſum habet, modo memineris caelum eſſe tempeſtatem, cuius, puto, nauigantium plurimum intereſt. Hoc quidem, ſi de meo aut ſenſu aut iudicio quaeritur, praeferam; habet enim auctoritatem idoneam; eſt poetica oratione dignum; notio *caeli* eſt accommodata nauigationi; *mare* et *caelum* iunctim memorari ſollenne eſt; qui mare horret, horret quoque caelum, atris nubibus obductum et ventis turbatum; eius adſpectus adeo eſſe poteſt terribilis et *intolerabilis;* ergo nunc, *quibus mare viſum aſperum et non tolerabile caelum* omni modo conuenire videri poteſt. Videtur ſane

ſecrando Anchiſae ſacello per nouem dies fuiſſe ſacra facta: *aris factus honos.* Sup. v. 64 et 104 luctu per nouem dies continuato, nono die fiebant ſacra et ludi. Ita et ap. Romanos *nouemdiale ſacrum* duplici modo dictum eſſe videtur, aliter in prodigiis procurandis, quod factum per nouem dies, aliter in funere, nono die. Ceterum inferiarum ritum ab Aeneae parentali ſacro repetierunt vulgo Romani, vt intelligas ex Ouid. Faſt. II, 543 ſeq. — *creber aſpirans auſter.* Scilicet *creber* primitiua vi, increſcens. *Crebreſcunt optatae aurae* ſup. III, 530. Ad totum locum confert Valer. Flaccum lib. I, 312 ſqq. Pomponius. Adde locum hinc expreſſum Statii in diſceſſu Achiuorum lib. IV, 16 ſq.

767—769. Egregie ad humani animi leuitatem et inconſtantiam! cf. eund. Sta-

Ire volunt, omnemque fugae perferre laborem.
Quos bonus Aeneas dictis ſolatur amicis,
Et conſanguineo lacrimans commendat Aceſtae.
Tris Eryci vitulos, et Tempeſtatibus agnam,

lectio: *numen,* aliquid reconditi habere; ſiue tamen *numen maris* ad Neptunum ac deos marinos trahi velis, ſiue *numen* ad fata, vaticiniis et auguriis monſtrata, et ad fortunam, ſtatum, conditionem per illa deſtinatam, referas (vti v. c. III, 363 *cuncti ſuaſerunt numine diui;* iam autem ſupra fata accuſant, tamquam dura et crudelia); neutrum cum loci ſententia comparatum ſatis idoneum eſſe, aut *numen non tolerabile* bene dici, comperies. *Numen,* δαίμονα, de fortuna dici, ſententia eo ducente, nemo dubitet; at enim *numen intolerabile* offendit per ſe; tum non conuenit cum reliquis: *quibus mare viſum aſperum et fortuna viſa eſt intolerabilis.* Mare et fortuna non amice conſociari videntur: quod terrere poterat, erat recordatio aerumnarum et discriminum *maris caelique* viciſſitudinibus prouenientium. Cum itaque verſemur in voce tot librariorum ludibriis obnoxia, *nomen, numen, lumen, caelum,* Heinſium deſerere nolui, quem et Brunck. recte ſequutus eſt, reduxique adeo *nomen;* quod bene ſentio ad dignitatem epicam haud aſſurgere, ſenſum tamen habet expeditum: mare adſpectu dictuque intolerabile viſum. 769 *omnesque* Ven. *proferre* Sprot. 770 *affatus a.* tert. Rottend. a m. ſec. 771 *lacrimis* Menag. pr. *Aceſti* ſec. Rottend. 772 *agnos* Medic.

tium 22 ſq. *nomen* vt ne auditu quidem tolerabile eſſet. vid. Var. Lect. et *fuga,* vt iam ſaepe pro erroribus. Mox *lacrimans* bene ex perſona pii Aeneae. *Conſanguineus* autem eſt eiusdem gentis. conf. Burm.

772. *Eryci* tamquam heroi v. ſup. 392. 402. 412 ſqq. et Excurſ. II. *Tempeſtatibus.* Nota res vel ex Horat. Epod. 10 extr. conf. Cerda h. l. et ſup. III, 120 *Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam* mactat. 773. λύσασθαι τὰ πείσματα v. c. Orphic. 1239 et al. ſup. III, 639 *fugite atque ab littore funem Rumpite* et ibid. 667. *nos — tacitique incidere funem. ex ordine,* ſimpliciter pro deinceps, καθεξῆς, ἐφεξῆς. Georg. III, 341 *Saepe diem noctemque et totum ex ordine menſem Paſcitur.* Sic quoque Georg. IV, 507, et inf. VII, 139, vt

Caedere deinde iubet, ſoluique ex ordine funem.
Ipſe, caput tonſae foliis euinctus oliuae,
Stans procul in prora pateram tenet, extaque ſalſos
Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Proſequitur ſurgens a puppi ventus euntis.
Certatim ſocii feriunt mare, et aequora verrunt.

773 *Caedi* Parrhaſ., ſed vid. Burm. *ſoluitque* Bigot. cum Goth. tert. *funem* bene cum Pier. recepit Heinſ. ex codd. Vulgo *funes*, minus docte. 774 *tonſat* Franc. 775 *Trans procul* Longobard. Pierii. *in proram* alii ap. eumdem, et Sprot. Tandem codicum pars apud Pier. Heinſ. Burm. cum pr. Goth. *Stans celſa in puppi.* Hoc defendas ex Apollonii loco, in notis laudato, vbi κατὰ πρύμνης victima mactatur; et in puppi alias tutela erat; et ſimiliter ſacrum diis marinis fit ſup. III, 527, vbi Anchiſes libando — *diuosque vocauit Stans celſa in puppi.* (add. Hymn. in Diosc. (XXXI) 10.) Sed Burmannus ex iſto aliisque locis (Aen. VIII, 680. X, 261. quae tamen aliena a re ſunt) repetitum id ipſum eſſe cenſet; ſecundum Heinſianam obſeruationem de ſtudio Virgiliano talia variandi: quam vid. ad Ecl. V, 37. et ad V, 486. *pateras* ed. Ven. 776 *Proitcit* vel *Proicit* fere codd.; defendit hoc et h. l. Benedictus. cf. ad v. 238. *iam vina* Wall. *liquantia* Hamb. ſec. 777 Hunc verſum ſequenti ſubiiciunt Mentel. et Gud. 778 *aequore* Exc. Burmann. *vertunt* Rottend. ſec. Goth. ſec., vt alibi quoque.

priore re expedita continuo ad alteram progreſſi ſint. Certe viri docti ſubtilitate in ἐπισχερῶ interpretando hic nil profeceris. Etiam Serviana ratio nimis docta, *Iubet caedere ex ordine, id eſt, rite peragi ſacrificium.*

774 — 778. Sollennis ſacrificandi mos pro ſecunda navigatione. loca illuſtrantia affert Cerda. Praeiuit Apollon. IV, 1595 ſqq. *tonſae oliuae*, vt *tonſa corona* ſup. 556, ornat epitheton; nam, dum corona fit, oleae frondes decerpi, eamque tonderi neceſſe eſt. Seruius et hic nimia cum ſubtilitate *comtam, minutis frondibus*, interpretatur. Salmaſius diuerſos vocis vſus miſcet, vt ſolet. Cur tamen *oleagineam* coronam poeta nunc memoret, non exputo aliam rationem, quam quod, vt poeta,

At Venus interea Neptunum exercita curis
Adloquitur, talisque effundit pectore queſtus: 780
Iunonis grauis ira, nec exſaturabile pectus,
Cogunt me, Neptune, preces deſcendere in omnis:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat vlla;
Nec Iouis imperio fatisue infracta quieſcit.

780 *effudit* tres Burm. *p. voces* Zulich. cum Goth. ſec., facili lapſu. 781 *nec exſaturabile* Heinſ. repoſuit ex Medic. ceterisque omnibus, etiam Pierianis, qui vel *nec* vel *neque exſ.*, vno Montalb. excepto, exhibent. *nec inſaturabile* Ven. vulgg. *et inexſaturabile.* Displicet vero *pectus* poſt *pectore.* Io. Schrader. coni. *numen.* 782 *ad omnes* expreſſum in Seruio. 784 *fatisque* Rom. Med. cum aliis, et ſic maiorem vim ineſſe Pierius cenſebat. *fatisque inuicta* pr. Mentel. pro var. lect.

epitheton pro lubitu apponebat. Quod ſtat in prora (forte quia ſub diſceſſum e portu, cum alias in puppi ſacra fiant) et totum ſacri ritum ex h. l. tenebis: eſt enim claſſicus in hoc ſacrorum more. *Porricit*, vidimus iam ſup. v. 238, e Cloanthi votis: *Extaque ſalſos porriciam in fluctus*, vocab. ſacrum ac proprium.

779 ſqq. Quod in hiſtorica narratione ſimpliciter extuleris: ſecundo vento Cumas deferuntur Troiani: id nunc poeta inde ad ſ. libri ornat deorum interuentibus ac conſiliis; quibus tempus hoc tanto magis nunc indigebat, quo minus alias intelligi potuiſſet, cur Iuno nullam nouam nunc moram acceſſui in Italiam iniecerit.

780 — 784. *effundit pectore queſtus.* Enniana formula. Ad 781 comparant Callim. in Del. 106 ſq. 221, neſcio quam bene. Iunctura durior ſeqq. 783. 784. verſſ., in pedeſtri oratione vix tolerabilis, epicam grauitatem habet. 783. *pietas* ſc. Aeneae in illa placanda, v. c. ſup. III, 547. *nec illa — infracta quieſcit*, ornate pro, infringitur, flectitur, *fatis*, cum videat, fata a ſe interverti non poſſe. cf. XII, 793 ſqq. vbi v. 800 eſt *inflectere.*

Non media de gente Phrygum exediſſe nefandis 785
Vrbem odiis ſatis eſt, nec poenam traxe per omnem
Reliquias: Troiae cineres atque oſſa peremtae
Inſequitur. Cauſſas tanti ſciat illa furoris.
Ipſe mihi nuper Libycis tu teſtis in vndis,
Quam molem ſubito excierit. Maria omnia coelo 790

785 *excidiſſe* fragm. Vatic. cum pr. Moret. a m. ſec. et pr. Rottend. ac Parrhaſ.; hoc forte magis placet, quia potentius, idemque vſitatius. Alterum tamen librorum auctoritas defendit; habendumque adeo voc. exquiſitius, etſi minus gratum. An poeta reſpexit illud Homericum βεβρώθοις Πρίαμον ſq. de Iunonis odiis Il. Δ, 34 ſq. - 786 *nec p. traxe per o.* Hanc ex Rom. et aliquot aliis codd. firmatam a Pierio et a Ge. Fabricio lectionem Heinſius merito retinuit. Vulgo *traxiſſe*, vt in Mediceo quoque a pr. m. Cumque ita verſus laboraret, *nec* omiſſum; alii in alium locum adſcripſerunt; Parrhaſ. omiſit *eſt:* duo etiam *transiſſe*, noua corruptela. *nec p. exiiſſe* Sprot. *rexiſſe* Puget. Ceterum ſcribitur *traxe*, *traxſe*, *traſſe*; fragm. Vatic. *traxere*, et obducto *re* ſuperſcr. *iſſe*. Inter edd., Aldd. pr. *traſſe* habebant; cum Egnat. inductum *traxiſſe* a Naugerio. Porro *per omnes R.* Gud. et Menag. pr. Erf. 787 *peremta* duo Burm. *parentum* qu. Moret. 788 *ciet* Zulich. pro var. lect. *ſit an* Hugen. *furores* Medic. a m. pr. 789 *teſtis L. tu nuper* Ven. 790 *Quam ſubito molem exc.* Oblong. Pier. *Quam m. exc. ſubito* alii Pier. *exierit* Rom. *excierint ſubito* Ven.

785—788. *vrbem media de gente Phrygum*, media ex Troade, *exediſſe*, confeciſſe, perdidiſſe, excidiſſe; nihil amplius. Cur vero *mediam gentem*, vulgus h. l. ac vilem plebem interpretetur Burm., non aſſequor. *Reliquias*, Troianos vrbe capta ſuperſtites, *traxe per omnes poenas*, omnibus calamitatibus ac malis verſaſſe, iactaſſe; vt duci, agi, per vltima, per cuncta ſupplicia, dicitur. *Troiae cineres atque oſſa peremtae Inſequitur* grauiter dictum; claſſis vero conflagrationem maxime reſpicit. 788. *cauſſas* cf. ſup. I, 8 ſqq. X, 62 ſqq. 89 ſq. XII, 791 ſqq. cf. Excurſ. I* ad lib. I et Excurſ. II ad lib. XII.

789—792. v. ſup. I, 50 ſqq.

Miſcuit, Aeoliis nequidquam freta procellis,
In regnis hoc auſa tuis.
Per ſcelus ecce etiam Troianis matribus actis
Exuſſit foede puppis; et claſſe ſubegit
Amiſſa ſocios ignotae linquere terrae.
Quod ſupereſt; oro, liceat dare tuta per vndas
Vela tibi! liceat Laurentem adtingere Thybrim!
Si conceſſa peto, ſi dant ea moenia Parcae.

791 *nequiquam* fragm. Vatic. 792 *haec* tres Burm. cum Goth. ſec. *hoc cauſſa* alter Menag. Forte, ait Burm., pro *hocc' auſa*. Quid tamen ſollennius, quam librarios tali ſonorum geminatione peccare? 793 *Per ſcelus* Pier. et Heinſ. e meſioribus. adde fragm. Vatic. et cod. Vatic. laudatum Benedicto. Vulgo: *Proh ſcelus!* variatione et alibi obuia. v. Heinſ. ad Ouid. Ep. X, 6. Sed *Per ſcelus* ſi legitur, iunctura fieri poteſt duplici modo; aut *per ſcelus exuſſit*, ſcelere, ſceleſte; quod per ſe recte fiet; nam eſt vſus is τοῦ per. Sic, *Iouem ſupplex per vota precatus* IX, 624 votis. Ita vero videtur duriter dici: *matribus actis* ſimpliciter, pro *in furorem actis*. niſi eſt ſimpliciter, adactis, impulſis. Aut iungi poteſt: *Per ſcelus actis*, vti *per omne nefas* aliquis *ruere* dicitur. In Goth. ſec. *In ſcelus*. 794 *Excuſſit* aliquot Burm. cum Medic. a m. pr. et Gud. a m. pr. *f. naues* Sprot. *peregit* alter Menag. 795 *A. hos ſocios* Sprot. a m. ſec. *ignota l. terra* Medic. Gud. a m. pr. et Mentel. pr. cum Rom. et parte Pier. librorum. Minus bene, et ex vulgari ratione. 797 *ſibi* alt. Hamburg., nullus *tuas:* quod quantum malim lectum! *Laurentum* Wall. *tingere*, eraſa *ad*, Doruill., et ſic a m. pr. fragm. Vatic. 798 *Si c.*

molem h. e. tempeſtatem, et, *miſcuit* v. ibid. v. 133. 134 *Iam coelum terramque* etc. *in regnis tuis* vid. ibid. 138 ſq.

793 — 795. *Per ſcelus actis matribus Tr.* in ſcelus, pro vulg. ad ſcelus adactis. v. V. L. *ignotae* ſimpl. in aliena terra reſpectu Italiae, quo tendebant. Mox *Laurens Thybris* docte, qui Laurentinos agros, adeoque veteres Laurentes attingit; et 797 *dare vela tibi per vndas*, nouum hoc; *dantur* proprie *vela ventis;* nunc ea Neptuno quaſi creduntur; aut *tibi* eſt graeco more, per te, σοὶ pro διὰ σὲ, tua opera, quantum per te licet.

Tum Saturnius haec domitor maris edidit alti:
Fas omne eſt, Cytherea, meis te fidere regnis,
Vnde genus ducis. Merui quoque; ſaepe furores
Conpreſſi et rabiem tantam coelique marisque.
Nec minor in terris, Xanthum Simoentaque teſtor,
Aeneae mihi cura tui. Quum Troïa Achilles
Exanimata ſequens inpingeret agmina muris,
Millia multa daret leto, gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam atque euoluere poſſet
In mare ſe Xanthus: Pelidae tunc ego forti

rogo Erf. a m. pr. *dent haec* Ven. *dent mihi* Hugen. et Zulich. *numina* Bigot. *m. fata* Wall. a m. pr. v. Burm. 799 *Cum* pr. Moret. *hoc* Witt. *addidit* Ven. *edidit atque* alter Hamburg. 801 *metui* Hortenſ. legebat. vid. Burm. 803 *minus* Sprot. *Sancthum* fragm. Vatic., at mox *Xantus*. 804 *Troica* al. et hic. 805 *immitteret* fragm. Vatic. et aliquot Pier., ex interpret. *muro* ed. Ven. 806 *darent* Rom., male. 807 *reuoluere* duo Burm. cum Med. Pierii. *viam qua eu. p.* Auguſtin. de Grammat. ap. Burm. Iliad. φ, 219 Xanthus ἀδέ τί πη δύναμαι προχέειν ῥόον εἰς ἅλα δῖαν Στεινόμενος νεκύεσσι. *poſſit* multi, vitioſe. *paſſim* Ven. 808 *In m. iam X.* Montalb.

800 — 802. Fas omnino eſt, te confidere, mare iri placatum ac tranquillum. Venerem mari ortam, Πουτίχν, Ἀναδυομένην, quis neſcit? Fabula eſt ex coſmogoniis veterum ſeruata, ſed a ſequioribus miros in modos interpretatione variata. *ſaepe*. Atqui ſemel, inquis, tantum lib. I, 125 ſqq. Recte, reponit Burm., ſaepe hoc fieri, a poeta tamen praetermitti potuiſſe. Quid vero? exciditne locus lib. III, 192 ſqq. et V, 10 ſqq.?

803 — 811. Reſpicit Iliad. Υ, pugnam Achillis cum Aenea v. 79 ſqq. 158 ſqq., quem ſubducit victoris manibus Neptunus v. 290 ſqq. Mox et Hectore ab Apolline e pugnae parte ea euocato caedes et fuga Troianorum fit verſus vrbem, parte fugientium in Scamandrum ſeu Xanthum acta; vnde pugna Achillis cum ipſo Scamandro

Congreſſum Aenean, nec dis nec viribus aequis,
Nube caua rapui: cuperem quum vertere ab imo
Structa meis manibus periurae moenia Troiae.
Nunc quoque mens eadem perſtat mihi: pelle timorem.
Tutus, quos optas, portus adcedet Auerni.

810 *rapui* lectio eſt Medic. et alior. Heinſ. et Pier. At *eripui* Rom. cum altera familia; et *ripui* ſuperaddita *e* fragm. Vatic. Sed alterum doctius pro poeta, qui communia reſpuit. *c. cum euertere* Gud. et Wall. *cuperem conuertere* Franc. *cuperent cum* fragm. Vatic. *ab vno* Menag. pr. 811 *periturae* fragm. Vatic. Medic. a m. pr. et Doruill., procliui lapſu. Sed alterum ſollenne. Laudat Burm. not. ad Ouid. XI Met. 215. 812 *reſtat* aliquot Pier. cum Erf. *praeſtat* tres Burm., vt alibi eadem varietas. *mihi perſta* Goth. pr. *timorem* inuexit Heinſ. ex Medic. et binis aliis; accedunt Franc. recens et iciunus codex, ed. Ven. et, vt nunc video, fragm. Vatic. At Romanus et ceteri, cum tribus Goth. et edd. vulgg., *timores*, quod mireris loco deiectum. Nolui tamen iterum nouare. 813 *Tutos* ſec. Rottend. *Tutus equos* Doruill. *accedit* Rottend. pr. a m. pr.; hoc idem in Medic. extare, Spencius teſtatur et firmat: Foggin. edidit *accedet*. Ceterum mirum Seruii acumen: „*Portus accedet*. Hic diſtinguendum, ne ſit contrarium Ve„neris petitioni, quae ait: *liceat Laurentem accedere Tybrim.*“ Argutatur quoque Spencius, qui Veneris precibus, vt *ad Latium* accedat (v. 797), non ſatis conuenire queritur acceſſum *ad Cumas*.

Iliad. Φ. *impingeret a. m.* forte ex ἐμπλήσσειν. Imitatur locum Stat. VII, 28. conf. Iliad. Φ, 294. 295. *gemerentque repleti Amnes* etc. v. Iliad. Φ, 7 ſqq. 218 ſqq. *amnes*, nam Xantho auxilia aquarum tulit Simois ibid. v. 307 ſqq. *nube caua* v. Iliad. υ, 320 ſqq. *cuperem cum* etc. eſſem; vt fuit Neptunus inter infeſta Troiae numina. v. ibid. 34 et 313 ſqq. (cf. Aen. II, 610 ſq.). Cauſſam irae enarrat idem Φ, 446 ſqq., vnde h. l. *periurae*, a periuro Laomedonte, mercedem, ob muros exſtructos ab eo exactam, negante.

812—815. *portus Auerni*, Cumas, lib. VI, 2, adeo-

Vnus erit tantum, amissum quem gurgite quaeret;
Vnum pro multis dabitur caput. 815
His vbi laeta deae permulsit pectora dictis:
Iungit equos auro genitor, spumantiaque addit
Frena feris, manibusque omnis effundit habenas.

814 *V. e. tamen*, a. Ven. et ed. Ven. 1472, non male, meo iudicio. Heins. coni. *Vnus erit, tanto a. q. g. quaeres*, parum feliciter. *quaeret* iam dudum ante Pier. et Henricopetri a Venetis, inde a Naugerio, qui sic emendauit, editum est. Vulgo praeter Menag. alt. et Ven., quos Burm. laudat, omnes codd. *quaeres*, vt non ad Aeneam, sed ad Venerem referatur. 817 *auro* omnes scripti Pier. et Heins., nisi quod in Hamburg. pr. vulgatum voc. *curru* pro diu. lect. adscriptum, et in Ven. recentissimo legebatur, *I. e. genitor curru*. Laudat quoque *curru* Burm. ex Witt. et nos ex Goth. pr. Sed facile intelligitur *currum* esse interpretamentum *auri*, h. e. currus aurei. *Aurum* pro eo dici, quod ex auro factum est, Heins. copiosius quam velis adstruit; desiderat tamen Burm. exemplum, quo *iungere auro* recte dici probetur. Nihil vidi subtilius; quasi *iungi auro* eum offendere debeat, qui *tegi auro* VII, 279, *nodari in aurum* IV, 138, *armari auro* III, 517, Χρυσὸν δ' αὐτὸς ἔδυνε περὶ χροΐ et similia probauerit. Idem vir doctiss. *Fingit equos auro* (quod non Latinum est; nam equum fingit magister domando ac docendo), vel *equos auro*, vt *abiete puppes* accipit. Sed et ipse Heinsius, cum a Beda *I. e. auri* laudatum sit, in hoc inclinabat, vt *auris equi* intelligeretur. Nemo nostrum est, qui non interdum in tales tricas incidat, quas sibi ipse induit. 818 *loris* pro *feris* Exc. Burm. *que* aberat a Reg. *perfundit* Parrhas.

que Italiam. *Vnus*, Palinurus; cf. mox v. 833 sq., quod episodium nunc praestruit; idem *vnum caput* v. sq. Male Seru. hoc ad Misenum refert; qui nec in nauigatione periit, sed accessu iam ad Cumanum littus facto.

816 sqq. Qui sequitur locus, ex ornatissimis est, exemplo haud dubie in priore parte Homeri, Iliad. N, 123 sqq., qui tamen plus sublimitatis habet, in ceteris alterius Graeci poetae, expressus. Omnino hoc poetis sollenne, deos marinos inducere monstris marinis alludentibus circumdatos nauigantibus conspectos. *auro* iugo aureo. v. Var. Lect. *feris* pro equis. v. II, 51. ad

Caeruleo per ſumma leuis volat aequora curru.
Subſidunt vndae, tumidumque ſub axe tonanti
Sternitur aequor aquis: fugiunt vaſto aethere nimbi.
Tum variae comitum facies; inmania cete,
Et ſenior Glauci chorus, Inousque Palaemon,
Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis.

819 *Caeruleum* Medic., ſed a m. pr. *aequore* Goth. pr. *curſu* Hugen. et Erf. 820 *tumulumque* Menag. pr. *ſonanti* quatuor Burm. cum Goth. ſec., at hoc minus poeticum. Nec argutandum in eo, quod in aquis rotarum ſtrepitum nemo exaudiat; eſt proprium ac perpetuum epitheton rotarum. *tonantis* Hugen. 821 *equis* Sprot. et Medic. a m. pr. Idem a m. ſec. *fugiuntque ex aethere n.* 823 *Glaucique* alter Hamburg. *Ionius* Rom., male. al. *Inoius.* Γλαύκου χοροὶ, Ἰνώου τε Παλαίμων.

v. 819 ſq. conf. ſup. I, 147. 154 ſqq. v. 822. *Tum variae comitum facies*, exquiſitius quam comites varia facie et adſpectu; nam *cete*, belluae marinae, in comitatu Neptuni aliorumque deorum marinorum; Proteo quidem pro armentis ea paſcente Odyſſ. γ, 448 ſqq. Georg. IV, 430 ſq. 823. 824. Deos marinos omnino deſignat, quorum principes *Glaucus* ac *Phorcus* cum *Melicerta.* conf. ſup. v. 240, et Georg. I, 437. *Glauci chorus*, vt *Phorci chorus* ſup. v. 240 et ap. Plin. H. N. XXXVI, 4, ſ. 7, (qui hunc locum animo habuiſſe videtur) a Scopa factus marmore in aede Neptuni *Neptunus ipſe et Thetis atque Achilles, Nereides ſupra delphinos et cete et hippocampos ſedentes; item Tritones chorusque Phorci et priſtes, ac multa alia marina; omnia eiusdem manus, praeclarum opus etiam ſi totius vitae fuiſſet. ſenior*, vt omnes omnino dii marini, quod docent theogoniae, quibus rerum origo ab aqua petebatur. *Inous Palaemon*, Melicerta Inus ſ. v. Georg. I, 437. *Phorci exercitus*; deos marinos intelligo, propter laudatum modo v. 240 huius libri. Alioqui ad phocas et belluas marinas refe-

Laeua tenent Thetis, et Melite, Panopeaque virgo,
Neſaee, Spioque, Thaliaque Cymodoceque.
Hic patris Aeneae ſuſpenſam blanda viciſſim
Gaudia pertentant mentem: iubet ocius omnis
Adtolli malos, intendi brachia velis.

825 *tenet* Medic. cum multis al. At melius *tenent* Roman. *Milite* Rom. et Medic., male; eſt Μελίτη. *Panopeia v.* duo Burm. et hic; at eſt Πανόπεια. cf. ſup. 240. 826 *Niſeeque, Niſſeaeque, Niſeque, Niſie, Niſeo, Niſeae, Niſeis, Niſſeae Eſpioque, Niſae Eſpioque — Tholoque — Chimoeque*, aberratt. Verſus converſus e gr. Νησαίη Σπειώ τε, Θάλειά τε Κυμοδόκη τε. Idem iam Ge. IV, 338 lectus. 828 *praetentant* alter Hamb. 829 *intendi in b.* Medic. a m. pr., quod Heinſius non eſſe de nihilo putabat: ita enim ſolere *in* abundare. Laudat: *meditari in praelia, inferri in hoſtem* etc. Sed, vt haec locum haberent, deberet a poeta ſcriptum eſſe: *vela intendi in brachia.* Porro Doruill. *extendi br.* Romanus: *br. remis*, cum Oudart. Sed manifeſto librarii errore; forte ex v. 136.

ram. v. Val. Fl. III, 727. 825. 826. conf. Georg. IV, 338 ſqq., vnde v. 826 huc translatus. *Melite* apud Homer. Iliad. σ, 42 et Heſiod. Theog. 246 inter Nereides occurrit. De *Panope* conf. ſup. ad v. 240. Forte in hoc deorum marinorum recenſu Maronis doctrinam Aeſchyli Γλαῦκος Πόντιος inſtruxerat. Ipſum autem phantaſma deorum marinorum et monſtrorum circa nauem ludentium petitum eſt ex Apollon. IV, 930 ſqq., vbi nauem e Planctis liberat Thetis cum Nereidibus.

827—839. Poteſt obſcurum eſſe, cum v. 777. 778 iam vento ſecundo nauigaverint, quid nunc nouae rei conſequutum ſit, inprimis cum Neptuni per mare invectio tranquillum mare et ſerenum caelum effeciſſe ſit narrata v. 820. 821. Nihil puto aliud v. 829 ſqq. declarari, quam in ſumma maris caelique tranquillitate ventum iam ante ſecundum increbuiſſe, eoque facto nunc ſolis velis nauigaſſe Troianos, remisque otium feciſſe. Itaque in omnibus nauibus nunc mali attolluntur, vela

Vna omnes fecere pedem; pariterque ſiniſtros,
Nunc dextros ſoluere ſinus; vna ardua torquent
Cornua, detorquentque. Ferunt ſua flamina claſſem.

830 *omnis* Rom. 831 *ſ. manus* Goth. tert. a m. pr. 832 *flumina* ambo Menag. cf. mox v. 843.

intenduntur. *intendi brachia velis*, de antennis agi vel ex Val. Flacci imitatione lib. I, 126 conſtat; vbi Iuno videt *Pallada velifero quaerentem brachia malo*, antennas; et duplicem poetae eſſe in his verbis ſtructuram: *vela intendere antennis*, et, *antennas intendere velis*, ſatis notum eſt; vt nolim hic turbas factas. 830. *Vna omnes fecere pedem.* Copioſis virorum doctorum ad h. l., inprimis Guellii, et ad Catullum, Lucianum et al. disputationibus agitata dictio. Nunc vulgaris eſt illa obſeruatio et ſatis conſtat, *pedes* et Gr. πόδας nautis dictos funes, quibus inferiores veli anguli, ſorte et ipſi interdum *pedum* nomine declarati, puppim verſus adducuntur; et vento quidem ſecundo a puppi ſpirante, ad vtrumque latus adducti, vela ad ventum excipiendum expandunt, vt *vtroque pede* currere diceretur nauis; ſic et ap. Apollon. II, 932 velum ἐς πόδας ἀμφοτέρους intenditur; ſin ventus, etſi ſecundus, obliquus tamen eſſet, vel modo a dextra modo a ſiniſtra ſpiraret, *vno pede* ſeu fune intento, angulum veli inferiorem modo ab hac modo ab illa parte explicant. v. Catull. IV, 21. Plin. II, 47 ſ. 48. *Facere* autem *pedem*, vt *facere vela*, expedire, parare. Fundus rei in Homero Odyſſ. κ, 32 Αἰεὶ γὰρ πόδα νηὸς ἐνώμων· quem de velis accipiendum eſſe vix dubites, cum Aeoli beneficio nauiget; vide ibi v. 25 ſqq. Hoc loco ventum variante impetu oblique incidiſſe, illa declarant, quae declarandi cauſſa adiecta: *pariterque, nunc ſiniſtros, nunc dextros ſoluere*, et intenderunt, *ſinus* velorum; quod dum faciunt, etiam antennas in-

Princeps ante omnis denſum Palinurus agebat
Agmen: ad hunc alii curſum contendere iuſſi.
Iamque fere mediam coeli Nox humida metam
Contigerat; placida laxarant membra quiete
Sub remis fuſi per dura ſedilia nautae:
Quum leuis aetheriis delabſus Somnus ab aſtris
Aera dimouit tenebroſum, et dispulit vmbras,
Te, Palinure, petens, tibi ſomnia triſtia portans
Inſonti; puppique deus conſedit in alta,

834 *adhuc* Goth. pr. et Hamb. pr. a m. ſec. *ad hunc*, ad huius exemplum, imperium. *curſu c.* Oudart. et ed. pr. *curſum deducere* Hugen. et Zulich. 836 *laxarant* Heinſ. cum melioribus poſt Pier. retinuit, alii *laxabant*: et ſic Ald. pr., at a Naugerio mutatum in *laxarant* ed. 1514. Doruill. *laxabat*, ed. Ven. *laſſarant*, Zulich. *rex laxat*. Porro alter Hamb. a m. ſec. *placidi l. m. quieti*, et Bigot. *placidae — quieti*. 837 *feſſi* Doruill. *dira* Ven. 838 *dilapſus* et hic aliquot. *demiſſus* Wall. 839 *demouit* Zulich. *dimoſit* Sprot. Mox *d. auras* pr. Hamb. pro var. lect. 840 *triſtia ſomnia* alii cum praeſtantiſſ. Mediceo, quod ab Heinſio in *ſomnia triſtia* mutatum nolim, cum et minus ſuaue ſit auri,

flecti neceſſe eſt: *vna ardua torquent Cornua detorquentque*. Sic venti ſui, h. e. ſecundi, ferunt claſſem; donec ſub noctem recta a puppi flare incipiunt, ſec. v. 844 *Aequatae ſpirant aurae*. 833. De *Palinuro* Iaſi f. memorat, quippe in fabulis Italicis nobili. v. Exc. VII. *agmen*, vt poeta, dixit de claſſe, quam ducit Palinurus. Mox v. 835. Noctem deam curru vectam cogita, eamque et in altum caeli euectam, v. Excurſ. II ad lib. II. *meta*, pro ſumma, celſiſſima parte, in vertice caeli. 838 ſq. Somnus opprimit gubernatorem Palinurum: hoc vt poeta ornauit. vid. Excurſ. VIII.

840—846. *triſtia ſomnia*, manifeſte pro ſomno; quod notandum propter alia loca.

Phorbanti ſimilis; funditque has ore loquelas:
Iaſide Palinure, ferunt ipſa aequora claſſem;
Aequatae ſpirant aurae; datur hora quieti:
Pone caput, feſſosque oculos furare labori. 845
Ipſe ego paulliſper pro te tua munera inibo.
Cui vix adtollens Palinurus lumina fatur:
Mene ſalis placidi voltum fluctusque quietos
Ignorare iubes? mene huic confidere monſtro?
Aenean credam quid enim fallacibus auſtris, 850

etſi aurium iudicium incertum eſt, nam video Brunckio et Beckio hunc verborum poſitum ſuauiorem videri, et codicis Romani lectio ea ſit; Heinſius vero Mediceum exemplar ſequi maluerit. 842 *Forbantis* aliquot Pier. *fundit* Heinſ. poſt Pier. cum melioribus. Alii *fudit*. Tum *querelas* Bigot. *voce querelas* Doruill. et Goth. tert. 843 *f. ſua flamina* Colot. et Medic., hic quidem iam correctoris manu notatus. Repetitum ex v. 832. *puppem* Ven. 845 *ſoporî* Zulich. pro var. lect. 846 *tua munia* Goth. ſec. et Erf. 848 *Mene maris* Goth. ſec. *placidum voltum* aliquot Pier. *vultus* alter Hamb. et Exc. Burm. 849 Pro *iubes*, *velis* Zulich. pro diu. lect. Hunc et ſeqq. duo verſus Acron Ge. Fabricii ad Horat. I, 5 contraxit in vnum, memoriae vitio: *Mene huic concredere monſtro Aeneam toties deceptus* (*deceptum* et ante, *confidere*, Schol. Cruqu.) *fraude ſereni*. 850 Donatus legit: *quid enim falla-*

Phorbantem forte ex Iliad. ξ, 490 petiit poeta. De ceteris v. Excurſ. VIII. 844. 845. *Aequatae aurae*, opp. *vento obliquo*. v. ſup. ad v. 830, et IV, 587. *furari* exquiſitius quam ſubtrahere, ſubducere. κλέπτειν.

847—857. Comparant Lucret. II, 556—559. *vix adtollens lumina*. Bona Seruii nota: „*numinis praeſentia praegrauatus; nam „et ſequens eius oratio turbata eſt; quod et ſemiplenae indicant elocutiones.*“ Recte vtique. *Mene iubes ignorare* (pro vulgari: noſco illud, ſatis notum mihi eſt) mare placidum, h. e. quam facile illud turbetur. *mene huic confidere monſtro?* mari, quod, inquit Donatus, decipit multos, in-

Et coeli toties deceptus fraude ſereni?
Talia dicta dabat, clauumque adfixus et haerens
Nusquam amittebat, oculosque ſub aſtra tenebat.
Ecce deus ramum Lethaeo rore madentem,
Vique ſoporatum Stygia, ſuper vtraque quaſſat

cius auſtris Et coelo? Debebat ſaltem diſtinguere: *Aeneam credam (quid enim fallacius?) Auſtris Et coelo?* Poteſt ſcribi: *Aeneam credam, quid enim? fallacibus auſtris!* At interpoſitum ſic *quid enim?* habet aliam notionem: quid ni? cur non? Vt in illo Horatii: *quid enim? concurritur.* Sic quoque τί γάρ; Etiam Seruius ſic interpretatur. Sententia tamen ea aliena eſt a loco noſtro. Pro *auſtris auris* Roman. Medic. cum aliis Pier. et Heinſ. ac Burm. Idem et Seruius in interpretatione exhibet, et Pompon. Sab. Sed alterum Donatus. Ge. Fabricius h. l. inter obſcuriſſimos habebat. 851 *Et coelo* codd. Pier. et Gifan., item Donat. cum Seru. v. ad v. praec. Ita *fraude ſereni* iungendum, vt *ſerenum* pro *ſerenitate* dictum ſit. v. Burm. *ſereno* aliquot Pier. et Gud. a m. pr., ſed conf. inf. v. 870. 852 *Talia dictabat* Mentel. pr. *clauoque* Medic. a m. pr., dum librarius ad proximum *adfixus* referret; ſed *clauumque* ad *amittebat* retrahendum. *adnixus* Wall. et pr. Hamb. *clauumque ac ſidera inhaerens* Zulich. *adfixus, adhaerens* Goth. ſec. 853 *Numquam* pr. Hamb. a m. ſec. *admittebat* alter Hamb. *ſub a. ferebat* Goth. ſec. 855 *Vique* Rom. *quaſſant* Medic. a m. pr.

ſido ingenio, et repente mobili. Sane hunc vocis vſum ita paullo inſolentiorem videri non nego. Malim tamen ipſam hanc maris inſolitam tranquillitatem, ſubdolam et inſidioſam, per *monſtrum* declaratam putare. *quid enim* h. l. eſt *quomodo vero?* vulgaris ordo eſſet: *quid enim Aeneam credam auſtris?* 851. *Et caeli toties deceptus* — et quidem, qui toties deceptus ſim ſerenitate caeli! Mox 852 ex Odyſſ. γ, 281 translatus eſt, vnde de Phrontide Palinurus adumbratus eſt.

854—856. Tandem ſomno oppreſſus obdormiit. Cf. Exc. VIII. *ramum* proprie accipito. cf. Apollon. IV, 156.

Tempora; cunctantique natantia lumina ſoluit.
Vix primos inopina quies laxauerat artus:
Et ſuper incumbens, cum puppis parte reuolſa,
Cumque gubernaclo, liquidas proiecit in vndas
Praecipitem, ac ſocios nequidquam ſaepe vocantem. 860

856 pro *cunctanti* Burm. coni. *luctanti*, ſed quidni et illud bene dictum ſit et exquiſite? *Cunctatur*, qui reſiſtit, non vult cedere, reluctatur, v. c. Ge. II, 236 *Spiſſus ager: glebas* cunctantes *craſſaque terga Exſpecta.* cf. inf. VI, 211 de eo, qui ſenſim ſenſimque inflectitur; inuitus tamen et reluctans: XII, 940. Pro *natantia*, *luctantia* Doruill. Debebat ſaltim: *cunctanti luctantia*, vel *nutantia l. ſ. nutantia* Goth. ſec. Vtrumque cum metri vitio. Haeret iterum Burm. in *ſoluit:* quid eſt, *lumina ſoluere?* et coniicit: *condit* vel *claudit.* Sed vigilantis *oculi* ſunt *intenti*, inprimis h. l. Palinuri, qui in caelum ſublatos oculos habebat v. 853. Igitur remiſſi illi, et a ſomno allabente relaxati *ſolui* dicuntur; vt de ſomno perpetuum hoc, *membra, corpus, lumina ab eo ſolui:* vnde etiam *morte ſolui* oculi dici potuere: vt accipi poterat illud IV, 244 *et lumina morte reſignat.* Etſi idem alio rem contemplandi modo *deuincire, alligare, corpus, oculos*, non minus recte dicitur. 857 Vitioſe e Burm. ed. legebatur et interpungebatur: *Vix — artus Et ſuper incumbens, quum puppis p. r.* Nam Somnus deus incumbit, vrget, premit, h. l. 858 *Vix laxauerat — et proiecit* exemplo et auctoritate non caret; cf. ad III, 9, etſi mollius erat: *Vix laxauerat artus: Vt — proiecit*, 860 *voce vocantem* Colot. Medic. et Moret. ſec.; eadem varietas alibi et ſupra hoc ipſo libro.

Ducta res ab aqua luſtrali. Imitatus eſt locum Silius X, 355 ſeqq. et poterat in id phantaſma facile incidere poetae ingenium, quia vſu loquendi ſomno natura humida tribuitur, ſorte ab noctis roſcido aere ducta. conf. ſup. ad I, 691. 692. III, 511. Aſperſione aquae Lethaeae *ſoluuntur*, laxantur, oculi ſomno illabenti obnixi et intenti. *Cunctari* poetis dicitur, qui reſiſtit, reluctatur, *natantia*, nota nunc elegantia de incerto motu. v. Ge. IV, 496.

857—861. *Vix laxauerat — et proiecit*, poetica ſtructura, ab Homero petita,

Ipſe volans tenuis ſe ſuſtulit ales ad auras.
Currit iter tutum non ſecius aequore claſſis,
Promiſſisque patris Neptuni interrita fertur.
Iamque adeo ſcopulos Sirenum aduecta ſubibat;
Difficilis quondam, multorumque oſſibus albos;
Tum rauca adſiduo longe ſale ſaxa ſonabant:
Quum pater amiſſo fluitantem errare magiſtro
Senſit, et ipſe ratem nocturnis rexit in vndis,

861 *ad auras* Heinſ. cum melioribus. Alii *in a.* 862 *ſetius* ſcribunt Medic. et alii vetuſtiores. v. Heinſ. Etiam Benedictus in ed. Iunt. 1520 codicum auctoritate et metri lege eam ſcripturam defendebat. cf. ſup. ad Ge. II, 277. *ſaetius* Rom. *non ſegnius* aliquot ap. Burm. cum Goth. tert., perpetua varietate. *non ſerius* Bigot. *aequora* alter Hamb. cum Witt., non indocte, per aequora. *ae. nauis* Sprot. 864 *ſcopulis* bini a m. pr. cum ed. Geneu., facili lapſu. *auecta* bini alii Burm. *adducta* Ven. 866 *tonabant* Zulich. a m. pr., ſed *ſonabant*, Burm. inquit, requiritur, *vt ſibilans littera repetita exhibeat maris ſtridorem.* Argute ſatis. Malim hanc cauſſam reddere: *Sonare* eſt vocab. poetis ſollenne de fluctibus, etiam ſi ſcopulis alliſi fragorem edunt grauiſſimum: quidni igitur poetae eam vocem et hic relinquamus; etſi alias non minus recte *mare*, *fluctus*, *ſcopuli* tonare dicuntur. 867 *fluitantem* vett. apud Pier., *fluctantem* Doruill. 868 *nocturnus* Ven.

pro cum proiecit ſcil. Somnus Palinurum, et mox 861. auolauit. *Cum puppis parte*, bene Seruius: „pro oeconomia, vt triduo natare potuerit.“ v. VI, 349 ſqq. Mox *interrita*, ſine offenſione, nullo aduerſo caſu exterriti, nauigant.

864 — 866. Reſpicitur in *difficilis quondam* Homeri locus Odyſſ. μ, 39 ſqq. 166 ſq., quem Virgilius ante oculos habuit. Adde Apollon. IV, 891 ſeqq., et Orph. Arg. 1268 ſqq. Teneant adoleſcentes, non longe a Capreis in Paeſtano ſinu tres eſſe Sirenum petras (νήσους Σειρηνούσας) aduerſus promontorium Surrentinum, fluctuum alliſione olim et naufragiis in-

Multa gemens, casuque animum concussus amici.
O nimium coelo et pelago confise sereno,
Nudus in ignota, Palinure, iacebis arena!

869 *commotus* Vratisl. *confusus* Hugen. pro var. lect. 871 *Nudus et* edd. vulgg. ante Pier. et Goth. pr. *in ignara* pr. Hamb. cf. ad Ecl. VI, 40. Ceterum notabilis ad v. extr. Seruii nota: Sciendum sane, „Tuccam et Varium hunc finem quinti „esse voluisse: nam a Virgilio duo versus sequentes (lib. VI, 1. 2 „*Sic fatur lacrimans classique immittit habenas Et tandem Eu-* „*boicis Cumarum allabitur oris*) huic iuncti fuerunt: vnde in „nonnullis antiquis codicibus sexti initium est: *Obuertunt pelago* „*proras.*" Vt appareat, cui debeamus hanc obseruationem criticam, e Pompon. Sab. locum subiungam: „*Sic fatur lacrimans.* „*Et tandem.* Probus his duobus versibus, inquit, finitur hic „liber in Tuccae et Cornelianis commentariis" (hos equidem ignoro qui sint. Seruius quidem ad Aen. IV, 127 Cornelium Balbum Grammaticum memorare videtur) „et Virgilium ita etiam finisse „manifestum est, et inchoasse sextum librum: *Obuertunt pelago* „*proras.*" Nescio tamen, cur factum sit, vt Phici* (in marg. *forte Ticianus.* Non tamen intelligas facile, quomodo vel in Chorographia, vel in Thematibus Virgilii: v. Seru. ad Aen. X, 18: occurrere simile quid potuerit; nisi alia scripsit eaque grammatica. Sic et paullo post Pompon. ad vocab. *habenas* Ticianus dicit, ex vero locutum, quia vela apud veteres loris ligabantur) „aliter „habuerit. Apronianus autem principium esse docet: *Sic fatur* „*lacrimans.*" (Et sane sic expressum in Mediceo). Ceterum neutra ratio difficultate caret. Omnino vitiosa videri potest haec libri quinti in media sententia clausula, quae saltem paullo ante post v. 861 *Ipse volans tenues se sustulit ales ad auras* interponi debuerat: nam noui libri initium commode tunc fieri poterat: *Currit iter tutum.* Ita res ipsa nouum sequenti libro narrandi ordinem suppeditabat, accessu Troianorum ad littus Italiae. Verum est aliud praeterea, idque grauius forte, quod monendum erat: nisi


fames, narratas in iis esse antiquissima fama Sirenes, ab Homero duas, ab aliis tres; templum quoque et sacra iis eo in loco constituta narrari in Mirabil. Auditionib. c. 110, vbi cf. not. in ed. Beckmann. Fuit ex iis Parthenope inprimis celebrata vrbis nomine. De forma Sirenum v. ad calcem editionis dicta ad Parerga Excursus VII libri III.

870. 871. Aeneae verba

aurium iudicium animique sensus prorsus me fallit, vltimi hi duo versus: *O nimium caelo. Nudus in ignota* a Virgiliana mam profecti non sunt. Nihil dici poterat frigidius et languidius, et grammatico acumine dignius. Nec veritas inest; tantum enim abfuit, vt caeli marisque tranquillitati Palinurus nimium confideret, vt potius nimia sedulitate peccaret; eo enim, quod quieti dare se nollet, commisit vt somno oppressus mari mergeretur. Mihi itaque, cum ex ipsa re, tum ex iis, quae e veteribus Grammaticis paullo ante appositа sunt, ita statuendum esse videtur: Poetam reliquisse vltima huius libri non satis elaborata, interque haec eum verba Aeneae, de Palinuri fato conquesti, ante *Sic fatur lacrimans*, nondum interposuisse. Varium adeo et Tuccam, cum constituerent Aeneidem, haesisse in h. l. et primo initium libri sexti ex suo iudicio, non satis acuto, a verbis *Sic fatur lacrimans* fecisse; repugnantibus aliis, qui a versu *Obuertunt pelago* librum sextum exordiendum censebant; tum, cum post *Multa gemens casuque animum concussus amici* verba Aeneae conquerentis aut nulla aut non satis expolita essent, aut ex his aut e suo ingenio duo hos versus interposuisse, ne ante verba: *Sic fatur lacrimans*, oratio hiaret.

sunt. v. lib. VI, v. 1, et cf. Var. L. *serenum* h. l. etiam de pelago; nisi ex nota formam interpretari velis, vt sit: *caelo sereno pelagoque placido*. conf. Burm.





EXCVRSVS I

Super Aeneae acceſſu ad Siciliam.

Bis Aeneam ad Siciliam acceſſiſſe narrat poeta, primum cum littus Italiae inferioris et Siciliae orientale praetervectus Drepani portum intraſſet, lib. III, 707. add. Dionyſ. I, 52; et iterum, cum Carthagine et ab Africae littore euectus, vt Italiam peteret, ventis aduerſis ad Siciliae littus occidentale eſſet reiectus. Tenebat tum illa loca *Aceſtes*, vt Virgilius ſcribit, vel Egeſtes, Egeſtus, a quo vrbs *Egeſta*, *Aegeſta* vel *Segeſta* appellari coepit (v. poſt alios et Burmannum ad Numiſm. Sic. p. 394 Eckhelium in Doctrina Numor. vet. Vol. I, p. 234); Virgilio *Aceſta* V, 718, quod tamen nomen et Stephanus Byz. habet in Ἀκέστη. Ab hoc Aceſte Aeneas benigne hoſpitio exceptus ſocios et naues refecit. Erat enim ille Troiano ſanguine oriundus, quippe e Troiana femina, de qua varie traditur, in Siciliam delata et a Crimiſo fluuio compreſſa, ſuſceptus: v. V, 38. 39 *Troia Crimiſo conceptum flumine mater Quem*

genuit; quae antiquissima ignotae stirpis deducendae ratio est, vt parens edatur huius eius terrae, in qua gens aliqua sedem habuit. Itaque *diuinae stirpis Acestes* appellatur V, 712. Fabulas de Aceste plures, ad quas numi quoque apud Parutam, Doruillium, Principem Torremuzza, et nunc apud Eckhelium alludunt, vide apud Seru. ad I, 550. V, 30. Alia congessit Cluuer. Sicil. ant. II, 2. Sed in summa diuersitate consensus fit in hoc, vrbis Segestae conditorem creditum esse Troianum, et Troianos colonos veteribus Sicanis in his locis fuisse admixtos. Nota res vel ex Cicer. Verr. IV, 33. (Accessere mox Graeci coloni: sed vel sic apud Thucyd. VI, 11 Nicias eos barbaros appellat περὶ Ἐγεσταίων ἀνδρῶν βαρβάρων· et sic res se habuit in plerisque Siculis ciuitatibus; quae res dissensionum ciuilium perpetua caussa et fons erat, vid. ibid. c. 17). Recte Silius XIV, 45 *Miscuerunt Phrygiam prolem Troianus Acestes Troianusque Helymus* etc. Proxime ad poetae verba Strabo XIII, p. 608 B. οἱ δὲ (φασὶ τὸν Αἰνείαν) εἰς Αἰγέσαν κατᾶραι τῆς Σικελίας, σὺν Ἐλύμῳ Τρωὶ, καὶ Ἔρυκα καὶ Λιλύβαιον κατασχεῖν, καὶ ποταμοὺς περὶ Αἰγέσαν προσαγορεῦσαι Σκάμανδρον καὶ Σιμόεντα. Dionysius vero, tamquam communiorem narrationem, his non dissimilia exponit lib. I, 52, secundum quae Elymus et Aegestus iam ante Troiae excidium vrbe profugerant et vento secundo vsi in Siciliam peruenerant. Hi circa Crimisum fl., de quo non minus multa fabulose narrantur: v. apud Schol. Lycophr. 953. 471, in Sicanorum agro consederunt, parte agri ab his accepta, propter Aegesti cognationem, qui, in Sicilia natus et educatus, cum adoleuisset Troiam redierat. Quod quomodo factum sit, mox a Dionysio l. c. narratur. Tum porro: hos suos populares cum in his locis offendisset Aeneas, amanter cum iis aliquod tempus exegit, vrbesque iis condidit, καὶ κατασκευάζεται αὐτοῖς πόλεις Αἰγέσαν καὶ Ἔλυμα, partemque comitum ibi relinquit. De *Elymis* infra videbimus. Sed *Segestam*, apparet, quam ingeniose poeta arripuerit, vt ab Aenea conditam eam nunc perhiberet, cum traiectus in Italiam fieret, vt adeo eius comites longi erro-

ris taedio capti, parte etiam nauium incendio consumta, in nouam coloniam transcriberentur: De his inf. 711 sqq. 749 sqq. Et v. 718 *vrbem appellabunt permisso nomine Acestam.* Quo intelligitur, v. 756 *hoc Ilium, et haec loca Troiam Esse iubet,* non ad vrbis nomen, sed ad originis Troianae recordationem et repraesentationem esse referendum. Nescio, an ita Burmannus e. l. acceperit, vbi Ruaeum refellit. Potuit tamen poeta aut accepisse hoc aut fingere, fuisse in ipsa vrbe loca ab Aenea iis nominibus designata, vt Troia et Ilium essent; siquidem etiam fluuii fuerunt Simois et Scamander in agro vrbis. v. Strabo XIII, p. 608 B, quo forte respexit poeta V, 634 *Nullane iam Troiae dicentur moenia? nusquam Hectoreos amnes Xanthum et Simoenta videbo?* Nec vero ipsos Segestanos alienos fuisse ab ea fama, deberi Aeneae origines suas, colligere licet ex numis Segestanis, in quibus Aeneas Anchisen cum Palladio vrbe exportans exhibitus est.

Dicat tamen aliquis, et eandem difficultatem mouit Cluuer. p. 260 Sicil. ant., *vrbes Acestae* poeta iam lib. I, 549. 550 memorauerat: *Sunt et Siculis regionibus vrbes, Arnaque Troianoque a sanguine clarus Acestes,* adeoque se *vehementer obliuiosum* prodidit, dum hoc demum libro quinto vrbem Acestae exstruendam narrat. Enimuero primum historia plures vrbes, non vnam, ab Aegesta conditas perhibet; tres quidem Lycophron v. 964, quas Scholiastes *Aegestam, Entellam, Erycem,* recitat. cf. Cluuer. eod. cap. Dionysius Αἰγέσαν καὶ Ἔλυμα memorat in Aegestii gratiam ab Aenea conditas. Elyma quidem in Erycem, Ἔρυκα, mutat Cluuerius. Quidni tamen, si Elymi, populus, fuerunt, vt infra videbimus Exc. III ad v. 73, vicus vel oppidum esse vel tradi potuerit τὰ Ἔλυμα? etiam si nulla eius alia memoria occurrat. Mox c. 53 (p. 42) Veneris Erycinae templum conditum fertur ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τῶ Ἐλύμα, vbi praestat forte cum viris doctis scribere, ἐπὶ τῇ κορυφῇ τῶ Ἔρυκος. Nam Bocharti argutiis equidem non multum tribuere soleo, qui et hic, vt *Erycem* ab hebraica origine ducere possit, in *Elymum* illud mutat, vt

ad *Elim* tandem res deducatur. Ferrem tamen *montem Elymum* ab Elymis habitatoribus dictum. Si historica fide vti nolis, et contendere, nunc demum ab Aenea vrbem Acestae paratam esse, quandoquidem Acestes venatu inter siluas vitam egisse traditur V, 37 *occurrit Acestes Horridus in iaculis et pelle Libystidos vrsae*, et 301 *Adsueti siluis, comites senioris Acestae*, eoque ducunt alia loca, V, 617. 631. 717: tamen vel sic recte poeta *vrbes* iam ante dicere potuit, quae eodem loco, I, 557 *sedes*, pro quocunque omnino habitationis genere: *At freta Sicaniae saltem sedesque paratas Vnde huc aduecti, regemque petamus Acestem.* Atque hoc vnum ad expediendas difficultates huius generis sufficit.



EXCVRSVS II

De Eryce.

V, 23. 24 *Nec litora longe Esse reor fraterna Erycis portusque Sicanos.* Adde v. 391. 392. 403. 412 sq. et 759 — 761 *Tum vicina astris Erycino in vertice sedes Fundatur Veneri Idaliae, tumuloque sacerdos Ac lucus late sacer additur Anchiseo.*

Mela II, 7 *Montium Eryx maxime memoratur, ob delubrum Veneris ab Aenea conditum.* Ex vulgari opinione nomen ab Eryce ductum, quem adeo poeta docte et ipsum in carmine memorauit, v. 391 sq. *Eryx* hic pugilatu nobilis, Veneris e Buta filius (v. Hygin. f. 260, alios ap. Cluuer. Sicil. ant. p. 269 sqq.), etiam in numis Segestanorum obuius. v. Burmann. ad Numism. Sic. p. 396 sqq. In Erycinorum numis apud Parutam et Pelerinum ipse Hercules occurrere videtur. Quod in monte Eryce fuit tem-

plum Veneris antiquissimum, vt ad Phoenicum Astartes religionem, non tam male, vt multa alia, a Bocharto referatur (*Canaan.* II, 1), vulgari tamen fama Troianos conditores habere ferebatur. Hinc nihil suauius versibus 759 sqq., quibus Aeneam suum poeta auctorem templi facit, etsi de hoc scriptorum fides omnium non conuenit. Potest tamen teneri, quod et Diodorus lib. IV sub f., qui classicus de Eryce locus est, prodit, nouis saltem decoribus templum ab Aenea fuisse ornatum; et inter manifestissima Aeneae in Siciliam aduentus indicia a Dionys. I, 53 memoratur τῆς Αἰνειάδος Ἀφροδίτης ὁ βωμός, Veneris Aeneadis ara in Eryce monte. Quod vero mireris, non defuere, qui Aeneam Veneris Erycinae signum secum asportasse comminiscerentur; si vera sunt, quae Solinus habet c. 2, pag. 13 E. *agro Laurenti — vbi, dum simulacrum, quod secum ex Sicilia aduexerat, dedicat Veneri matri, quae Frutis dicitur.* Salmasius, *quae Erycis dicitur* legit. Male. v. Ios. Scaliger ad Festum in *Frutinal. templum Veneris Frutis*, scil. a *Frus, vnde fruor.*

Bene etiam Acestae, hoc est, Segestae, primordiis huius templi origo subiungitur; nam mansit in Segestanorum ditione etiam ad seriora tempora hoc templum, vt satis ex Cicer. Verrinis et Tac. Ann. IV, 43 constat.

Quod de *Anchiseo* in Eryce subiungitur, v. 760. 761, habet et ipsum historicam rationem. Hygin. f. 260 *in hoc autem monte dicitur etiam Anchises sepultus;* etsi Ge. Fabricius non male suspicatur ad templum et Flaminem D. Caesaris poetam respicere.

Tandem, etsi ludi funebres poetae ingenio et Homeri exemplo debentur (cf. ad pr. lib. V), inferiae tamen Anchisae, in Sicilia factae, et nouemdiale sacrum antiquam

habuere memoriam. Ouid. Faſt. II, 543, vbi de annuis inferiis: *Hunc morem Aeneas pietatis idoneus auctor Attulit in terras, iuſte Latine, tuas. Ille patris Genio ſollennia dona ferebat: Hinc populi ritus edidicere pios.* Eo ſpectant hoc libro verſus: 59. 60 *atque haec me ſacra quotannis Vrbe velit poſita templis ſibi ferre dicatis.* Fanum Aeneae Segeſtae memorat Dionyſ. I, 53.



EXCVRSVS III

De Elymo, Entello aliisque ex antiquitate Siciliae.

V, 73 *Hoc Helymus facit; hoc aeui maturus Aceſtes.* Magna poetae etiam in hoc libro laus eſt, quod hiſtoricae fidei fabulas ſuas ſuperſtruendo eruditam aliquam voluptatem lectoribus apponit. *Helymi* enim vel *Elymi* clarum nomen in Siciliae originibus Troianis. Troia ille iam ante excidium vrbis exierat cum Aegeſto. v. Dionyſ. I, 52 et ſup. Exc. I ad h. lib., etſi alii apud Strabon. XIII, p. 608 B. eum Aeneae comitibus adſcripſerunt. Verum etiam Lycophron v. 965 Anchiſae nothum eum perhibet, et ab Aegeſto in Siciliam adductum. cf. ib. Schol. et Seru. ad V, 73. Itaque Virgilius docte Elymum Aceſtae comitem adiunxit v. 73 et inf. 300. 301. conf. Silium XIV, 45. 46.

Ab hoc Elymo populum Elymos in iisdem circa Erycem et Segeſtam locis Thucyd. VI, 2 et Dionyſ. I, 53 ductum eſſe tradiderunt. Antiquioris tamen illi fuiſſe originis

videntur; vt vel loca docent a Bocharto Can. I, 30, p. 569 sqq. congesta.

Ceterum Virgilius etiam in hoc libro nomina virorum non indiligenter partim ex Homero transtulit, partim ex historiis. Ita v. 298 *Salius* et *Patron* cursu certant. Salius autem Arcas cum Aenea in Italiam venisse Polemone auctore apud Festum in *Salios* traditur. Patron Thurius in Aluntinis agris consedit. v. Dionys. I, 51. *Euryali* (v. 294 et al.) nomen ex Homero satis notum, inter pugiles in ludis funebribus Patrocli; Vt autem ei pulcritudinis laudem attribueret, suspicor Virgilio in mentem venisse ex eo, quod Ibyci carmine olim fuit celebratissimum nomen Euryali, pueri formosi, vt ex fragmentis intelligitur ap. Athen. XIII, p. 564 F.

Entellum autem v. 387 sqq. inter heroes Siciliae habitum fuisse, vel ex vrbis Entellae nomine coniectes. Nam mos perpetuus antiquitatis est, ex vrbium nominibus conditores fingere. Seruius ad V, 389: *Sane sciendum, hunc* (Entellum) *secundum Hyginum, qui de* Familiis Troianis *scripsit, vnum Troianorum fuisse, de quo Virgilius mutat historiam.* A Schol. Lycophr. ad v. 953 vrbs Entella inter vrbes ab Aegesto conditas memoratur. cf. Cluuer. Sicil. ant. p. 377 sqq., qui in Silii versibus XIV, 204. 205 dilucidandis laborat: *Entella Hectoreo dilectum nomen Acestae.* Sed sequitur Silius nostri poetae fidem, secundum quam Entellus inter ceteros Acestae comites ante Aeneae tempora in Siciliam venerat, eique amicitia iunctus fuerat. Saepius iam monuimus, diuersitates has fabularum docere, a poetis pluribus eandem fabulam fuisse tractatam, adeoque Virgilio, doctissimo poetae, non defuisse, vnde materiam carminis sumeret.


EXCVRSVS IV

Veſtis cum raptu Ganymedis intexto.

V, 250—257. Talium veſtium, arte inprimis Babyloniorum et Phrygum celebratarum, cum ζῴοις ἐνυφασμένοις, intextis figuris ac ſignis, vſus olim frequens eſſe debuit. Exemplum ſit veſtis Sybaritica in Mirabil. Auditionib. c. 99, poetae quidem in earum argumentis enarrandis operam ponere amant. Noſtro poetae praeiuit Apollonius I, 721 ſqq. in Iaſonis laena, et is, qui nimis copioſus in veſte tori coniugalis Thetidis eiusque argumento eſt, Catull. Epithal. 50 ſq. Ex Apollonio et hoc Virgilii loco ſua adumbrarunt Valer. Fl. II, 409 ſqq. Silius XV, 421 ſq. cf. XIV, 657 ſqq. (Eſt quoque in Euripidis Ione locus, qui de veſte picta accipitur, in templo Delphico v. 190 ſqq. De veſte quidem, quibus parietes inducti ſint, vix licet accipere. Chorus ſpectantium ſtat *ante* aedem (vid. 223. 238). Saltem de velo obducto in atrio agi dicendum erit; etſi rem nondum ſatis expeditam eſſe ſentio; alia enim ad picturam in pariete reuocant. Docte emendauit et illuſtrauit locum nuper Wakefield in Tragoediar. Dilectu.) Omnibus dux factus eſt Homerus, in Laodices tela Iliad. γ, 125 ſqq. Ad paterae caelaturam Virgilii locum transtulit Statius I Theb. 548 ſqq. Virgilium in pictura aemulatus eſſe fertur Michael Angelus Bonarrota: cuius plura extant apographa aere expreſſa: quae hic commemorare nihil attinet; vt nec gemmas eiusdem argumenti, quas nunc in Catalogo ectyporum Taſſie memoratas videre licet. At in Virgilio argumentum picturae quale tandem eſſe dicemus? Primo adſpectu duplex eſſe videtur: primo Ganymedes venatu feras proſequens; tum idem ab aquila raptus, dum ſublimis in aerem fertur, allatrantibus infra canibus. Forte tamen dicere praeſtat: priora valere ad ornatum poeticum et ve-

rum argumentum esse habendum, quod e venatu, seu inter venantum turmas puer ab aquila raptus in sublime fertur. Firmat iudicium Statius Theb. I, 548 sq. *Hinc Phrygius fuluis venator tollitur alis; Gargara desidunt, surgenti et Troia recessit. Stant maesti comites, frustraque sonantia laxant Ora canes, vmbramque petunt, et nubila latrant.* Hac specie ex venatu rapti Ganymedis, allatrante infra cane, statua est apud Hispanos, in regia villa S. Ildephonsi (v. *Caimo Vayo Italiano* Tom. II p. 141) et Romae aliud signum, refectum et sartum a sculptore Pacetti (v. *Guattani Monimenti inediti* 1786 p. 76). Extat quoque signum rapti ab aquila Ganymedis in Atrio Bibliothecae S. Marci Venetiis (v. *Zanetti delle antiche Statue* etc. Tom. II. l. 7.) ductum forte a *Leocharis* signo apud Plinium XXXIV, 19, 11 *Leochares* (fecit) *aquilam sentientem quid rapiat in Ganymede, et cui ferat, parcentem vnguibus, etiam per vestem.* Adumbrata est eadem res simili modo in numis Dardaniorum, Geta imperante: (cuius generis vnum videbis expressum in *Cabinet du Duc d' Orleans* inter ornamenta Tom. I, p. 48) et in alio numo Ilienstum: vid. Eckhel Doctrina numor. vet. P. I. Vol. II. p. 486. Diversa rei specie est alius Ilienstum numus in Museo Arigoni (ibid. laudatus p. 484) in quo aquila Ganymedem e capillis prehensum rostro sublimem fert. Sed prior illa, elegantior, ratio merito praelata etiam in mundo muliebri ex auro occurrit apud Com. de Caylus (*Recueil d' Antiquités* Vol. II. pl. XLVII). Alias sollennis est Ganymedis exhibendi ratio, vt ille stet vel sedeat adstante aquila. Eiusmodi signa extant plura; stantis quidem in Museo Pio Clementino Tom. II. tab. 35 praeclaro opere et excellenti inter cetera, tab. 36. ibid. in palatio Lancellotio, in palatio Farnesio, apud Cavacepp. Tom. I. tab. 13. in Museo Florent. Tom. III. tab. 5. Est autem fabula ex iis, quae tenuissima primordia habuere, nata

ex antiqua formula declarandi pulcritudinem: amatum esse aliquem a diis, a diis esse raptum. Conf. ad Apollod. pag. 532. 3. Creticae omnino fabulam esse originis discimus e lib. I de Rep. Platonis pag. 636. Si tamen Homerum audias, Troianae originis habenda illa esse videtur Iliad. E, 265 sq. Υ, 231—235. Disertior est narratio in Hymno in Ven. 203 sq.





EXCVRSVS V

De Ludo Troiae.

V, 545 sqq. Ex elaboratissimis poetae locis esse arbitror locum hunc de Ludo Troiae, quo Romanis suis inprimis probare debuit hunc librum, cum ludicrum hoc, per nobiles pueros (εὐπατρίδας) celebrari solitum, summo haberetur honore, saepiusque ab Augusto esset exhibitum. conf. Suet. Aug. 43. Dion. XLVIII, 20. XLIX, 43 et viros doctos ad illa aliaque loca. Vidit quoque acute Eckhel memoriam talis ludi in numo Caii Caesaris seruari: Doctrina numor. vet. Vol. VI, p. 170. Ductum vtique illud ab antiqua saltatione armata, pyrrhiche, ὀρχήσει ἐνόπλῳ, cuius originem ex Creta petere solent scriptores; etsi illa omnino priscae hominum vitae in Graecia communis esse debuit. Quod si a Troianis temporibus deductum illud est, debuit profecto ab initio curule esse. Equis enim aliter illa aetate vti nesciuerunt, vt satis ex Homero liquet. Debuit etiam

ex eius temporis more cum auriga insistere currui παραβάτης, vt per totum Homerum fieri solet; vnde hoc aurigandi genus Τρωϊκὴν διφρείαν appellasse putandus Xenophon Cyrop. VI, p. 322 ed. Lond. Quaecunque tandem rerum morisque vicissitudo fuerit, ad ludum equestrem nobilium puerorum res deflexit, quo primo decursus equester agebatur, tum praelium equestre adumbrabatur. Vt autem poetae in inueniendo artificium recte teneas, tenendum est, Virgilium non attigisse decursum armatorum circa tumulum, quem antiquus funeris celebrandi mos et Homeri exemplum, Odyss. ω, 68 sqq. cf. Iliad. ψ, 13 sqq. postulabat. cf. inf. XI, 188 sq. Stat. VI Theb. 213 sqq. adde, quae Vignolius ad Columnam Antonini Pii disputauit c. 9 super anaglypho stylobatae, quo *militaris decursatio equestris* exhibita est, cuius partem in Edit. Iustic. lib. III Aen. translatam video; ad quam v. Saxium. Hunc itaque cursum ὁπλίτην sollerti animo melius ad Ludum Troiae, nouum et intactum ab aliis poetis ludi genus, transtulit.

EXCVRSVS VI

Classis Troiana incensa.

V, 604 sqq. *Hic primum Fortuna fidem mutata nouauit.* Sequitur locus de incensa classis Troianae parte: quae res et ipsa historica fide superstructa iucunditatem Romanis lectoribus afferre debuit; quo magis ita ψεύδεα ἐτύμοισιν ὁμοῖα sibi apponi videbant. Nam fuisse scriptores, qui traderent (ὡς λέγεσί τινες), naues aliquot Troianas a mulieribus combustas, etiam Dionysius meminit lib. I, 52. Factum id esse in locis circa Menden et Scionen in Thessalia auctore Aethylla, Priami sorore, a Protesilai copiis captiua in Thessaliam abducta, (addiderat sorores Asiyochen et Medesicasten Apollodorus) apud Cononem traditum legas Narrat. 13. add. Stephan. Byz. in Σκιώνη. Alii scriptores facinus hoc mulierum Troianarum, dum captiuae ab Achiuis ducerentur, in Italia ad Crathin,

circa Sybarin, perpetratum tradiderant; Setaeam feminam facinoris auctorem edidit Lycophron. 919 sq. add. Stephan. Byz. in Σηταῖον· quae narrationis diuersitas vnde orta sit, facile doceri potest. Scilicet primum rem nonnulli (v. Strabo VI, p. 262 B. adde Schol. Lycophr. ad v. 921) ad Neaethum fl. supra Crotonem transtulerant, quasi ab initio Ναύσιθον dictum, etiam propterea, puto, quoniam non longe abest Crimisus fluuius cum altero illo Siciliae iuxta Entellam, nec longe ab Aegesta, confusus. At alii simili lusu in nominis origine *Caietae* naues incensas tradiderant. Aurel. Vict. O. G. R. 10: *At vero Caesar et Sempronius aiunt, Caietae cognomen fuisse* (nutrici Aeneae), *non nomen, ex eo scilicet inditum, quod eius consilio impulsuque matres Troianae taedio longi nauigii* (h. e. nauigationis) *classem ibidem incenderint; Graeca scilicet appellatione, ἀπὸ τῦ καίειν, quod est incendere.* Tandem fuere multi, qui in Tiberis ostiis naues Troianas aliqua Roma auctore combustas narrarent, quae ipsa vrbi Romae nomen dedisset. Ita tradiderat auctor rerum Argiuarum secundum sacerdotum, quae Argis erant, annos, Damastes Sigeensis aliique; et, quamquam in ceteris diuersus, Aristoteles ap. Dionys. I, 72. Hos scriptores sequutus est Plutarchus in Romulo pr. et de Mulierum Virtut. non longe a pr., et inter eosdem fuit Heraclides Lembus. v. Solin. c. 1. Festus in *Romam* pag. 455, vbi conf. Dac. et, quem nunc video distum in his fuisse, Rutgers. Var. Lect. I, 20.

EXCVRSVS VII

Episodium de Palinuro.

V, 833 sqq. Si quaeras, quid poeta episodio hoc de Palinuro, quod a rei summa alienum videri potest, spectaverit, a doctrina poetae tale consilium repetendum esse videtur, quod *Palinuri* memoria in Italiae Troianorumque ad eam accessus originibus et historiis non erat obscura; promontorio etiam, ab eius nomine insignito, ad sinum Veliensem, celebris; rem itaque satis memorabilem omittere noluit; eamque lib. VI, 337 sqq. inseruit, nunc praestruxit. Sed eadem narratione nunc commode poeta vsus est ad rerum varietatem, ne extrema nauigationis pars et traiectus e Sicilia in Italiam omni casu vacaret. Tandem nouam rei suauitatem Homerica imitatione affudit; nam Odyss. γ, 278 seqq. Phrontis Menelai gubernator in medio cursu occidit.

EXCVRSVS VIII

Somnus Palinurum opprimens.

V, 838 sq. *Cum leuis aetheriis delapsus Somnus ab astris Aera dimouit tenebrosum et dispulit vmbras, Te Palinure petens, tibi tristia somnia portans.* Operose satis pro, Somnus deuolat aere. Antiquior haec est Somni aduocandi ratio, quandoquidem apud Homerum Iupiter de Olympo Somnum mittit Iliad. β, 6. sq. Quamquam *ab astris* simpliciter accipi potest etiam de aduolante; quo Burm. spectare videtur. Ornatior illa ratio apud Tibullum II, 1 extr., vt in Noctis comitatu ille incedat per caelum: v. ib. Not. At alii poetae, variandae rei et maioris delectationis caussa, modo in inferis, modo in specu ad littus Oceani occidentalis, modo in Cimmeriis, sedem Somno assignauere, vt ipse Homerus in Lemno eum collocaverat Iliad. ξ, 230 sq. Similiter mox v. 854—856 Somnus *Lethaea aqua adspergit oculos* Palinuri, vt eum sopiat,

noua rei imagine, cuius lineae in Apollon. IV, 156 sqq. extant. Apud alios poetas adflatu alarum suarum consopit, quos vult, Somnus; vt iam Orph. Argon. 1009. Callim. in Del. 239, nec hoc insuaue; vt nec ratio vulgaris, cum Somnus cornu suo soporem effundit. Potest tamen Somnus nimis opiparo apparatu h. l. inductus videri in re satis tenui et ad summum nullius momenti. Grauiores Somni partes sunt apud Homerum Iliad. Ξ, cum Iupiter esset sopiendus. Igitur ornatum locum hunc esse dicemus, et suauem, sed poetae magis ingenio, quam epicae πραγματείᾳ debitum. Nam tota nauigatio versus Italiam eo carere poterat; sed poetae erat intexenda antiqua fama, de qua paullo ante dictum est Exc. VII.





Defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum. Aen. VI, 306.

P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER SEXTVS

ARGVMENTVM

Cumas aduectus Aeneas, antrum Sibyllae petit, peractoque de more sacrificio, Phoebi oraculum consulit. Ibi et instantia pericula, et futuri belli euentum discit 1 — 160. *Miseni cadauer in littore inuentum comburit, reliquiasque sub proximo monte sepelit, qui Miseni nomen ab illo obtinuit* — 235. *Inde columbarum ductu ad aureum ramum peruenit: quo decerpto, mactatisque hostiis deos inferos veneratus, Sibylla duce per Auerni fauces ad inferos tendit* — 336. *Palinu-*

rum, quod ſepulcri honore careret, circa Stygiam paludem oberrantem inuenit, eumque vna in vlteriorem ripam traiicere cupientem Sibylla prohibet, cenotaphiique et exſequiarum ſpe conſolatur — 383. *Poſt haec Stygem traiectus Aeneas, Cerberoque medicatis offis ſopito, per loca infantium eorumque, qui falſo crimine damnati capite ſupplicium luerant, iter faciens, peruenit ad ſedem eorum, qui amoris impatientia manus ſibi conſciuerant* — 449. *Ibi Eliſam conſpicatus cum ei ſe purgare vellet, illa indignabunda conſpectum eius effugit* — 476: *inde progreſſus Deiphobum in ſedibus eorum, qui bello aliquando claruerant, multis vulneribus lacerum conſpicit, necisque eius indignum modum ab ipſo edocetur* — 534. *Relicto deinde ad laeuam Tartaro, ſceleratorumque poenas a Sibylla edoctus* — 627, *ad Ditis ipſius moenia contendit, aureumque ramum in ipſo regiae limine defigit* — 636. *Poſt haec ad fortunatorum ſedes iter inſtituit, et a Muſaeo ad patrem ſuum perducitur* — 678. *Ibi Anchiſes Aeneam filium animarum originem, purgationem, et conſummationem edocet, eique Albanorum Romanorumque regum recenſum facit, nobiliumque aliquot Romanorum nomina percurrens, ad Iulii Caeſaris et Auguſti laudes deſcendit* — 860: *Marcellumque Octauiae filium, immatura morte praereptum, miris in caelum laudibus effert* — 888. *Inde per eburneam portam ad ſuperos egreſſus, ſocios reuiſit, relictisque Cumis Caietam petit.*

Etiam hoc episodium libri ſexti ab argumenti Aeneidis ſumma alienum, paullo longius petitum et in magna ſuauitate tamen narrationis et, quam illa habet, delectationis curſum ſiſtere, impetum inhibere, Homius cenſebat. Hoc vero eſt poetam in ordinem cogere, ad annalium formulam reuocare, et omnes ingenii vires infringere. Eſt enim hoc inter poetae epici artificia, cum in

vna actione detexenda carmen epicum coërceatur, vt, variandae narrationis depellendique ſubeuntis faſtidii cauſſa, ad alia ornamenta, etiam ad ſeriores hiſtorias, deſcendere; vtque, dum miratione rerum nouarum et inſolitarum animos audientium teneat, vaticinia, ſomnia, etiam mortuorum reſponſa, futurae ſubolis recenſum in ſubſidium adhibere ſoleat. Animaduertendum porro eſt, primum Aeneae ad Italiam aditum hac narratione dignitatis et maieſtatis religioſae vim et honorem accipere; nec alienum ab Aeneidis argumento poſteritatis recenſum haberi poſſe; inprimis ex Romanorum, quibus ſuam Aeneidem condebat poeta, animis et iudiciis. Videntur autem, Homeri in Odyſſea exemplo, Necyiae a multis paſſim poetis epicis fuiſſe frequentatae; conf. inf. Excurſ. I; poterant enim hae narrationes habere magnam vim ad animos mirarum rerum ſpecie tenendos. Vidit praeterea Virgilius, pro heroibus, quos Homerus commemorat, ſe Platonicis commentis de animabus, antequam hanc vitam ingreſſae ſint, in alio loco degentibus, commode vti poſſe, vt Aeneae poſteros et res Romanas carmini intexeret. Neque vero nihil, quod ad hunc deſcenſum ad inferos duceret, aut eius expectationem faceret, anteceſſit. Annon meminimus ab Anchiſae vmbra hunc deſcenſum filio fuiſſe mandato et monitu iniunctum (lib. V, 731 ſqq.)? et multo ante iam Heleni monitu lib. III, 441 ſqq.? Cum autem totum poema et dignitatis epicae plurimum et gratiae ac delectationis ex vaticiniis habeat, quae, vt alio loco (Disquiſ. ſ. VI de rer. in Aen. tract. inuentione) obſervatum, ab obſcurioribus ambagibus progreſſa mox ad diſertiora et clariora effata procedunt, praeparatur etiam hoc libro legentis animus ad caſus et res, mox in Latio euentum habituras, primum Sibyllae reſponſo, v. 84—97, tum Anchiſae oratione et recenſu animarum, quae mox progenies Aeneae eſſet futura.



Portitor ille Charon; hi quos vehit vnda sepulti. Aen. VI, 326.

Sic fatur lacrimans, classique inmittit habenas,
Et tandem Euboïcis Cumarum adlabitur oris.

1. 2 De his verss., quos alii libri superioris fini subiiciunt, v. ad c. l. et hic Seru. 2 *Cymarum* passim vetustissima exemplaria. vid. Heins. cf. Pier. ad v. 98 ex Κύμη.

1—8. Ὡς φάτο δακρυχέων Homericum. Nouum clauum ei, quem Palinurus in mare praeceps secum auellerat (sup. V, 588. 589), substitutum fuisse non dubito; sed hoc non est, *classi immisit habenas;* Verum simpliciter excepto velis expansis vento, cursum vrgebat classis et navem regebat Aeneas, qui in Palinuri locum successerat. Nota metaphora ab auriga-tione: quam sup. V, 662 de flamma vidimus: *furit immissis Vulcanus habenis* — 2. *Euboicis Cumarum oris.* Liu. VIII, 22 *Cumani ab Chalcide Euboica originem trahunt.* v. Cluuer. Ital. ant. lib. IV, p. 1102 et qui nuper nimis operose rem prosequutus est singulari volumine Martorellus Neap. *(Gli Euboici secondi Abitatori della Città di Napoli).* De

Obuertunt pelago proras; tum dente tenaci
Ancora fundabat nauis, et litora curuae
Praetexunt puppes; iuuenum manus emicat ardens
Litus in Heſperium; quaerit pars ſemina flammae
Abstruſa in venis ſilicis; pars denſa ferarum
Tecta rapit, ſiluas; inuentaque flumina monſtrat.

3 *Obtendunt* alter Menag. *cum d.* ſec. Hamb. 4 *fundebat* tres Burm. 5 *Protexunt* Zulich. et Exc. Burm. *emînet* pr. Moret. 7 *Obſtruſa* aliquot Pier. et Burmann. ex more. *Abstruſum ignem* Georg. I, 135 vidimus. *in* abeſt ab Exc. Burmann. 8 *ſiluas inuentaque fl. m.* ante Heinſium iungebatur; itaque diſtinxit ille poſt *ſiluas*. *monſtrant* Gud. a m. ſec.

conditoribus locus claſſicus ap. Strabon. V, p. 243. Origines vrbis antecedere debuere colonias Ionicas et Aeolicas. v. Vellei. Paterc. I, 4. conf. Wernsdorf. P. M. T. IV, p. 393 ſq. Habet res difficultates, quae tamen ad poetae lectionem nihil faciunt. Cf. Simſoni Chronic. ad A. M. 2954. A ſeriore certe tempore ad antiquiorem Aeneae aetatem Cumas a Chalcidenſibus conditas retraxit Virgilius. cf. Gell. X, 16. 3. *dente tenaci*. ſup. I, 169 *vnco non alligat ancora morſu*. *fundabat* exquiſitius quam, firmabat, tenebat. v. 6. 7. Similia Aen. I, 174 ſqq. *Ac primum ſilici ſcintillam excudit Achates* etc. et Ge. I, 135 *Vt ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem*. σπέρμα Φλογὸς apud Homer. notum. *pars denſa ferarum Tecta rapit ſiluas*. Quid eſt *rapit*? ſi, corripit, colligit, comportat; aut, diripit; nihil poteſt ieiunius dici grandibus iſtis et turgidis verbis: *denſa ferarum tecta*. Igitur poeta neceſſario debuit ita accipere: *rapit* curſu, rapido curſu perluſtrant ſiluas, vt vel fontem aquae inueſtigent, vel ferarum praedam ad epulas exquirant, vt lib. I, 192 ſeq. Sic *campum rapere* dicitur equus, et *aequora rapere* nauis. Ita eadem ſententia,

At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo
Praesidet, horrendaeque procul secreta Sibyllae,
Antrum immane, petit: magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates, aperitque futura.
Iam subeunt Triuiae lucos, atque aurea tecta.
Daedalus, vt fama est, fugiens Minoïa regna,

11 *A. i. subit* Parrhas. 14 *est* a multis Pier. aberat. *M. tecta* Ven., sollenni permutatione. cf. Burm.

quae infra v. 179: Itur *in antiquam siluam*, stabula alta ferarum.

9 — 12. Ad templum Apollinis, quod antiquissimum fuit ad Cumas, monti impositum, et inde ad subiacens Sibyllae antrum tendit Aeneas. De vtroque v. Excurs. III. Facit autem id ex Heleni (III, 441 sqq.) et vmbrae Anchisae monitu V, 731 sqq. *arces;* erat templum in montium iugis; hinc *Apollo altus.* Porro *Sibylla horrenda,* epitheto translato; erant *secreta* (h. e. secretum) horrenda. cf. VII, 172. *mentem animumque* Homerico more κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν. *inspirat magnam mentem,* seu, indit mentem valde commotam, ἐνθέσιῶσαν, vt *inspirare amorem, ignem,* Aen. I, 688. sue, afflat eius mentem, mouet, incitat, furore: et hoc melius.

13. Iter ad Apollinis templum *(aurea tecta)* erat per lucum, quo illud ambiebatur; ex more vetere. Hecatae autem ille lucus cum toto Auerno sacer, vel, vt loquuntur alii, Proserpinae. conf. Excurs. II.

14 — 19. Fuisse famam antiquam apparet, templum Apollinis Cumanum a Daedalo esse extructum. Videntur Siculi et Itali, quicquid apud se mirae vel praeclarae artis haberent, ad Daedalum retulisse. Colligas hoc vel ex Diodori lib. IV, 78. Habuitque adeo forte horum populorum ars aedificandi et sculpendi originem suam e Creta. Communis narratio est, Daedalum ex Creta profugum in Sicilia a Minoe fuisse

Praepetibus pennis ausus se credere coelo,
Insuetum per iter gelidas enauit ad Arctos,
Chalcidicaque leuis tandem super adstitit arce.
Redditus his primum terris, tibi, Phoebe, sacrauit
Remigium alarum, posuitque immania templa.

15 *pinnis* Medic. Possis iungere: *Praepetibus pennis ausus se credere, coelo Insuetum* — Languet sic *coelo*. Et Ouid. Met. II, 377 de cycno: *nec se coeloque Iouique Credit — Stagna petit.* 16 *pariter* Franc. *errauit* Witt. 17 *Chalcidicam — arcem* Medic. *Chalcidicas arces* Marius Plotius lib. de metris. Apud Gell. X, 16 scriptura extat vulgata. Quartum casum praefert Heinsius. *Calchidica, Calcidia, Calcidica, Chalchidica,* aberrationes codd. v. ad Ecl. X, 50. Est Χαλκὶς, Χαλκιδικός. 18 *hic* Zulich., non male. v. Burm.

oppressum. At poeta, aliam famam sequutus, Daedalum ex Sicilia quoque fuga euasisse statuit. Praeclare Seruius: *Daedalus vero primum Sardiniam, vt dicit Sallustius lib. II Historiarum, post delatus est Cumas: et templo Apollini condito sacratisque ei alis in foribus haec vniuersa pinxit.* Ceterum totum, qui sequitur, locum copiosius persequutus est Silius XII, 89—103. Ornamenta saltem comparent studiosi. v. 15. Horat. I Od. 3, 34: *Expertus vacuum Daedalus aera Pennis non homini datis.* Verba ex antiquiore sermone poetico seruata. Cic. de Diuin. I, 47 ex Mario suo: *Hanc vbi praepetibus pennis lapsuque volantem Conspexit.* conf. sup. V, 254. In voc. *praepes* argutantur veteres Grammatici. v. Gell. VI, 6 et Seru. Nihil aliud est quam, celer, velox. 16. *ad Arctos* conf. Ge. I, 245. 246. Sane, siue ex Creta siue ex Sicilia siue ex Sardinia, vt modo e Sallustio traditum vidimus, profugus, Daedalus volatu versus septentrionalem plagam contendit, dum Cumas aduolauit. Erit tamen, quod haud neges, hoc valde tumidum a poeta dictum: *gelidas enauit ad Arctos;* nec satis est dicere, prudentia id fecisse Daedalum, ne alae ceratae sole liquescerent; aut septentrionis ob-

In foribus letum Androgei: tum pendere poenas
Cecropidae iussi (miserum!) septena quot annis
Corpora natorum; stat ductis sortibus vrna.

20 *Androgei* Heins. e codd. consensu recepit. Grammatici veteres, Carisius, Probus, Seruius et Priscianus agnoscunt et tuentur *Androgeo* (Ἀνδρόγεω), quod in recentioribus tantum codd. occurrit, etiam in binis Goth., expressum tamen erat in edd. 21 *miserûm* pro *miserorum* accipiebat Heins. *miserum iussi* sec. Goth. 22 *dictis* Goth. tert.

seruatione; vt Seruius et alii argutantur. Scilicet fuere plures olim de Daedali erroribus per aerem narrationes (vt in ipso Ouid. Met. VIII, 220 seq. non satis assequor quem cursum seu volatum tenuerit), quibus ille etiam remotiorem septentrionalem plagam adiisse ferebatur; vnde redux tandem Cumis Apollini templum ex voto posuit. Colligo hoc ex ipso poeta; tum conuenit vetus narratio de eius ad Electridas insulas in ostio Eridani accessu, de quo locus est in libro Mirab. Audit. c. 82 translatus in Steph. Byz. voc. Ἠλεκτρίδες; spectasse narratio videtur ad fabulas de Phaethonte: conf. inf. ad X, 185. *enauit* (respexit ad hoc Quinctil. VIII, 6, 18), vsitata illa metaphora inter volatum et nauigationem. cf. Ge. IV, 59. Sic mox *remigium alarum*, vt sup. I, 301. cf. Guell. *Chalcidica arce*, Cumis. v. ad v. 2. *leuis*, ornat epitheton volantem. *sacrauit* tamquam donarium ex voto. Cogita notum morem eorum, qui ex mari erant seruati. Etiam *templum* ex voto factum videri potest. Sic Cerdae visum.

20 sqq. Possunt haec, si paullo seuerius agas, a re aliena videri, et videtur poeta argumenti, quod a multis Graecis poetis tractatum fuit, quorum et fuere *Theseides*, dulcedine et copia abreptus esse. Sed obserua, quam callide narrationem in sculpturae argumentum mutauerit, et ad hoc cognoscendum otium fecerit Aeneae, praemisso Achate ad arcessendam Sibyllam. Talia autem anaglypha in templorum foribus ex metallo pretiosiore, h. l. ex auro (v. inf. v. 32), anti-

Contra elata mari respondet Gnosia tellus:
Hic crudelis amor tauri, suppostaque furto
Pasiphae, mixtumque genus, prolesque biformis
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandae;

23 *Cnosia* Rom., vt al. Burm. coni. *resplendet*. Sed recte imperum repressit vir doctus. 25 *Phasiphe*, *Pasiphe* in codd. Est Πασιφάη.

quitas probare solebat. conf. Ge. III, 26, et Excurs. XV ad Aen. I. Imitationem loci vide apud Silium lib. III, 32. Fabulam cognoscant, quibus opus est, ex Ouid. Met. VII, 456 sqq. et VIII, 153 seqq. aut ex Catulli Epithal. Pelei v. 73 sqq. et nunc ex Apollod. III, 15, 7 et Not. pag. 879 seq. *septena corpora natorum*, pro, nati, elegantius, vt saepe. Argutantur in numero Interpretes. Cum pueri septem septemque puellae mitterentur, quidni alterutrum tantum poni potuit? *stat*, adstat, *vrna*, graphice hoc ad sortitionem eorum, qui mittendi erant, declarandam. Iam v. 20—22 in vnis forium valuis expressas puta Athenas, Androgeo necem et sortitionem puerorum; a v. 23 sqq. autem in alteris valuis Cretam, taurum, Pasiphaen, Minotaurum, Labyrinthum, Ariadnen, Daedalum. Porro diligenter seruat poeta morem veterum anaglyphorum, quae plura argumenta deinceps posita cumulabant; dum de vnitate argumenti parum solliciti veteres erant. Sunt tamen h. l. res inter se cognatae et ad eundem historiarum ordinem spectantes.

23—33. *Gnosia tellus*, vt *Gnosia regna* iam vidimus III, 115. *elata mari*, perpetuum insularum epitheton, *alta*, quod alibi vidimus (cf. sup. V, 588). *respondet*, in alteris valuis ex aduersa, opposita; parte expressa est. *crudelis amor*, violentus: eodem modo *saeuum* et sic porro dictum accipe pro, magnus, nimius. *suppostа furto* pro suppositа tauro adultero, *per furtum*, κρυφίοις γάμοις μιγεῖσα, ex nota Musaei formula. Nolim

Hic labor ille domus, et inextricabilis error;
Magnum reginae sed enim miseratus amorem
Daedalus, ipse dolos tecti ambagesque resoluit,

27 *illa domus* Goth. tert.

tamen putare ipsam vaccam ligneam ipsumque flagitium expressum fuisse; sed Pasiphae v. c. demulcens taurum *inest*, tamquam pars argumenti expressa. *Veneris nefandae*, nefandi amoris. Non aliter. Nota est de Minotauro fabula, in cuius interpretatione argutantur passim veteres, etiam ad h. l. Videtur fabula simpliciter ex symbolo aliquo antiquitus in Creta obuio ducta, quod figuram humanam cum capite tauri exhibebat; erat aliud symbolum in Siciliae et Italiae numis frequentatum, corpore tauri in caput viri barbati exeunte, quod alii Bacchi seu Ebonis, h. e. solis, alii patrii fluuii, alii arationis et fertilitatis agrorum symbolum esse voluere. Mihi nondum liquet; obscurata, puto, iam dudum fuit vera symboli sententia. conf. ad Apollod. Notae p. 537. Nam multa de his virorum doctorum disputata passim extant, inprimis inter Italos Mazochii et Ignarrae; multa quoque in numorum doctrina; inprimis ab Eckhel. post Neumann. 27. Labyrinthus Daedali opus, in Pasiphaes gratiam susceptum, vt Minotaurum in eo absconderet. Sic Ouid. VIII Met. 157. Hygin. f. 40. Diod. IV, 77. Apollod. III, 1, 4. 15, 8. Apud Homerum vero Daedalus in Ariadnae gratiam chorum seu saltationem Labyrintho simílem effinxisse narratur Iliad. σ, 591 seqq. Habita tamen vere illa esse potuit, et annuo sollenni iterari, ad celebrandam scilicet publica hilaritate felicem e labyrintho fugam; expressa postea ab artifice opere anaglypho: quod iam Homeri, saltem poetae, cui illa carminis pars debetur, aetate extitit. Simile anaglyphum candido marmore, quod saltationem Ariadnes exhibebat, pro Daedali opere a Cnossiis ostentatum Pausan. IX, 40, p. 793 narrat. Homeri locum respicit Virgilius h. l. et sup. V, 588 sqq.;

Caeca regens filo vestigia. Tu quoque magnam
Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.
Bis conatus erat casus effingere in auro:
Bis patriae cecidere manus. Quin protenus omnia
Perlegerent oculis: ni iam praemissus Achates
Adforet, atque vna Phoebi Triuiaeque sacerdos,
Deiphobe Glauci; fatur quae talia regi:

30 *logens* Sprot. et Vratisl., sed fila *legit* Theseus, *fila* et iter *rexit* Daedalus. cf. Burmann. 31 *operum* Goth. pr. *in* abest ab altero Hamburg. *labor* Ven. pro var. lect. et ed. Ven. Verba *Icare haberes* a nonnullis codd., inter quos Romanus est, abesse vidit Pierius. 33 *omnia* Grammaticorum et optimorum codd., quibus fragm. Vatic. adde, est lectio. v. Pier. et Heins., vt per synizesin scilicet efferendum sit *omnja*. Librariorum insciția mutauit in *omne*, quod ipse Romanus habet, *omnem*, *omnes*, *omne*. In Ald. pr. erat *omnem*: sed iam ad calcem operis Aldus iussit e codd. legere *omnia*, quod receptum in altera edit. Ald. e Prisciano firmauit Benedictus in ed. Iunt. 34 *Pellegerent* a Virgilio fuisse exaratum, contendit Terentius Scaurus de Orthographia. Ne vero *perlegeret* scribendum putes, vt, Achate praemisso, solus Aeneas ad templum restiterit, recordandum, Aeneam pluribus comitibus exiisse. Mox v. 40 *Nec sacra morantur Iussa viri.* 36 *Deiphoebe*, *Deiphebe* aberrant librarii. At est Δηιφόβη. *quae fatur* Menag. pr., totum hemistichium nonnullis deesse notat Cerda. Forte sustulerat aliquis, voce *regis* offensus. Sed idem Aeneas rex inf. 55, sup. I, 544 et al. cf. Burm.

at idem noster rem hactenus variauit, vt nunc Daedalum narret in *reginae*, regis Minois filiae, Ariadnae, gratiam Theseo iter per Labyrinthum filo monstrauisse, quod inuentum alii poetae simpliciter ad Ariadnae sollertiam referunt. *doli* et *ambages*, flexus viae et errores Labyrinthi. cf. Cerda. hos *resolvit*, reditu et egressu monstrato. *caeca*, etiam h. l. obscura, ambigua, δυσνόητα; regit ille glomere iter incertum. Versuum 30 — 33 de Icaro suauitatem et vim facile sentis ex affectu et ex apostrophe ad Icarum proficisci. Verba Ausonius imitatus est

Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit.
Nunc grege de intacto ſeptem mactare iuuencos
Praeſtiterit, totidem lectas de more bidentis.

Talibus adfata Aenean (nec ſacra morantur
Iuſſa viri) Teucros vocat alta in templa ſacerdos.
Exciſum Euboicae latus ingens rupis in antrum:
Quo lati ducunt aditus centum, oſtia centum;

37 *haec iſta* Parrhaſ. *poſcunt* Rom. et Medic., hic a pr. m., nec male: poteſt adeo exquiſitius dictum videri: *iſta ſpectacula poſcunt ſibi non hoc tempus*, ſed aliud. Eandem lectionem reſpicit Seruii nota. *poſſit* Franc. *poſci* etiam legi poſſe Heinſius aiebat. 38 *Hunc* Franc. *grege de niueo* edd. Macrobii IV Sat. 2, male; cum diis inferis ſacra parentur. v. Heinſ. 39 *ex more* Ven. Erf. et fragm. Vatic. 40 *moratur* Goth. pr. 41 *in templa alta* pr. Hamb. 42 *exciſſum* pr. Rottend. 43 *Qua* pr. Moret., perpetua varietate.

in Moſella v. 300 ſq. *Quin καὶ μὴν καὶ*, et *vero ſane* reliqua quoque ſigna perluſtraſſent. Mox v. 38. *grege de intacto*, grege boum iugo intactorum, Ge. IV, 540 *intacta totidem ceruice iuvencas*. Deiphobe autem Glauci filia non male editur, quoniam ille inter deos fatidicos habebatur; vt bene Guell. monuit.

40 ſqq. Locorum ſitum et faciem plane legentis animo eripiunt interpretes, dum hic antrum in adyto templi in Cumani collis latere poſitum eſſe putant. Templum Apollinis erat monti impoſitum, qui mox vrbi conditae pro acropoli fuit. Quod nunc memoratur *antrum Sibyllae*, in latere eius montis exciſum, non longe ab eo loco abeſſe debuit. vid. Exc. III. Ad hoc nunc ex Apollinis templo abducit Aeneam Sibylla. Fallunt viros doctos *alta templa*, quae nunc non ſunt Apollinis aedes, ſed antrum Sibyllae.

42—44. *Euboicae rupis*: montium Cumanorum (v. ad v. 2), in quibus eſt antrum, exciſum in latere montis; doctius: latus exciſum in antrum. *aditus*, puta, ſubterranei meatus, σύριγγες, vt

Vnde ruunt totidem voces, reſponſa Sibyllae.
Ventum erat ad limen, quum virgo, Poſcere fata
Tempus, ait: deus, ecce, deus. Cui talia fanti
Ante fores, ſubito non voltus, non color vnus,
Non comtae manſere comae; ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument; maiorque videri,
Nec mortale ſonans; adflata eſt numine quando

45 *tum virgo* quidam ap. Seru. III Aen. 370. 46 *plurima fanti* Schol. Stat. Theb. X, 164. 49 *Et r. f. c. domat* Lutat. ad Stat. VIII Theb. 202. 50 *Non* Parrhaſ. *afflataque n.* Goth. ſec. Mox, vt nunc interpungitur, *quando* eſt pro quandoquidem, ſiquidem, vti et Seruius interpretatur. Mihi oratio maiorem vim habere videtur, ſi diſtinxeris: *Nec m. ſonans. Adflata eſt n. quando Iam proplore dei: ceſſas in vota precesque, Tros, ait, Aenea?*

in Aegypto appellabantur. Quod ſi itaque in interiore antro, adyto, Sibylla vaticinia effaretur, remeabat vox per infinitos hos canaliculos ſeu ſpiramina et exitus; quae res ad religioſum horrorem valde accommodata eſſe debuit (Paolum defero in his interpretandis. v. *Antiqq. Puteol.* fol. 29).

45 — 54. Tempus ad oraculum precibus poſcendum, vt ex v. 51 apparet; *deus, ecce deus:* Sentit enim illa furore diuino ſe corripi ſub ipſum templi aditum. Locus de furore vatum egregius. *Nec comtae manſere comae:* atqui erant illae reſolutae, vt in ſacris mos erat; igitur nunc non manſere vt erant, in ſuo poſitu naturali, ſed aut factae ſunt horrentes: cf. Seneca Agam. 712. 713, aut iactatae, vt Tibull. II, 5, 66, quod malim ex Val. Fl. I, 208. 209 imitatione. *maiorque videri*, μείζων εἰκιδεῖν, vt ſolent maiora viſu eſſe, quae animum ſenſusque miratione percellunt: Paullo aliter de diis, qui in hominum praeſentiam veniunt, ſup. in Excurſ. XIII ad lib. I. *nec mortale ſonans*, adeoque diuinum quid; v. V, 649 de Iride in Beroen mutata,

Iam propiore dei. Ceſſas in vota precesque,
Tros, ait, Aenea? ceſſas? neque enim ante dehiſcent
Adtonitae magna ora domus. Et talia fata
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit
Oſſa tremor, ſunditque preces rex pectore ab imo: 55
Phoebe, grauis Troiae ſemper miſerate labores,

51 *deo* pauci codd. et plerique a m. pr. vel ſec. *et propiore* Doruill. *ceſſes* pr. Menag. 52 *Aeneas* Sprot. et Goth. alt. *neque enim* Heinſ. ex ſcriptis pro *nec enim*. *dehiſcunt* Leid. vn. 53 *magnae* Ven. *domos* tert. Rottend. Mox *Vt t. f. Conticuit, g.* coni. Heinſ. 54 *dira* praefert Vptonus ad Spencerum *Fairy Queen* p. 538, vt ſint horroris plena. 55 *funditque* Heinſ. ex ſcriptis. Vulgo *fuditque;* at pr. Moret. a m. pr. *fundensque*.

cf. I, 328. Quae Spencius Polym. Dial. XVI comparat de Fama Aen. IV, 176, de Alecto VII, 448, de Tiſiphone Georg. III, 553, paullo diverſa ſunt. *Ceſſas in vota*, ad vota, exquiſitius dictum, quam ceſſas facere vota. 52. *enim*, τί γάρ; vt alias pro, vero, ſcil. niſi vota feceris. *attonitae magna ora domus*, interioris maioris antri, tamquam adyti, fores. *attonitae;* vt rei inanimatae tribuatur ſenſus idem, qui eſt in iis, qui repente reuelli fores audiunt. Nec tamen male Seru.: facientis attonitos, ſtupendae; vt, *mors pallida, triſtis ſenectus*. Scilicet debebat eſſe *attonito* tibi propter fores, vbi reuellentur: transfertur doctius epitheton ad *fores*. Videtur autem antiqua religio templorum fores nonnunquam ita machinis inſtruxiſſe, vt nulla hominum opera aperiri viderentur: inprimis in oraculis. Eo ſpectabat nota Serviana, cuius fragmentum habemus: *Trahit hoc de Matris Deum templo, quod non manu, ſed precibus, aperiebatur*.

56—62. Semper a Troianorum partibus ſtat Apollo in Homero. 57. Fundus Iliad.

Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Aeacidae; magnas obeuntia terras
Tot maria intraui, duce te, penitusque repoſtas
Maſſylum gentis, praetentaque Syrtibus arua;
Iam tandem Italiae fugientis prendimus oras.
Hac Troiana tenus fuerit Fortuna ſecuta.
Vos quoque Pergameae iam fas eſt parcere genti,
Dique deaeque omnes, quibus obſtitit Ilium et ingens

57 *direxit* Sprot. a m. pr. *diresti* Parrhaſ. *directi* Goth. tert. cum Rom. 59 *penisque r.* Rom., quod Pierius explicat: ad Poenos vsque. Sed eſt librarii lapſus. 60 *Maſſylium* multi librarii peccant; vt et al. Io. Schrader. coni. *praetextaque*, vt illud: *Germania, quatenus Danubio praetexitur* et alia. Verum ita variatur oratio, non emendatur. Apud Silium XVI, 253 eſt *extenta tellus Syrtibus*. 61 *fugientes* octo codd. ap. Burm. Sed etiam V, 629 *Italiam ſequimur fugientem*. 62 *fuerat* Montalb. 63 *paroite* aliquot Pier. quod et ipſum placere poteſt. At nec vulgata habet, quod nouare neceſſe ſit. 64 *Ilion et* Doruill. *Ilion ingens* alii Pierii, lapſu, quem alias quoque vidimus.

X, 359; verum copioſius Paridis fatum expoſuerat Arctinus in Aethiopide; nunc in Quinto Lib. III. pr. Eſt autem inter memorabiliora factum hoc Apollinis, quod ſiue ſuo ſiue Paridis telo Achillem occidit; eius enim morte fatum Troiae primo differebatur, tum autem ille multo grauius ſaeuiturus fuiſſet in Troianos vrbe capta quam mox factum eſt. Veneris precibus id dediſſe Apollinem, praeclare exponit Horat. Carm. IV, 6. pr. 58—60. omnia in maius aucta; pro Poenis *Maſſylos* tamquam vicinos, et *Syrtes*, tamquam Africae adiacentem oram, cf. Excurſ. IV ad lib. I. *penitus repoſtas gentes*: poſitas, habitantes, in interiore Africa. Silius III, 325 *Nec non totus adeſt veſper, populique repoſti; Cantaber ante omnes, praetenta* vt *Sicania praetenta ſinu inſula* III, 692. *Italiae fugientis* vid. ſup. V, 629. *Troiana For-*

Gloria Dardaniae. Tuque, o ſanctiſſima vates,
Praeſcia venturi, da, non indebita poſco
Regna meis fatis, Latio conſidere Teucros,
Errantisque deos, agitataque numina Troiae.
Tum Phoebo et Triuiae ſolido de marmore templum,

65 *Dardanidum* ed. Ven. 66 Bene Burmannus diſtinxit poſt *fatis*, vt ſit: *da Latio conſidere Teucros.* Et ſic iam inde ab Aldo interpunxerant. Alii ſic: *da (non i. poſco) Regna m. f.* 67 *conſiſtere* Rom. et aliquot codd., quos Vrſinus viderat, Goth. ſec. cum tribus ap. Burm., perpetua varietate. cf. I, 572. III, 162 et al. 69 *templa* vulgg. edd. ante Heinſ. et codd., ſed fere recentiores, vt tres Goth. Et poterat illud placere, quoniam de vno templo Dianae cum Apolline dicato Romae non conſtabat. Spanhemius, iam Burmanno laudatus, de vſu et praeſt. Num. T. II, p. 129 ex Varrone LL. VI affert locum, vnde Noctilucae templum in Palatio fuiſſe, h. e. Dianae, conſtat. Enimuero alienum hoc ab h. l.; nam obſcura aliqua aedes non poterat a poeta commemorari; ſed agi neceſſe eſt de refecto illo et dedicato ab Auguſto (v. Vita Virg. 726) et toties celebrato a poetis templo Apollinis Palatini. Nec refert, *templa* an *templum* legas: aliter enim, quam de vno illo templo, dictum nec alterum accipies. Erant in hoc templo penſiles lychnuchi ex aere mirandae artis, quas Alexander captis Thebis Apollini in Cyme (ἐν Κύμῃ) Aeolidis dicauerat, ap. Plin. XXXIV, 3 ſ. 8, quos perperam Spanhem. l. c. in aedem Noctilucae transtulit.

tuna, aduerſa ſc. Mox *obſtitit;* quae conſiliis noſtris obſiſtunt, inuiſa ſunt.

65—68. Vide v. 84 ſqq. *Da*, Seruius: *die, vtrum poſſimus conſidere;* Male. At recte Burmannus alteram interpretationem tuetur: *dā*, fac, effice, vt paſſim, v. c. XII, 97. Solent autem in vaticiniis notiones hae inter ſe permutari, vt, cum diuerſa ſint, *praedicere* et *praedicta efficere*, vates tamen ſibi arrogent, aut vt vatibus tribuatur alterum hoc. Itaque a vatibus poſtulatum legimus, vt meliora ac laetiora praedicant, ac ſi ipſi rerum euenta disponant. Pro, *fac nos conſidere*, quam grauiter iſta v. 67. 68!

69—74. Ad templum in Palatio ab Auguſto factum

Inſtituam feſtosque dies de nomine Phoebi.
Te quoque magna manent regnis penetralia noſtris:
Hic ego namque tuas ſortis, arcanaque fata,
Dicta meae genti, ponam, lectosque ſacrabo,
Alma, viros. Foliis tantum ne carmina manda;
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

70 *Conſtituam* Rom. Vrſin. et Seru. ad III, 274. Sed poeta exquiſitius verbum h. l. ſequi maluit: ſiquidem, vt vulgo fit, interpungas: *templum Inſtituam, f.* Nunc alia ratione ſuccurriſſe me vides. *diis* Witt. 71 *noſtris p. regnis* Hamburg. pr. Erf. et Diomedes lib. I. 72 *tuis* alter Hamburg. *Achaica fata* idem. 73 *imponam* Parrhaſ. *ponam genti* Mentel. alter. 74 *tantum foliis* Parrhaſ. *nec c.* tres ap. Burm., porro *nomina* Ald. pr., ſed emendauit Nauger., Goth. pr. et Nonius in *ludibria.* conf. ſup. III, 445.

reſpici, vt Aeneas ex poſterorum perſona vota faciat, iam Seruius notauit. cf. Sueton. Octau. 29. Ex Virgilii autem verbis vix aliter ſentias, quam, cum Apolline, Dianae quoque ſorori templum Palatinum fuiſſe conſecratum; vt in ludis ſaecularibus aliisque ſacris conſociatae fuere vtriusque religiones. Apud Propert. II, 31, 15 legimus, ſignum Apollinis in eo templo inter Latonam et Dianam medium ſtetiſſe: *Deinde inter matrem deus ipſe interque ſororem Pythius in longa carmina veſte ſonat. feſtos dies*, ludos Apollinares ab eodem inſtitutos. 71 — 73. libros Sibyllinos et XVuiros iis inſpiciendis. Seruati autem illi libri primum in Capitolio, ab Auguſto vero reſtituti ſub Apollinis Palatini baſi conditi; vt ex Suetonio notum Octau. 31 et Tibullo II, 5, 1 *Phoebe faue, nouus ingreditur tua templa ſacerdos,* Quindecemuir Meſſala; haec igitur ſunt *penetralia.* Neque Ouidius intelligendus aliter, etſi rem ita effert, quaſi Sibylla templum et ſacra habuerit, Met. XIV, 128 *Templa tibi ſtatuam, tribuam tibi thuris honorem.*

74 — 76. Exſequitur Aeneas Heleni praeceptum, ſup. III, 443. 457. *Ipſa canas.* Nunc igitur more ſuo relicto

Ipsa canas oro. Finem dedit ore loquendi.
At, Phoebi nondum patiens, immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse deum: tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
Ostia iamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras:

76 *finem dedit ore loquendi.* Fuisse videntur iam ante Cerdam, quibus haec ab aliena manu assuta esse viderentur, offensi forte et illi vocis *ore* pleonasmo, satis et alibi obuio. v. Burm.; tamen Seruius quoque in eo argutatur. Sed bene laudant Intpp. Lucilii versum: *Haec vbi dicta dedit, pausam facit ore loquendi*, ap. Nonium in *pausa*. 78 *posset* Rom. et Hamb. alt. 79 *excussisse* Doruill., vt solent recent. librarii. *excussura* Barthius ex suo codice. 80 *rapidum* multi ap. Burm. 81 *namque* alter Hamburg. 82 *vatisque ruunt* idem. *sub auras* Sprot. et Goth. sec., vt alibi.

non foliis inscribit dicta, sed ore profert. Tota de Sibylla fabula ad antiquissima pertinet tempora; ex iisdem etiam petita esse puta folia arborum, quibus illo aeuo scribebatur, nondum alia meliore materia inuenta.

77 — 80. Ornate omnia; a domandis equis translata verba (cf. v. 100, 101) ad vatem, quae nollet deum recipere, ἐνθουσιάζειν, cum diuina vis crederetur corpus mortale, tamquam sui non capax, grauiter vexare. *bacchatur* pro simplici discurrit, vid. sup. IV, 301. *Fingitur* equus a magistro *premendo*, h. e. pressus frenis, compressus, coercitus. cf. sup. I, 63; ergo *fingit premendo* pro premit. Est etiam breuitatis laus in *tanto magis:* Subintell. sed quanto magis illa bacchatur, adeoque reluctatur, *tanto magis* etc.

81. 82. *Ostia domus*, aditus ad interiores recessus antri: v. sup. 45 sq. cf. Callim. in Apoll. 3, 6, 7. Putanda autem nunc est Sibylla adytum ingressa, deo plena, ex adyto haec vociferari, conf.

O tandem magnis pelagi defuncte periclis!
Sed terra grauiora manent. In regna Lauini
Dardanidae venient; mitte hanc de pectore curam;
Sed non et veniſſe volent. Bella, horrida bella,

84 Duae codicum ſectae: altera, duce Romano, *terra;* et hoc ſonantius; altera, Mediceo duce, *terrae;* quod non, vt *humi, terrae*, interpretari malim, ſed *terrae pericula*, vt Pierius quoque facit. *terris* Parrhaſ. *maiora manent* Sprot. *et regna* nonnulli Pierii, omiſſa praep. *ad*, quod Heinſ. ad II, 781 illuſtrat. *regna Latini* alios legere narrat poſt Benedictum in ed. Iunt. Pierius, etiam ſcriptos, ſed ex interpolatione. Enimuero *Lauinii regna* ab vrbe noua condenda, Lauinio, haud dubie exquiſitius dicta et ad ſpiritum fatidicum melius ſunt attemperata; nec in eo prolepſis nec metrica ratio in priore ſyllaba correpta quemquam tenere debuit: v. ſup. I, 2. Sunt *regna Lauinii:* itaque ſcripſi, vt debet ſcriptum eſſe veterum more, *LauinI*, vt etiam ſup. I, 258. 270. Eadem non minus bene *regna Lauinia* dixiſſet, vt alibi *arua Lauinia, littora Lauinia*, IV, 236. I, 2. 85 *pone hanc* Vratisl. *dimitte hanc p.* Leid. et pr. Moret. 86 In *et* turbant librarii; et vel omittunt, vel ſcribunt: *Sed non eueniſſe, ſed non adueniſſe.* Eſt: verum etiam volent non veniſſe. Etiam *volunt* Mentel. pr.

v. 98, voce per caua antri reſonante: vt v. 44. Quod ſequitur vaticinium eſt inter inſigniora poetae loca, cum ſententiarum grauitate, phantaſmatum ſublimitate et doctrinae poeticae copia, tum verborum pondere, dignitate et ornatu; etiam orationis noua inflexione et variatione: vt plerumque loca, quae vaticinia exponunt, feliciſſimae artis in poetis eſſe ſolent: quandoquidem poeticum ſpiritum nihil eſt, quod aeque recipiat, quam futurarum rerum deſcriptio.

83—89. Dicta haec ſecundum Heleni praedictionem ſup. III, 458 ſqq. conf. praeclarum locum Tibulli II, 5, 39 ſqq., vbi Sibyllae oraculum alio tempore ac modo, latius tamen, expoſitum eſt. *in regna LauinI*, ad Lauinium; hoc tandem manifeſtum de aditus ad Italiam loco vaticinium (cf. Disquiſ. *de rer. in Aen. tract. inuentione* ſ. VI). Reliqua egre-

Et Thybrim multo ſpumantem ſanguine cerno.
Non Simois tibi, nec Xanthus, nec Dorica caſtra
Defuerint. Alius Latio iam partus Achilles,
Natus et ipſe dea. Nec Teucris addita Iuno

87 *cernam* Moret. ſec., male. 88 *Nec S.* Doruill. 89 *Defuerunt* alter Hamb., cum gloſſa, *in labore.* 90 *abdita* multi ap. Pier., ex more. Heumannus olim coni. *nec Teucris (addit) Iuno;* ſed repreſſus ab Burmanno ad h. l. v. Notam noſtram.

gie ad horrorem partim rerum exemplis et verborum ornatu, partim comparatione cum rebus Troianis, quarum quanta vis ad Aeneae animum ipſa recordatione eſſe debebat! 87. iam Homero frequentata rei imago Il. η, 329. *Dorica caſtra*, ſup. II, 27, vbi v. Not. 88 ſqq. Eadem calamitatum ſeries renaſcetur. cf. inf. X, 60, 61, 62. *Alius Achilles*, Turnus Veniliae f. v. inf. X, 76. Nec hoc ſine veterum exemplo. v. c. Eurip. Troad. 614. 615 Φεῦ· Φεῦ· Ἄλλος τις Ἀΐας, ὡς ἔοικε, δεύτερος Πριαμίδας πέφηνε σῆς. conf. Ecl. IV, 36 *alter erit tum Tiphys — atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles*, etiam in vaticinio. Nec aliter in praedictionibus vatum Hebraicorum Dauides et alii iterum excitantur tamquam reduces.

90. *Nec Teucris addita Iuno Vsquam aberit.* Interpretatio loci e veteribus nobis ſeruata eſt. Macrob. VI Sat. 4 vnum ex iis locis eſſe docet, in quibus vetuſtum verbum ſeruauerit poeta. *addita, id eſt, affixa, et per hoc, infeſta. Hoc iam dixerat Lucilius lib. XIV his verſibus: „Si mihi non praetor ſiet additus atque agitet me, Non male ſic ille, vt dico, me extenderat vnus;“* Etiam Seruius: *addita Iuno, inimica. Eſt autem verbum Lucilii et antiquorum: vt Plautus Aul. III*, 6, 16 *„Argus, quem quondam Ioui Iuno cuſtodem addidit.“* Sed alterum hoc Plauti ex iis potius exemplis eſt, quae doceant, quomodo voc. *additus* in hunc ſignificatum transire potuerit. Scilicet *cuſtodem dari, addi*, voc.

Vsquam aberit. Quum tu supplex in rebus egenis
Quas gentis Italum, aut quas non oraueris vrbis!
Caussa mali tanti coniunx iterum, hospita Teucris,

91 *Vsque* Ven. *Nusquam a. tum tu* Parrhas. *tunc tu* pr. Hamb. pro var. lect. *vt rebus* Leid. vnus. 92 *erraueris* Wall. 93 *Teucri* pr. Moret. Ceterum male vulgo distinguebatur, etsi Seruii exemplo, *Caussa mali tanti coniux, iterum h. Teucris;* Melius: *Caussa mali tanti coniux iterum, h. T.* Sic et mox *iterum thalami.*

proprium est; v. c. inf. IX, 649 *Tum comitem Ascanio pater addidit;* et Horat. III, 4, 79 *nequitiae additus Custos*, vultur, qui Tityi iecur obseruat. Iam autem qui *custodes additi* sunt, inprimis peccare volentibus, iidem molesti sunt, difficiles, odiosi, infesti. Nota res iam ex virorum doctorum disputationibus. Adi vel Gesneri Thesaur. LL. h. v. Virgilium imitatus est in vocis vsu Silius II, 595 *agit addita Erynnis.* Paullo aliter comparata sunt exempla, in quibus *addi* vel *additi esse* dicuntur, qui non sine molestia aliqua accedunt ad nos, vel quae nobis contingunt ingrata. v. c. apud Stat. II Theb. 320 *Et, qua non grauior mortalibus addita cura, Spes.* Ad hoc genus referenda loca, quae afferunt Drakenb. ad Silium l. c. Gronou. ad Senec. Herc. fur. 1237 et al., non ad prius. Adde Val. Fl. VI, 181. *Necdum clara, quibus sese Fuga* (Φύξις) *mentibus addat.* Aliter rem expedire voluisse videtur Burmannus, qui ita ordinat verba: „*nec Iuno aberit Teucris, addita* scilicet aliis hostibus, Turno et reliquis:" hoc vero multo durius; etiam si iungere velles: *nec aberit addita,* h. e. addetur, accedet sc. noua hostis. Si quis nondum vllo interprete inspecto locum legat, is haud dubie ita accipiet: *nec deerit* in Italia *Iuno, addita Teucris,* quae semper Troianis adesse, iis instare, eos vrgere, persequi, solet. Eas res infesti animi esse, quis dubitet?

91—97. *quum tu* pro vulgari, *tum tu. oraueris:* v. lib. VIII scil. Euandrum et Agyllinos Etruscos. *in re-*

Externique iterum thalami.
Tu ne cede malis: sed contra audentior ito,
Qua tua te Fortuna sinet. Via prima salutis,
Quod minime reris, Graia pandetur ab vrbe.
Talibus ex adyto dictis Cumaea Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Obscuris vera inuoluens: ea frena furenti

94 *Extremique* Moret. sec. 95 *crede* Goth. tert. *et* a pr. m. Medic. *audacior* alter Hamburg. et bini Goth. *audatior* Wall. *ardentior* Leid. et Hugen. a m. pr. 96 Vulgatum erat: *Quam tua te fortuna sinet.* Vt plus audeat, quam fata permittant, vix videtur bonum consilium esse; multo minus Aeneae datum, cuius omnia consilia ad fatorum ordinem a poeta attemperata sunt. *Quam* pro *quantum* vt cum Heinsio et Burmanno accipias, durum esse puto, et vero etiam ieiunum: Malis obuiam ito, quantum potes. Significantius est: quacunque via licet id facere. Accedo igitur viris doctis, vt legendum existimem, *Qua*, ea via, qua; vt sup. II, 387 *O socii, qua prima inquit, fortuna salutis Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur.* Affine est sup. I, 418. *Corripuere viam, qua semita monstrat.* nec tamen adeo longe in malis propulsandis progredi fata te sinent, sed paratum est auxilium: *Via prima s.* Atque fuit haec lectio etiam in libris plerisque Pierii; forte recentibus. Nam veteres omnes in *quam* conspirant. Inter editos princeps Ald. *qua* exhibet, mutatum a Naugerio in altera. In his tamen particulis, inprimis cum comparativus in errorem tam facile inducere debuerit, nolim librariorum fidei tam multum tribuere. Alii legunt *Quum*, quod vix probes. Toupius Epist. Crit. pag. 171 *Lego, vt mihi quidem videtur, certissime: Quo* tua te fortuna *feret.* Hoc est, poetae dictionem per lusum variare, non, corrupta emendare. *sinat* Oudart. 98 *Cumana* Doruill., sed alterum doctius: v. ad Silium IX, 57.

bus egenis, angustis, periculosis. Noli cum Seruio et aliis de fame accipere. *coniux* Lauinia, vt olim Helena. 96. *qua* via et ratione, quo modo, ἤ. v. Var. Lect. *Graia ab vrbe*, Pallanteo Euandri. Color similis est apud Apollon. II, 390 ἔνθα γὰρ ὔμμιν ὄνειαρ ἀδευκέος ἐξ ἁλὸς εἶσιν Ἀρήτου.

100. Euenta rerum obscuris verbis prodit. Imitatur locum Lucanus I, v. 637. 638

Concutit, et ſtimulos ſub pectore vertit Apollo.
Vt primum ceſſit furor, et rabida ora quierunt;
Incipit Aeneas heros: Non vlla laborum,
O virgo, noua mi facies inopinaue ſurgit.
Omnia praecepi, atque animo mecum ante pe-
egi.

101 *Incutit* pr. Hamb. pro var. lect. *Quatere frena* proprie de aurigantibus. *verſat* aliquot Pier. cum Goth. ſec. Sed hoc ad orationem vulgarem propius accederet. 102 *Vt tandem* Parrhaſ. *rapida* multi et hic. v. ſup. 80 et 49. 104 *noua non f.* Exc. Burm. *mihi* Rom., hic et alibi. Scilicet eodem res redit, ſi ſyllabas contractas ſcriptura quoque, an tantum pronuntiatione, tollas. Sed conſtantia in his ſeruanda eſt. *ſurget* Zulich. 105 *percepi* multi ſcripti et editi. Sed *praecepi* Rom. Medic. et alii vetuſtiores cum Seruio. Et hoc eruditius. cf. inf. X, 277. *ipſe peregi* Seneca Epiſt. 76 et Eugraph. in Terent.

flexa ſic omina Tuſcus Involuens multaque tegens ambage canebat. Pompon. Sab. „vera, *quae vera fu-*
„*tura erant.* Probus ait, „*vera, lucida.* Alexander (Grammaticus, vnus ex vetuſtis poetae interpretibus) „*a quo accepit Sergius* (leg. Seruius), pro, *veris obſcura miſcens,*“ male haec. Sed *inuoluere obſcuris*, eſt obſcurare; vt *inuoluere caligine, nocte.* 100. 101. *ea frena f.*, de concitato animi impetu; vt alias de curſu. *ea τοῖα*, tam valida, pro: nam admodum valida *frena.* cf. v. 79. 80. *ſtimulos ſub pectore vertit*, h. e. in pectore figit. Sed plus ineſt alteri verbo; continuato ſc. ictu. *Frena* et *ſtimulos*, ad furorem declarandum a Tragicis habet poeta; forte ex οἴστρος natos. Inter loca, quae Interpr. laudant, vnus eſt accommodatus Euripidis (Iphig. in Taur. 935) de furiis: ἠλάσθην θεᾷ, Ὡς αὐματηρὰ φόμι' ἐπεμβαλεῖν ἐμοί.

104 *facies* eſt ſpecies, genus; *ſurgit*, exquiſite, euenit, occurrit. Scilicet audierat Aeneas omnia a patre V, 730. 731 et Helena III, 458. *praecepi.* Non male Aeſchylus comparatur Prometh. 101—103. *peregi* pro vulgari, exegi, perpendi.

Vnum oro; quando hic inferni ianua regis
Dicitur, et tenebrosa palus Acheronte refuso:
Ire ad conspectum cari genitoris et ora
Contingat; doceas iter, et sacra ostia pandas.
Illum ego per flammas, et mille sequentia tela,

106 *i. i. Ditis* Leid. vnus, et Franc. in margine; ex interpret. 109 *Contingit* aliquot Pier.; at Romanus: *Vnum oro — Ire* ad *c. c. genitoris, et ora Contingam.*

106—109. *ianua regis* h. e. palatii vel regni aditus. *tenebrosa palus Acheronte refuso.* Cum Acherontem mox in inferis locis poni a poeta videamus, Seruius, et ex eo Pomponius, pronuntiant: *Auernum significat, quem vult nasci de Acherontis aestuariis:* vt Auernus adeo sit Acherontis emissarium. Fuit tamen in his ipsis locis ad Cumas *palus Acherusia* (cf. Exc. II et IX extr. ad h. libr.): ad quam Virgilius respicere debuit: *tenebrosa palus Acheronte refuso:* etsi in ea designanda vsus forte est iis, quae de Acheronte in inferis narrari solent; cui *aestus* tribuitur inf. v. 296. 297, ita vt ex inferis partibus exundet, supraque crateris sui labra exuberet (*refusa* sit) aqua; ductum id ex Platone; in cuius Phaedone p. 112 B. Steph. Tartarus omnes amnes recipit, aqua autem ἀἰωρεῖται δὴ καὶ κυμαίνει ἄνω etc. Ita passim poetae. Apud Valer. Fl. IV, 594 *Illic* (iuxta Heracleam Paphlagoniae) *Acheron — vastoque exundat hiatu Fumeus;* et de eodem Apollon. II, 747 κοίλη δὲ Φάραγξ κατάγει μιν ἄνωθεν. Ipse enim Acheron in imis terrae radicibus: Κυάνεον δ' Ἀχέροντ', ὃς ἔχει ῥιζώματα γαίης, Orph. Hymn. XVII, 10. De his ipsis autem locis Vlyssis aditu celebratis agens Lycoph. v. 695 καὶ Χερουσίαν Ῥόχθοισι κυμαίνουσαν οἴδματος ῥύσιν, et eundem in sensum Silius *eructare* dixit in loco ex Marone expresso X, 425 *specus - eructat acerbam Cocyti laxo suspirans ore paludem.* Est itaque *refusum,* si poeta noster ad aestum illum ebullientis aquae respexit, paullo ali-

Eripui his humeris, medioque ex hoſte recepi;
Ille, meum comitatus iter, maria omnia mecum
Atque omnis pelagique minas coelique ferebat
Inualidus, vires vltra ſortemque ſenectae.
Quin, vt te ſupplex peterem, et tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat. Gnatique patrisque,
Alma, precor, miſerere; potes namque omnia; nec te
Nequidquam lucis Hecate praefecit Auernis;

111 *reuelli* Bigot. In *recepi* argutati ſunt veteres Grammatici. v. Seru. et Pompon. Sab. Sed *recipimus* et recuperamus non modo amiſſa, ſed ea quoque, quae ne amitteremus metuendum erat. 113 *coelique minas pelagique* Medic. et Wall. 114 *Inualidus.* Io. Schrader. otioſum eſſe ratus emend. *Impauidus.* Verum Anchiſes ferebat, etſi inualidus, fortius quam pro virium et aetatis modo et gradu. 115 *et* abeſt a plerisque Pier. et Heinſ., comparet tamen in Medic. et Rom. Sed abeſſe poſſe nemo dubitet. *lumina, numina* etiam hic in libris. 116 *Ille o.* pr. Hamb. *ipſe o.* Hugen. Ex Pier. alii *Id me orans,* alii *Id memorans.* Tertius Rottend. *Dememorans. gnati, nati,* et in nonnullis *geniti* legitur ap. Pier.

ter dictum atque ex communi vſu, quo ſimpliciter ad aquam ſtagnantem illud ſpectaret: ἀναχυθεὶς ποταμός; etſi ne ſic quidem, poſt omnia iſta, video, quid impediat in Marone accipere paludem *Acherontis refuſi* ſeu *ſtagnantis,* reſpectu Acheruſiae ad Cumas, de qua verba ſunt Geographi: Ἀχερουσία λίμνη, ἀνάχυσίς τις τεναγώδης θαλάσσης Strab. V, p. 243 D. Mox *ſacra oſtia,* vt Homericum θεῖα, et inf. 573 (non vt Seru.), cuius voc. ſignificatus latiſſime patet, vt in noſtris linguis nihil ſit, quod ſatis reſpondeat.

116. *mandata dabat* ſup. V, 735. Mox *Hecate:* nam ſup. v. 35 *Phoebi Triuiae-*

Si potuit Manis arcessere coniugis Orpheus,
Threicia fretus cithara fidibusque canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties. Quid Theseа, magnum

119 *accersere* male et hic multi. 121 *Sic f.* Schol. Statii. v. Heins. Hygin. f. 80. *Tunc deprecatus Pollux, vt liceret ei munus suum cum fratre communicare. Cui permisit; ideoque dicitur* alterna *morte redemtus.* 122 *Quid Theseа, magnum Q. Alciden* distinxit Heins. ex Mentel. Addit Burmannus Witt. et alios. Librariis equidem tantum non tribuam. Sed iam veteres Grammatici super interpunctione disceptauere. v. Seru. et Pompon. Sab. Male eos habet, quod *Theseа* dicat *magnum*, qui sacrilegus fuerit, et qui *sedet aeternumque sedebit Infelix Theseus* inf. 617. 618; quasi vero *magnus* semper philosophicam aliquam virtutem designet. Ratio petenda erat ex elegantia poetica optimorum poetarum vsu frequentata, et ad animum et ad auditum iucunda, vt epitheton potius ad posterius, quam ad prius referatur: *Quid Theseа, magnum Quid m. Alciden!*

que sacerdos. — 119. 120. Aut supplendum alterum membrum: *quidni et mihi adire inferos liceat?* aut iungenda: *miserere — si potuit;* siquidem p. (Statii imitationem notarunt Silu. V, 3, 271 sqq.) *fretus:* pro, vsus. Homericum πεποιθὼς, πίσυνος, et in hac ipsa re Orph. Arg. 42 Ἡμετέρῃ πίσυνος κιθάρῃ, simpl. pro, ope citharae.

121. 122. Vt cum Castore, qui mortali patre, Tyndareo, natus erat, immortalitatem communicaret Pollux Ioue patre natus, hoc a diis consequutus est, vt, quoties ipse ad inferos se contulisset, fratri apud deos interim versari liceret. Hinc alternis sedes mutatae. Fabula varie a poetis tractata et ornata. Fundus Odyss. λ, 302. 303, at v. Pindar. Nem. X. Etiam Theseus et Hercules memorantur, quatenus inferos adiere. v. inf. 392 seqq. Aliter de Theseo fabula tractatur v. 618. Vnde reprehensus poeta ab Hygino, ap. Gell. X, 16, quod altero loco Theseum in inferis aeternum sedentem, in altero hoc, in quo versamur, *inter eos nominasset, qui ad inferos adissent et redissent.* Enim-

Quid memorem Alciden? Et mi genus ab Ioue ſummo.

Talibus orabat dictis, arasque tenebat;
Quum ſic orſa loqui vates: Sate ſanguine diuom,
Tros Anchiſiada, facilis deſcenſus Auerno;

123 *Alcidemque, mihi genus* tres ap. Burm. *a Ioue* duo cum binis Goth. et *ſummo eſt* ſec. Moret. 124 *tenebant* pr. Moret. 125 *Cum ſic* Heinſ. ex Medic. et aliis; alii *tum* et *tunc*. 126 Vulgo *Anchiſiade* eſt, ὦ Ἀγχισιάδη. *Anchiſiada* Medic. a m. pr. et tert. Moret., eleganter, Heinſio iudice; quia poetas Latinos alia ſic efferre videmus: *O Aeacida. Oreſta. Aeeta*, vt docuit ille ad Ouid. Ep. 3, 87. 8, 9 et al. Etiam ſup. III, 475 *Anchiſa*. A Burmanno admiſſam lectionem priſtinam iterum expulimus: conf. v. 348. IX, 653. Nec tamen hoc adeo perpetuum putandum, quo minus et vulgaris ratio ferri poſſit. Ita v. c. Val. Fl. II, 427 *Aeacide* legitur conſtanter. Alii *Anchiſiadae, Anchiſiades. discenſus* tres ap. Burm. *Auerno* nota elegantia pro *ad Auernum* repoſuit Heinſius cum melioribus, niſi quod fere habent: *Auerno eſt*. Vulgo *Auerni*, quod vulgare eſſet. *Auerni eſt* Gud. a m. ſec. Scilicet etiam h. l. duas codicum familias

vero poeta non Theſeum iiſſe et rediiſſe narrat, ſed Pollucem; Theſeum autem tantum ſic memorauit, vt de ſolo aditu inferorum ageret. Grammatici impetum accurate retudit Ouwens Noct. Hag. p. 20 ſq.

124. *aras tenebat*. Notiſſimus precantium mos. Si tamen teneas animo, Aeneam in ipſo limine templi vel antri ſubſtitiſſe (cf. mox v. 151; et is perpetuus veterum mos, ſi deum conſulerent), dum vates penetraret ad adytum, v. 98, ara difficultatem habere poteſt, quo loco ſita fuerit. Scilicet, ſi *ad limen* ſubſtiterunt conſulentes deum, de tota ea parte intelligendum, quae vsque ad adytum patebat, adeoque πρόναος et ipſe ναὸς ſub limine et aditu intelligendus. Erat autem ara in pronao: nam omnis ſacrificii ritus factus paſſim ante aedem memoratur.

125—132. *Auernus* h. l. ſimpl. pro locis inferis; non lacus, vt inf. 237 ſq., ſed vt in Ἀχέρων δυσέξοδος vel ἀνέξ-

Noctes atque dies patet atri ianua Ditis;
Sed reuocare gradum, superasque euadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est. Pauci, quos aequus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad aethera virtus,
Dis geniti potuere. Tenent media omnia siluae,
Cocytusque sinu labens circumuenit atro.
Quod si tantus amor menti, si tanta cupido est,

agnoscas: Romanus ducit alteram, *Auerni*, alteram Mediceus, vel is, vnde exscriptus ille est, *Auerno*. Pompon. Sab. „*Auerno*, „ad *Auernum*. Sic legit Apronianus." 128 *gradus* sec. Moret., sed vid. Burm. 130 *audens* alter Hamburg. *auexit* Leid. vn. *in aethera* aliquot apud Burm. 132 *Cocytos* Medic. et alii. *circumuenit* post Pierium et Gisan. ap. Guell. Heinsius e melioribus omnibus reposuit lateque adstruxit exemplis. Adde Wass. ad Sallust. Iug. 71 et alios. Vulgg. *circumfluit*. Scilicet *circumuenire* exquisita et docta ratione dictum pro, *circumire*, *circumdare*, *circumfluere;* quae vulgaria verba sunt. 133 *Quin si* coni. Heins., et Goth. sec. *Quid;* sed cf. II, 10. *t. amor*, *menti si* duo interpungunt. *mentis* alter Hamb. *est* deest Menag. pr. Goth. sec.

ὁδος. vid. Vrsin. et rel. 127. *patet atri ianua Ditis:* accessu libero et expedito. Simili modo, diebus iis, quibus februa et inferiae diis inferis fiebant, *mundus patere* antiquitus dictus: Macrob. I, 16 e Varrone: *Mundus cum patet, deorum tristium atque inferorum quasi ianua patet.* 129. Pauci ἥρωες διογενεῖς, si fuerint θεοφιλεῖς et καλοκἀγαθοί. Sententiam versuum 126 sq. *facilis descensus A.* interpretatur Seneca Herc. fur. 675 sq. *aequus*, propitius h. l.

131. *siluae* memoratae tenebrarum et caliginis significandae caussa; ducta imagine ab Auerni lacus situ: sup. 118 *luci Auerni.* v. Excurs. II. *Cocytum, Stygem, Acherontem*, promiscue ponit poeta; etsi aliis locis diuersos facit amnes; cf. Exc. IX, vti et h. l. *Cocytum* et *Stygem. sinu* praeclare, de cursu fluuii, qui ambit locum, sinuoso.

133—135. *Bis;* nata rei perceptio haec ex Homericis Od. μ, 22 Σχέτλιοι — Διὶ θανέες etc. Sed „Pollio ad-

Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara; et insano iuuat indulgere labori:
Adcipe, quae peragenda prius. Latet arbore opaca
Aureus et foliis et lento vimine ramus,
Iunoni infernae dictus sacer: hunc tegit omnis
Lucus, et obscuris claudunt conuallibus vmbrae.
Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quam quis decerpserit arbore fetus.

136 *opaco* Medic. a m. pr. 139 *plaudunt* Rom. 140 *opaca* Doruill. a m. pr. 141 *quam qui* Medic. alter Mentel. et Colot.,

„miratur, cum Aeneas esset „futurus deus, cur dicat bis. „Soluitur hoc, quia ap. Ho„merum (Odyss. μ, 600 sq.) „Vlysses vidit vmbram Her„culis apud *inferos*.“ Recte hoc; quandoquidem et heroum inter deos receptorum vmbrae in locis inferis habentur. Etsi nec hoc necesse. Nam Sibylla Aeneae, viuentis tum, fata post mortem ignorare potuit; et licet poetae diuersis locis diuersam famam sequi. Ceterorum Grammaticorum argutias vide ap. Pompon. Sab. et Seruium. *insanus labor* pro vulgari, magnum ausum, coeptum, ardua res.

136 — 149. Locum respexit Claudian. de R. Prosl. II, 290 sqq. 137. ornate, pro, ramus aureus cum foliis aureis, et latet in densa silua, ornate 138. 139. *vimen* est ipsius rami, virga. Male alii aliter. Nec tamen ipsam arborem auream credere necesse est; non magis quam Hesperidum arborem mala aurea ferentem. Vnde autem poeta ramum aureum hunc tamquam furculum in suum arbusium traduxerit, varia coniectare licet: de quibus v. Excurs. VI ad h. v., vbi suspicatus sum, a ramo ἱκετείας notionem hanc aurei rami profectam. *Iuno inferna*, Proserpina, alias Stygia, vt *Iupiter infernus*, καταχθόνιος, de Plutone (cf. Fabrett. ad Tab. Iliac. pag. 372). *Auernam Iunonem* Ouidius dixit hac ipsa in narratione Met. XIV, 114. 140. *telluris operta*, simpl. loca

Hoc ſibi pulcra ſuum ferri Proſerpina munus
Inſtituit. Primo auolſo non deficit alter
Aureus; et ſimili frondeſcit virga metallo.
Ergo alte veſtiga oculis, et rite repertum
Carpe manu. Namque ipſe volens facilisque ſequetur,
Si te fata vocant: aliter, non viribus vllis
Vincere, nec duro poteris conuellere ferro.
Praeterea iacet exanimum tibi corpus amici,
(Heu neſcis) totamque inceſtat funere claſſem;
Dum conſulta petis, noſtroque in limine pendes.
Sedibus hunc refer ante ſuis, et conde ſepulcro.

quod exquiſitius putem, pro *quam ſi quis*. *discerpſerit* multi ap. Pier. et Burm., male. *decerpit ab arbore* notaui ex Io. Sarisber. lib. VIII, p. 690 ed. Amſt. 143 *deſuit* Oudart. 144 *ſimilis* Medic. *f. vena m.* Menag. pr., errore haud indocto. 145 *inueſtiga* Doruill. a m. ſec. *oculis, ramumque r.* Goth. tert. a m. ſec. 146 *ſequatur* Bigot. 147 *nec v.* Rom. 148 *poteris duro* pr. Hamb. 150 *totusque i. f. claſſe* pr. Rottend. 151 *pendis* Witt. *pendens* Rom. et Oudart. 152 *Sedibus ante ſuis refer et conde* Doruill.

infera, quatenus ſub terra. Male Intpp. cum Mureto Var. Lect. XIV, 2 argutantur. 143. 144. ornate; in rami auulſi locum alius ſuccreſcit. Mox *rite carpe* iunge, et *ſi te fata vocant*, ſi fatale tibi eſt, inferos adire.

149 — 155. Ante oculos Iliad. χ, 386 Κεῖται παρ' νήεσσι νέκυς ἄπλαυτος, ἄθαπτος Πάτροκλος. Obſerua verborum proprietatem. *pendes* pro vulgari haeres. *ſedes* de ſepulcro alii, alii de terra admodum dure accipiunt. v. Burm. Cur non locum comparant inf. v. 371 *Sedibus vt ſaltem placidis in morte quieſcam* et v. 328 *quam ſedibus oſſa quierunt*. Errant Manes inſepulti vel circa corpus vel circa Stygem. Notiſſima res. v. Obſ. ad Tibull. III, 2, 15. at iuſtis acceptis ad loca infera admiſſi

Duc nigras pecudes: ea prima piacula ſunto.
Sic demum lucos Stygios, regna inuia viuis,
Adſpicies. Dixit, preſſoque obmutuit ore.
Aeneas maeſto defixus lumina voltu
Ingreditur, linquens antrum; caecosque volutat
Euentus animo ſecum. Cui fidus Achates
It comes, et paribus curis veſtigia figit.
Multa inter ſeſe vario ſermone ferebant:
Quem ſocium exanimem vates, quod corpus humandum

153 *haec p.* Parrhaſ. *ſumto, ſumpto*, aberratt. librariorum ap. Burm. 154 *lucos Stygiis et r.* ita Medic. a m. pr., et Romanus, quod mireris, in idem vitium conſpirat. Alii ap. Pier. et Heinſ. *Stygis et r.*, ex quo reliqua naſci potuere, alii *Stygios et r.*, inuito metro. Sed *Stygios, regna i. v.* per appoſitionem bene firmat Heinſ. 155 *immutuit* Doruill. *orbe* Medic. a m. pr. 156 *maeſtoque affixus* Gud. a m. pr. 157 *Progreditur* Medic. in marg. *Egreditur* multi ap. Pier. et Burm., male. Non videbant *ingredi* eſſe, incedere. 159 *pariter* Goth. tert. *fixit* Medic. a m. pr. *firmat* Doruill. *figit v. curis* Parrhaſ. 160 *ferebant* poſt Pier. defendit Heinſ. Alii *ferebant*. 161 *exanimum* pleriqueque, ſed alterum ex Medic. aliisque adſciuit Heinſius, auri vt conſuleret. Mox *atque*, ſtatim, eſſe vult Burm., vt Georg. I, 203, vbi v. Puto exprimi εἶτα.

quietem recipiunt. Piacularе autem ſacrum v. 153 non tam ad purgandam claſſem a contactu inſepulti cadaueris valere debet, quam ad placandos inferos, quos eſt acceſſurus: omnino enim ad inferos nonniſi expiati et placatis Manibus accedunt heroes apud ceteros quoque poetas. Hoc colliges etiam ex locis apud Cerdam. *prima* v. 153 eſt pro, prius, ante.

157. *Caecos* ignotos, obſcuros, *euentus* animo verſantem Aeneam cum Achate bene ante oculos ſiſtit.

160. 161. Pro vulgari: ſermones ferebant ſuper variis rebus. Ceterum miror, cur non in Palinuri inſepultum

Diceret. Atque illi Miſenum in litore ſicco,
Vt venere, vident indigna morte peremtum;
Miſenum Aeoliden: quo non praeſtantior alter
Aere ciere viros, Martemque adcendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes; Hectora circum
Et lituo pugnas inſignis obibat et haſta:
Poſtquam illum vita victor ſpoliauit Achilles,
Dardanio Aeneae ſeſe fortiſſimus heros
Addiderat ſocium, non inferiora ſecutus.
Sed tum, forte caua dum perſonat aequora concha,
Demens, et cantu vocat in certamina diuos,
Aemulus exceptum Triton (ſi credere dignum eſt)
Inter ſaxa virum ſpumoſa inmerſerat vnda.

165 de Hemiſtichio a poeta inter recitandum adiecto fabulam vid. apud Seru. 168 *victor vita* aliquot ap. Burm. *ſp. et armis* Doruill. 170 *haud i.* Parrhaſ. *interiora* alter Hamb. 171 *Sed dum, cum, tunc* aberratt. 172 *Veniens et c.* Goth. ſec. *certamine* Gud. et Goth. duo. 173 *ſi c. fas eſt* duo Leid. Idem hemiſtichium III Georg. 391. 174 *immerſerit* Goth. ſec.

corpus incidat Aeneae cogitatio; qua tamen nulla prior eſſe debebat. Niſi quod Miſeni cadauer in proximo litore iacet, eiusque celebritas fuit magna propter promontorium ab eo appellatum. De Miſeno tubicine vid. Excurſ. VII ad v. 162.

170. *non inferiora ſ.* docte et Graecorum more, pro, inferiorem, τὰ ἥττω pro τὸν ἥττονα. Aeneam Hectori aequiparat, vt inf. XI, 289 et al. cf. Seru. Mox 171. *concham* paullo durius pro tuba vel lituo poſuit. Nam nec in *litui* (v. 167) proprietate eſt haerendum. Sic *lituum* et *tubam* paucos intra verſus memorat Statius VI Theb. 120. 128. *Tubicinem* Miſenum vocat Propert. III, 18, 3. *Liticinem* Stat. IV Silu. 7, 19. cf. Cerda. *demens* Homericum Νήπιος! Iliad. β, 38 et ſaepe al. *exceptum* cf. ſup. III, 332 vt ὑποδέχεσθαι,

Ergo omnes magno circum clamore fremebant;
Praecipue pius Aeneas. Tum iussa Sibyllae,
Haud mora, festinant flentes, aramque sepulcri
Congerere arboribus, coeloque educere certant.
Itur in antiquam siluam, stabula alta ferarum:
Procumbunt piceae; sonat icta securibus ilex;

175 *circum magno* Montalb. 177 *festinent* Rom. *arasque* ed. Ven. *sepulcro* Gud. a m. pr. Franc. a m. sec. 178 *adducere* Vratisl., sed alterum et alibi, Burm. laudat II, 186. 461. XII, 674. 180 *acta* Goth. sec. *ilix* Wilt.

insidiis. Puta autem Misenum scopulo promontorii insidentem tuba ceciniſſe: hoc poeta tamquam ad prouocandum Tritonem factum interpretatur; itaque arrogantiam tubicinis ab hoc vindicatam, dum eum in mare praecipitaret.

177. *aram sepulcri* exquisite, quod v. 215 *ingentem pyram* a formae similitudine. Sic et Seruius; qui tamen addit: *Probus tamen et Donatus de hoc loco requirendum adhuc esse dixerunt.* In Donati fragmentis interpolatis, quae habemus, nihil occurrit. At de altero Pompon. Sab.: *Dicit aram, quia rogus, id est pyra, non fiebat sine aris, vt ait Probus.* Perperam. *Ara* est omnis basis, et h. l. ipsa pyra, cui imponitur corpus cremandum. Sublegit hoc Virgilio Silius XV, 387 *Alta sepulcri Protinus exstruitur coeloque educitur ara.* Etiam sic Val. Fl. V, 10. In seqq. ante oculos Od. μ, 11 sq. Iliad. ψ, 114 sqq. Add. Iliad. η, 417. 428 sq. ω, 662 sq. 787 sq. et locum inf. XI, 182 sqq. *Congerere* ex νηέω. Apollonium (lib. I, 403) Νήεον αὐτόθι βωμὸν laudat Gellius. Praestat memorare Il. ψ, 139 de rogo: αἶψα δέ οἱ μενοεικέα νήεον ὕλην. Iterum poeta multum ornatus (expende singula) in re tenui cumulauit; hoc quidem iam Ennii exemplo; Locum seruauit Macrob. VI, 2. Ad horum ductum sequiores poetae pigmenta sua in simili re profuderunt; Silius X,

Fraxineaeque trabes cuneis et fissile robur
Scinditur; aduoluunt ingentis montibus ornos.
Necnon Aeneas opera inter talia primus
Hortatur socios, paribusque adcingitur armis;
Atque haec ipse suo tristi cum corde volutat,
Adspectans siluam immensam, et sic voce precatur:
Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus
Ostendat nemore in tanto! quando omnia vere
Heu nimium de te vates, Misene, locuta est.

182 *ac voluunt* multi ap. Pier. et Burm., ac duo Goth. *et voluunt* Zulich. *auellunt* alter Hamb. Supra Georg. III, 378 *Advoluere focis vt mos ignique dedere.* 183 *Aeneas nec non* Witt. *operi* Parrhas. 184 *que* abest a tribus Burm. 185 *hoc* Montalb. *tristis* Witt. *cum c.* Heins. e libb. Vulgg. *tum.* 186 *voce, ore, forte* legitur. *forte* Seruius interpretatur; vt tamen versum inter tibicines *(cheville)* referat. Et hoc habet Medic. cum al. *ore* Longob. Pierii et pr. Hamb. ex v. 76. *voce* Romani codicis lectio est, quam et alii codd. exhibent, quamque bene retinuit Heins. 187 *aureis a. ramis* Montalb. 188 *numero in tanto* in cod. Boecleri legebatur; casu puto, non iudicio. *in alto* alter Hamb. *o. vera* Ven. et Doruill., non male; inprimis pro poeta. 189 *Heu n. vates de te* Montalb. Erf.

526 sqq. Statius VI, 88 sqq.; hic quidem ea cum copia, quae fastidium faciat. cf. Columna ad Ennium p. 67. Mox *piceae* proprie in rogis locum habent. cf. Plin. XVI, 10 s. 18. 182. *de* montibus int. et v. 184 *accingitur*, ὁπλίζεται, accingit se. Sagaciter autem poeta excogitauit opportunitatem reperiendae arboris mirabilis, in studio materiae conquirendae ad rogum Miseni.

187—189. *Vtinam nunc*, vt Gr. εἰ, εἰ γὰρ, v. c. qui locus in manibus est, Hymn. Homer. in Apollin. 51 Δῆλ', εἰ γάρ κ' ἐθέλεις; quem si ita acceperis, emendatione non egere videbis; nisi vt ἐθέλοις reponas. *se ostendat*, adpareat etc.; nec tamen dubitandum, etiam

Vix ea fatus erat, geminae quum forte columbae
Ipsa sub ora viri coelo venere volantes,
Et viridi sedere solo. Tum maxumus heros
Maternas adgnoscit auis, laetusque precatur:
Este duces, o, si qua via est, cursumque per auras
Dirigite in lucos, vbi pinguem dines opacat
Ramus humum. Tuque, o, dubiis ne desice rebus,
Diua parens. Sic effatus vestigia pressit;

191 *e coelo* Parrhas. 192 *insedere* Montalb. *s. loco* Exc. Burm. a m. pr. Mirum acumen e vett. seruauit Pompon., et ad v. 198 Seruius, vt *solum* sit pro aere, et *sedere*, librarunt sese; forte, quoniam *cursum* sequitur pro volatu dictum, et v. 199 *pascentes*, quod tamen per interualla fieri putandum. *cum m. h.* Sprot. 193 *agnoscat* Medic. cum al. *agnouit* alter Goth. *precantur* Gud. a m. pr. 195 *derigite* Gud. et Rom. In *opacat* haerebat Trappius; quid enim an exiguus ramus vmbra locum obscurare poterat? Addere forte voluit: et an auri fulgor vmbram loco inducere potuit? vide v. 204. Itaque coni. *inaurat*. Sed primum ramus cum frondibus et foliis cogitandus; et quidni huic, etsi ex auro, tribuat poeta id quod commune est omni frondi, vt vmbra obducat eam soli partem, cui respondet suo ad solem positu. Atqui hoc est *opacare humum* sc. quantam eius partem frondis vmbra attingit; non totum loci ambitum. 196 *tuque in d.* Menag. pr. 197 Duplex iterum codd. familia; Rom. cum aliis, *Alma p.*, Me-

alteram vaticinii partem hac arbore inuenta euentum esse habituram, quando etc.

190—196. Dignus tali vindice nodus. Ostento vel augurio aliquo res profecto nunc cummaxime erat expediенda. Quale autem aliud accommodatius quam Veneris matris aues? etsi omnino faustum et laetum hoc auspicium. v. Cerda. Sed poeta haud dubie in animo habuit Apollonium suum lib. III, 540 sqq. cf. 926 sqq.; nec Dodonaeum oraculum ex columbis obscurum est. Hoc augurio conspecto substitit et precatur, ex more. Praeivit Homerus Iliad. ν, 275. 278 sq. 195. *vbi — humum* ornate, vbi aureus ramus est.

Obſeruans quae ſigna ferant, quo tendere pergant.
Paſcentes illae tantum prodire volando,
Quantum acie poſſent oculi ſeruare ſequentum.
Inde, vbi venere ad fauces graueolentis Auerni,
Tollunt ſe celeres; liquidumque per aera labſae
Sedibus optatis geminae ſuper arbore ſidunt:
Discolor vnde auri per ramos aura refulſit.

diceus cum al. *Diua p.*; hoc recepit Heinſ. 198 *quo ſ. ferant* coni. Voſſius, ſed columbae ferunt ſignum et oſtentum, pergunt paſcentes: *illae* multi ap. Burm. 200 *poſſunt* pr. Rottend. et Ven., non male. *acies* Medic. a m. pr. *ſpectare* Vratisl. *ſequendo* qu. Moret. 203 *geminae* Burm. recepit, vt tamen mallet praeterea legi: *geminaeque ſub arbore ſidunt*, „quia raro columbas „videmus arbori inſidentes, ſed vel in tectis aedium vel humo.“ Sed de ſilueſtribus columbis ſeu palumbis erat cogitandum. *gemina ſuper arbore* Heinſius reuocauerat, librorum, puto, auctoritate, inter quos Medic. et Rom., add. Ald. pr. Ita arbor duplicis trunci in commune coeuntis faſtigium eſt intelligenda; quae hac ipſa ſui ſpecie notabilis et inſignis fieri poterat. Hoc voluiſſe videtur Cuninghamus, qui ad L. 10 D arbor. furtim caeſ. prouocat. Si tamen ad aliorum librorum, vt Longob. et nonnullorum ap. Burm., lectionem *geminae ſ. a.* reſpicias, manifeſta res eſt, eius deprauationem eſſe alteram illam, ex librariorum ſollenni in ſimilibus incuria. *geminae* iam Nauger. praetulerat: deſeruere iterum alii, etiam Angelius in lunt. et Egnatius 1507. 204 *auro* Rom. et pr. Rottend., male. *aura auri* et res (v. Not.) et Grammatici tuentur apud Burm.

198. *quae ſigna*, quale augurium, quid oſtendant.

201 — 204. Arbor ſtabat in ipſa valle. Vide v. 139. *Sedibus optatis* eleganter, arbore, quam volatu petierant. *auri aura*, ſplendor. *Aura* de luminis reuerberatione exquiſite. v. V. L. ad Ge. II, 47, vbi *luminis aurae*. conf. h. l. Seru. Sic Φάεος ἀϋτμὴ *ignis fulminei aura*, Callim. in Dian. 117 de vapore ignis, qui etiam longius diſſita adurit. Proprie in odore locum habet.

Quale ſolet ſiluis brumali frigore viſcum
Fronde virere noua, quod non ſua ſeminat arbos,
Et croceo fetu teretis circumdare truncos.
Talis erat ſpecies auri frondentis opaca
Ilice; ſic leni crepitabat bractea vento.

206 *remina arbos* indoctus librarius Goth. pr. 207 *veteres c.* pr. Rottend. a m. ſec., male. *c. ramos* aliquot Pier., ex interpretamento. *truncorum* etiam Ouid. Met. XIV, 115 *iuſſitque ſuo diuellere trunco*, ex hoc ipſo loco. 209 *leui* ſec. Moret. Goth. ſec. *Ilice ſub leui* Parrhaſ. *ſub leni* Witt. et Ven. *crepitabant* Heinſ. ex codd. protulit, vt exquiſitiore et doctiore ratione dictum ſit, dum plures eſſent bracteae. Adſtruit idem multis exemplis, quae tamen pleraque diuerſi generis ſunt, elegantiam hanc, cuius ſuauitatem fateor me ſatis percipere non poſſe. Ex altera parte librariorum ludibriis plures huius generis deliciae imputandae videntur. Eiam h. l. *crepitabat* eſt in praeſtantioribus Medic. et Rom., qui diuerſae ſectae codices ſi in eandem lectionem conſpirant, ſatis grauem auctoritatem habent. Porro *brattea*, *bratea*, *brathea*, *brachtea*, ſcribunt librarii. A tam indoctis hominibus quidni expectes, pro plurali nomine hoc habitum fuiſſe?

205—209. De viſco, frutice glutinoſo in querno arborum genere, nec minus tamen in aliis arboribus, ramis enaſci ſolito, vnde glutinum paratur, ex hiſtoria naturali notio petenda. Notae ſunt antiquorum, maxime a Druidis vulgatae, ſuperſtitiones. Ex antiquis v. Plin. XVI, 44 ſ. 93, et XXIV, 4 ſ. 6. *quod non ſua ſeminat arbos*, ex vetere opinione, falſa tamen: Plin. l. c. *Omnino autem ſatum* (viſcum) *nullo modo naſcitur, nec niſi per aluum auium redditum maxime palumbis ac turdis.* Satis nunc conſtat plantam eſſe paraſiticam, cuius ſemina aues appetunt et interdum roſtro abſportata in ramis arborum et cortice deponunt. Male habet, quod Heinſ. et Burm. ad aucupium delabi potuere. *brumali frigore*, tunc enim maturum eſt. *Seru. croceo fetu*, ex natura viſci. Plin. XXIV, 4 ſ. 6 *Optimum eſt — extra ſuluum, intus porraceum. cunctantem* non eo modo, quo 147. 148 dixerat, ſed nunc ornat; vt *te-*

Conripit Aeneas extemplo, auidusque refrin-
git
Cunctantem, et vatis portat ſub tecta Sibyllae.
Nec minus interea Miſenum in litore Teucri
Flebant, et cineri ingrato ſuprema ferebant.
Principio pinguem taedis et robore ſecto
Ingentem ſtruxere pyram: cui frondibus atris
Intexunt latera, et feralis ante cupreſſos
Conſtituunt, decorantque ſuper fulgentibus armis.

210 *extemplo Aeneas* vulgg. ante Heinſ., nec displicet. *refugit* Goth. tert. 211 *Sectantem* ex Waddel. Animadu. crit. p. 22 memorat Burm., inutilem ſane emendationem. *votis* Montalb. 213 *ſupprema* Rom. et Zulich., ex pronuntiatione an ex falſo timore, ne metrum rueret. 214 *r. ſicco* pr. Hamb. ex gloſſa. Diſtinguit Wakefield: *pinguem taedis, et robore ſecto Ingentem, ſtr.* 215 *tum f. a.* aliquot Pier. 216 *cupreſſus* Schol. Cruqu. Horat. ap. Heinſ. cf. III, 64.

nax, lentus: et erat v. 137 *lento vimine ramus*, quippe ex auro. Sic II Georg. 236 *glebas cunctantes* vidimus.

212—217. *ingrato*, malim vt Seruius altero loco ponit, gratiam nec ſentienti nec referenti. Eſt ἀναίσθητον σῶμα· vt κωφὴ γαῖα Iliad. ω, 54. 215. conf. Iliad. ψ, 164 ſeqq. *frondibus atris Intexunt latera* ornate, faciunt latera ex ramis et lignis arborum nigricantium; vt triſtis adſpectus eſſet; *et ferales . ante cupreſſos Conſtituunt.* Volunt arbores ante rogum poſitas fuiſſe, et ad Romanorum morem alludi, quo cupreſſi ante domum funeſtam ſtatuebantur. Quantum equidem video, parte ſui et facie exteriore rogus ſtructus erat truncis cupreſſinis prominentibus in tropaeorum vel ferculorum morem, quibus affixa eſſent arma. Habet etiam ſic Varronis apud Seruium interpretatio locum: *Varro dicit pyras ideo cupreſſo circumdari, propter gravem vſtrinae odorem.* Imitationes loci notarunt ex Statio IV Theb. 449. 460.

Pars calidos latices et aena vndantia flammis
Expediunt, corpusque lauant frigentis et vnguunt.
Fit gemitus. Tum membra toro defleta reponunt,
Purpureasque super vestis, velamina nota,
Coniiciunt; pars ingenti subiere feretro,
Triste ministerium; et subiectam more parentum
Auersi tenuere facem. Congesta cremantur
Turea dona, dapes, fuso crateres oliuo.

220 *cum m.* alter Hamb. cum aliquot Pier. 221 *P. vestesque super* alter Hamb. 222 *ingentes* Gud. a m. pr., vitio calami. At Burm. forte *lugentes*. Porro *periere phereto* alter Hamb. Dixit autem docte *s. feretro* pro *feretrum*, vt supra *subire muris*; et *triste ministerium* interiectum pro exclamatione. 223 *et* deest binis ap. Burm. *subiecti m. p. Auersam t. f.* Parrhas. 224 *Coniecta* Bigot. 225 *Aurea d.* alter Menag. *crateris* Ald. et Iunt., et sic fragm. Vatic. p. 181.

218. cf. Iliad. σ, 349 sqq. Odyss. ω, 44 sq. *aëna vndantia*, aquam efferuescentem in ahenis. *expediunt* cf. I, 177. Ad v. 219 Seruius laudat versum Ennianum: *Tarquinii corpus bona femina lauit et vnxit.*

220—225. Corpus collocant in lecto, veste tegunt, repositum in feretro ad rogum portant (222), eique impositum cremant: cf. Iliad. ω, 785 sqq. *Velamina nota*, ex loquendi vsu (cf. inf. XI, 195. 196), aliter vix accipias, quam, quibus ipse, dum viueret, vsus erat. Etsi ad suorum popularium morem respicere potuit, de quo laudant Intpp. nota loca Cic. de Legg. II, 23. Liu. XXXIV, 7; tamen magis probabile fit, Homerum ante oculos fuisse Od. ω, 59. At Iliad. ω, 796 cinis purpurea veste obtegitur. *subiectam tenuere*, h. e. subiiciunt, subdunt; *more parentum* Seruius: „propinquioribus enim viris sexus hoc dabatur officium.“ Sed dictum puto pro, more patrum, maiorum. Mox in ignem coniici puta thus, oleum; sed quid *dapes*? an putabimus, Romanae

Poſtquam conlabſi cineres, et flamma quieuit:
Reliquias vino et bibulam lauere fauillam;
Oſſaque lecta cado texit Corynaeus aeno.
Idem ter ſocios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui et ramo felicis oliuae;
Luſtrauitque viros, dixitque nouiſſima verba.

228 *leta* Franc. *lapſa* Zulich. *cauo* ſec. Moret. *Corineus, Coryneus, Chorincus, Corneus,* ex librariorum ſtupore multi. Eſt Κορυνᾶος a κορύνη. 229 *puram aquam* Zulich., vt Heinſ. olim coniecerat. Sed alterum (vid. Not.) doctius, adeoque poetae dignius. Itaque nec *circumluit* amplectendum, quod codd. Macrobii habent, quodque coniecerat Maſerius. *circumuenit* Goth. ſec. 231 *L. domos* Rom. cum pr. Voſſ. et vtroque Hamb. In Montalb. *viros* in litura. At Menag. pr. *Luſtrauitque choros,* quod impenſe placebat Heinſio, copioſeque ab ipſo illuſtratum eſt. Mihi quidem poeta, ſi ita dixiſſet, affectatae et putidae elegantiae crimen vix effugere poſſe videretur. *Chorus* poetis non pro quacunque turba hominum poni poteſt, ſed iis tantum locis, vbi ad chori plebis ſuperſtitionem in vitam heroicam a poeta eſſe illatam, cum in rogo, vel ad rogum, epulas mortuis apponerent et cremarent? de quo locus eſt Luciani ab Hemſterhuſio illuſtratus Contempl. 22. Non puto; ſed verbo ſacrificali corpora boum, ſuum, ouium (vid. inf. IX, 197 ſeq.) tamquam victimarum, caeſa et in ignem iniecta, ſignificat poeta: conf. Iliad. ψ, 166 ſq. Odyſſ. ω, 65 ſq.

226 ſq. Cf. Il. ψ, 250 ſqq. ω, 792 ſq. Odyſſ. μ, 13 ſq. ω, 71 ſq. Verba ex Iliad. ι, 212: Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ πῦρ ἐκάη κραὶ Φλὸξ ἐμαράνθη. 227. rogum et cineres conſpergunt vino ex more, quem nidor et calor ſuadere debuit. *cadum* dixit pro vrna; φιάλην memorauerat Homerus Iliad. ψ, 253 et λάρνακα ω, 795. Achillis autem oſſa in vaſe, amphora, condita Od. ω, 73. *Corynaeum* nominat, quoniam poetae omnia definite etiam per perſonas efferenda ſunt. Nota *vrnam* h. l. *ex aere:* cuius generis nonnulla ſuperſunt.

229 — 231. Exquiſitius *circumferre ſocios vnda,*

At pius Aeneas ingenti mole ſepulcrum
Inponit, ſuaque arma viro, remumque, tubamque,
Monte ſub aerio: qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur, aeternumque tenet per ſaecula nomen.
His actis propere exſequitur praecepta Sibyllae.
Spelunca alta fuit, vaſtoque inmanis hiatu,

naturam, ordinem, vel ritum reſpectus aliquis ſubeſt. In luſtratione nihil tale memini. Aliter rem ſe habere videbimus VII, 391. 233 *Impoſuit* Donat. in Terent. Goth. pr. et ed. Iunt. ap. Heinſ. Illa hoc habuit ex Ald. pr., mutauit in *imponit* Nauger. et hinc Flor. Iuntae. 234 *Monte ſub excelſo* Goth. ſec. ex interpret. 236 *mandata* Leid. vnus.

quam, *vndam circa ſocios*. Luſtratio haec facto funere ſollennis. *felix oliua*, quia etiam *infelix oleaſter*, ſilveſtris arbor, Georg. II, 314. *nouiſſima verba*, nota res. Vale. Aue.

232—235. *Imponit* pro, ponit, facit in illo loco, tumulum terra aggeſta, τύμβον χεύαντες et σῆμα χεύαντες, apud Homerum, heroico more forte; ἀμφὶ πυρήν, in loco, quo rogus arſerat, vt videtur res apud Homerum animo repraeſentanda, v. c. Iliad. ψ, 255. 256. η, 434. Tum *imponit* huic ſepulcro, h. e. tumulo, *ſua arma, remumque tubamque*, ſollenni more a multis illuſtrato, etiam ex ſepulcris. cf. Fabrett. ad Column. Trai. pag. 374. Cum autem haec arma et inſtrumenta terrae inſixa aeris et temporis iniuria mox corrupta interirent, mirum non eſt, alterum ritum mox eſſe praelatum, vt ea in ipſo ſepulcro conderentur, tumulo autem imponerentur e ſaxo monumenta, columnae et ſigna. Στήλην, Cippum impoſitum videmus iam in Odyſſ. μ, 14, 15 tumulo Elpenoris, et ſummo tumulo infixum remum: Quae ante oculos fuere Maroni. Ex Maroné ſumſit: *Iliacoque iugum memorabile remo*, de Miſeno Statius III Silu. 5, 98.

236 ſqq. Nunc ad ſacrum Manibus faciendum ſe accingit ex praecepto v. 153. *ſpelunca*, Auerno imminens

Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris:
Quam ſuper haud vllae poterant inpune volantes
Tendere iter pennis: talis ſeſe halitus atris
Faucibus effundens ſupera ad conuexa ferebat:
Vnde locum Graii dixerunt nomine Aornon.
Quatuor hic primum nigrantis terga iuuencos
Conſtituit, frontique inuergit vina ſacerdos;
Et, ſummas carpens media inter cornua ſaetas,

238 *Scropea* duo indocti librarii ap. Burm. Eſt Homericum: παιπαλόεσσα. *magna lacu* Leid. 239 *volucres* Doruill. et Goth. tert. ex gloſſa. 241 *infundens* Goth. tert. *connexa* vitioſe Nonius in *Auernus*. *ferebant* Gud. a m. pr. 242 Totum verſum ab alia manu inſertum credere fas eſt, certe ab epica ratione alienum. A fragm. Vatic. plane abeſt, etiam ab aliis, ſic a Goth. tert., etiam ab edit. Parmenſi. In Mediceo aliisque praeſtantioribus a recenti manu adſcriptus. Pierius tamen in ſuis codd. non deſiderauit verſum, nec in Romano videtur ab alia adſcriptus, ſed a prima ſtatim manu profectus. Satis vetus itaque eius auctoritas, vt ſorte e Priſciano Dionyſii Periegeſin v. 1149 iisdem verbis interpretante conſictus ille videri poſſit. v. ap. Heinſ. *lacum* duo Heinſiani. Pro *Aornon* alii *Aornum* et *Auernum*, et Voſſ. *Auerna*. 243 *primus* Medic. a pr. m. 244 *immergit* ed. Ven. 245 *ſumma* Rom.

(hinc *tuta lacu*) et alia quam quae ſupra v. 42 memorata eſt. v. Excurſ. III. *volantes*, volucres. Sic III Georg. 147 *Plurimus volitans*. De v. 242 Var. Lect. Sacrum Aeneas parat ſub ipſum ſpeluncae ingreſſum. Vſ. 239 conuenit cum Apollon. IV, 601 ſq.

243 ſqq. Totus hic ſacrificii diis inferis facti apparatus apud plures poetas occurrit, ductus ex Homeri pluribus locis: inprimis Odyſſ. κ, 517. λ, 25. *inuergit*, elegantius, quam, infundit, nihil amplius. *Et ſummas carpens;* pertinet ad Homericum: Ἀλλ' ὅ, τ' ἀπαρχόμενος κεφαλῆς τρίχας ἐν πυρὶ βάλλε. Iam inter victimae conſecrationem, quae ſit vino in caput libato, et pilo, tamquam pro ἀπαρχαῖς, euulſo et cremato, concipiuntur preces, v.

Ignibus inponit sacris, libamina prima,
Voce vocans Hecaten, Coeloque Ereboque potentem.
Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris. Ipse atri velleris agnam
Aeneas matri Eumenidum magnaeque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,

248 *trepidum* pr. Hamburg. cum Gud. et fragm. Vatic. m. pr. 252 *regni* Rom. 249 *Succipiunt* Seruius legerat, 251 *sterilemque ferit* Zulich. a *incoat* Virgilii aetate scriptum esse debuit.

c. Odyss. ν, 445. 446. Itaque h. l. subiicitur: *Voce vocans Hecaten.* Inde *Supponunt cultros* ex religione in sacris inferis notissima, vt prona et cernua mactaretur victima diis inferis. Mox *suscipiunt* Pompon. Sab. „antiquum verbum est;" scilicet pro *excipiunt* vulgari. Sic I, 175 *Suscepitque ignem foliis* pro excepit.

249—251. *Mater Eumenidum,* Nox (inf. XII, 846. Aeschyl. Eumen. 322), et Noctis *soror,* Terra, vt Seruius notauit; adeoque ex Chao; theogonia ab Hesiodea et Apollodorea partim diuersa partim congrua. Alio modo variant alii. Apud Valer. Fl. I, 796 post Dicen s. Iustitiam, inuocantur *Vltricesque deae, Fasque et grandaeua Furorum Poena parens:* sunt adeo Furiarum parentes *Fas* et *Poena.* Ipsis Eumenidibus sacrum facit Scipio loco hinc expresso Silius X, 429 sqq. *sterilem vaccam,* ex religionis praescripto στεῖραν βοῦν. Odyss. λ, 30.

252 — 254. *nocturnas aras* simpliciter, quia sacrum noctu fit; vt diis inferis fieri fas erat. cf. Cerda. *Inchoare,* verbum sacrorum esse Seruius tradit. Saltem exquisite positum pro facit. *Aram* autem puta in scrobe excisam, vt in sacris inferis; v. sup. I, 211. cf. Seru.; hinc *humiles aras* dixit Valer. Fl.

Et ſolida inponit taurorum viſcera flammis,
Pingue ſuper oleum infundens ardentibus extis.
Ecce autem, primi ſub lumina ſolis et ortus,
Sub pedibus mugire ſolum, et iuga coepta moueri
Siluarum, viſaeque canes vlulare per vmbram,

253 *ſolita* malebat Heinſ., et Trapp. *corpora:* at v. Notam. 254 *ſuperque* vulgo editum. *que* abeſt a nonnullis Pier. et Scheffer. Heinſii, trinisque Goth., et bene abeſſe videtur; itaque cum Brunckio omiſi. *infundens* Heinſ. ex Mediceo intulit. Vulgo *fundens*, etiam in fragm. Vatic. Sed amant poetae talia iungere: *ſuper iniicere*, *ſuper incumbere* et al. vid. Heinſ. 255 *ſub limina* Medic. cum aliis ap. Heinſ., ſed recte Burm. monet, *limen ſolis* memorari, cum de loco ac regione agitur, vnde ſol oritur; de tempore vero ortus, lumen. 256 *nigra coepta* Goth. tert. *iuga celſa* ap. Senec. VI N. Qu. 13. 257 *viſique* multi apud Pier. et Burm., aduerſus poetarum morem. *per vmbras* duo Heinſ.

III, 426. Porro 253 *ſolida viſcera*, totam victimam. *Viſcera* pro carnibus et crudis partibus etiam alias occurrunt; mox pro iisdem *exta;* Diis enim inferis fiunt *holocauſta.* Itaque ad flammam alendam oleum infunditur. conf. Apollon. III, 1030 ſq. 1190 ſq.

255—258. Tempus a media vsque ad extremam noctem intelligendum eſſe, et res et ſacri huius mos docet. Vide Apollon. III, 1028. 1190 ſq. Silium XIII, 405. 413. 419. Seru. et loca ap. Cerdam ad v. 252. conf. inf. ad 535. Quae autem ſequuntur, terrae motus et infernarum canum latratus, alias ſigna eſſe ſolent Hecates adventus in ſacris, quae ad Manes euocandos fiunt. Hic omne hoc rei miraculum non alio pertinere videtur, quam, placatam eſſe ſacro Hecaten, Aeneamque adeo ad loca infera admitti; vti apud Orpheum ad ſoluenda clauſtra luci, quo aureum vellus ſeruatur, v. 983 ſq.; et omnino ad placandam Hecaten apud Apollon. III, l. c. Neque aliter, quam de deorum infernorum venia acceptum eſſe locum a Fenelonio, docet ſuauiſſima imitatio in Telemacho lib. XVIII, p. 123. Imitatus quoque locum eſt

Aduentante dea. Procul o, procul este, profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco;
Tuque inuade viam, vaginaque eripe ferrum.
Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.
Tantum effata, furens antro se immisit aperto:
Ille ducem haud timidis vadentem passibus aequat.
Di, quibus imperium est animarum, Vmbraeque silentes,

258 *Adueniente* Oudart. 259 *Conclamant* Sprot. 262 *Tandem* Leid. 263 *tumidis* Doruill. Super *vadere* etiam hic obseruationem suam repetit Burm., poni illud de impetu et praecipitato cursu. Enimuero sit hoc non verbi natura, sed exquisitiore vsu, cum pro, impetuose ferri, ponitur simplex, *ire, gradi, vadere*, adiuncta sc. vi, quam rei ratio et contextus adiicit. Ad hoc genus plures virorum doctorum super singulis verbis obseruatiunculae possunt reuocari. 264 *est* deest Goth. tert. et tribus Burmann. *silentum* Bigot.

Dantes Infern. Cant. III, 130 seq. *aduentante dea*, de Hecate esse intelligendum, nihil est quod dubites; si modo cetera de his sacris loca poetarum consulas, v. c. Apollon. III, 1211 sqq. Theocrit. Id. II, 35. 36. 10—13. Quod *canes* nonnunquam de Furiis dictae sunt, huc non vocandum erat ab Interpp.; sunt canes inferni Hecaten comitantes. Ad *iuga siluarum* offendunt Intpp., sed sunt iuga montium siluis consita; nihil amplius. Sic *dorsum nemorum* ap. Horat. *siluas iugosas* dixit Ouid. Am. I, 1, 9.

258. *Procul o, p.* An formula hac initiorum satis sollerter hic poeta vsus sit, dubito. Nemo enim aderat, qui amoueri posset, praeter socios Aeneae. De monstris infernis intelligit Cerda. At quis ea per *profanos* designata credat! Warburtono quidem res erat satis expedita, dum initia Eleusinia hic expressa volebat. Quae sequuntur, de ense nudato, ex Homero mutuata sunt Odyss. λ, 48 sq.

Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte tacentia late,
Sit mihi fas audita loqui; sit, numine vestro,
Pandere res alta terra et caligine mersas.
Ibant obscuri sola sub nocte per vmbram,
Perque domos Ditis vacuas, et inania regna.

265 *tacentia* reuocauit Heins. ex Rom. Medic. et al. Vulgo *silentia*, ex communi vsu; quod et Seruius interpretatur. ed. Ven. *loca muta silentia.* 267 *altas* Medic. a m. pr. ed. Ven. cum aliquot Pierianis. *et* abest a Witt. 268 *obscura soli* Gud. a m. pr., vt quidam ap. Pier. quae vulgaris esset ratio. *obscura sola* Goth. alter. *per vmbram* Heins. e melioribus suis et Pier. Vulgo *per vmbras.*

265 — 267. Habet insignem vim ad animos excitandos et horrore quodam sacro imbuendos subita haec deorum inferorum et Manium appellatio, vt recte ab Interpp. notatum. Sane poeta, quod alioqui reprehensionem habet, nunc ipsum se prodit et audientium animos in se conuertit: etsi eius nulla omnino recordatio in narratione esse debebat, quippe qua error ille gratissimus, quo ipsis rebus, quae aguntur, interesse volumus, non audire res gestas narratu poetae, tollitur. Enimuero Homeri quoque iudicio et exemplo in memorabili aliquo rerum articulo inuocationem facit poeta. Ad sententiam cf. Senec. Herc. fur. 658 — 661. Ceterum in Seruianis ad h. v. „Ex maiore autem „parte Syronem, id est, ma„gistrum suum Epicureum, „sequitur“ (cf. Donat. Vit. Virg. §. 79). Indocte hoc. Nam Epicurei alienissimi ab his fabulis. cf. Lucret. III, 951 sqq. *Chaos* bene inuocatur, ex quo Nox nata et Erebus. *Phlegethon* omnino pro locis inferis, sed ad terrorem nominatus prae ceteris. conf. inf. 550 sqq. *Sit numine v. p.* liceat per numen vestrum; quantum ad vos attinet, h. e. cum venia vestra.

268 — 272. *obscuri* poetico ornatu translatum epitheton ab vmbra vel nocte. *do-*

Quale per incertam Lunam ſub luce maligna
Eſt iter in ſiluis: vbi coelum condidit vmbra
Iuppiter, et rebus nox abstulit atra colorem.
Veſtibulum ante ipſum primisque in faucibus Orci
Luctus et vltrices poſuere cubilia Curae;
Pallentesque habitant Morbi, triſtisque Senectus,

270 *incertam Lunam* et ratio et optimus quisque codd. agnoſcit. Alii tamen ap. Pier. et Heinſ. ac Burm. *incoeptam*, quod et Seruius agnoſcit, et, quod mirum eſt, non improbat. 273 *que* abeſt a multis Pier. a Gud. et al., ſed agnoſcitur a Gell. et Macrob. ap. Burmann.

mos ſimpl. pro locis. 270. *incertam Lunam*, nubilo caelo, vnde *lux maligna*, parca, infirma ac tenuis; vt contra *benignus* interdum eſt largus, multus. Sic *incerti ſoles* ſup. III, 203. 204. ἀΐδηη σκοτίη apud Apollon. IV, 1697. add. Cerda et Burmann.

273 — 287. Ingenioſe in faucibus et aditu locorum inferorum conſtituta ea, quae vel mortem arceſſunt vel morti ſunt vicina vel in morte ſunt. conf. Seru. Imitatores loci iam excitauit Cerda Silium (XIII, 579 ſqq.), Senecam Herc. fur. (689 ſqq.), Claudian. in Ruf. (I, 29 ſqq.), at e recentioribus Spencerum, vbi Mammonae antrum deſcribit (*Fairy Queen II B. Canto VII. XXI*); et Miltonum (*Paradiſe loſt* B. I, 624) Spencius. Ingenioſa quoque Fenelonii eſt ratio, qui Plutonis throno aſſidentia haec monſtra exhibet. Praeiuit Heſiodus Theog., vbi de Tartaro: 744, in cuius aditu Νυκτὸς ἐρεμνῆς οἰκία δεινὰ ἔστηκεν; ante eam domum ſtat Atlas, Caelum humeris ſuſtinens. Ex ea domo prodeuntes Nox et Dies ſibi per vices ſuccedunt. Ibidem Νυκτὸς παῖδες ἐρεμνῆς οἰκί' ἔχουσιν, Ὕπνος καὶ Θάνατος. Etiam in aditu Tartari eſt regia Hadis et Proſerpinae; 776 tandem et Styx. conf. Comment. de Theogonia Heſiodea p. 150. Obſeruetur ex eodem Seruio ad h. l., *Orcum*, h. e. Plutonem, ad

Et Metus, et malesuada Fames, ac turpis Egestas;
Terribiles visu formae; Letumque, Labosque;
Tum consanguineus Leti Sopor; et mala mentis
Gaudia; mortiferumque aduerso in limine Bellum,

276 *mala* duo apud Burmannum. *ac male* Ven. *ac turpis* reposuit Heins. e libb. pro *et t.* 277 *Labosque* Heins. e codd. pro *Laborque.* Versum recitat Seneca Ep. 104. 279 *monstriferumque* alter Hamb. v. Burm. *in* deest Hamb. pr. *in l. telum* Goth. tert.

imitationem τοῦ Ἅιδου pro loco poni sic, vt Iouem pro aere. *Curae*, conscientiae, vt bene Seru. laudato noto loco Iuuen. XIII, 193 *quos diri conscia facti Mens habet attonitos, et surdo verbere caedit.* Itaque *vltrices.* Tum 276 *malesuada Fames*, quae suadet rapinas, scelera. v. Cerda. Eurip. Electra 375 ἀλλ' ἔχει νόσον πενία· διδάσκει δ' ἄνδρα τῇ χρείᾳ κακόν. Et huius generis plura apud Euripidem. Silius in l. c. XIII, 585 *Et deforme malum ac* (quod melius abest) *sceleri procliuis Egestas.* Praeiuit Homerus Odyss. ρ, 286. 287, et σ, 53. 54. *Turpis Egestas*, deformis, sordida, vt bene olim Heumannus. Imitator loci Seneca Herc. fur. 691 *Famesque tabido rictu.* Comparant Interpp. Lucret. (III, 65 sq.). Nunc 278 *consanguineus Leti Sopor* ex Iliad. ξ, 231 Ὕπνος κασιγνητος Θανάτου. Etiam Hesiodo Theog. 756 sqq. *Somnus* et *Mors* Nocte matre editi. *mala mentis Gaudia* adeoque mentis, quae et ipsa *mala*, et scelesta, esse debet. Argutatur in epitheto Seneca Ep. 59. Dixerat — *gaudium nisi sapienti non contingere — Itaque cum dicit Virgilius noster:* Et mala mentis Gaudia: *diserte quidem dicit; sed parum proprie* (scil. e Stoicorum disciplina) *nullum enim malum gaudium est.* Est sane ἐπιχαιρεκακία, nec tamen forte eo sensu, quo est, *malis alienis;* sed omnino, cum male factis gaudent facinorosi. *aduerso in limine.* Bellum in ipso limine (cum Furiis et Eride), quoniam nulla maior mortis est caussa, ait Seru., nimis acute; nam repetit poeta, quod supra

Ferreique Eumenidum thalami, et Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In medio ramos annosaque brachia pandit
Vlmus opaca, ingens: quam sedem Somnia volgo

280 *et* abest a binis Burm. 281 *innexa* cf. sup. ad Georg. IV, 482, ad Tib. I, 3, 69. *innixa* Rom. 282 *In medium* alter Menag. *In medios* Montalb. Porro *tendit* Parrhas. *tendens* Proba Faltonia. *pandens* Schol. Statii. v. sup. ad Georg. II, 296. 283 Pro *vulgo* Parrhas. *passim* ex interpr. Mox poetae non displicuit structura: *quam* — tenere *ferunt foliisque* — haerent sc. illa.

posuerat: *primis in faucibus Orci. thalami*, vt ap. Homerum, θάλαμοι, cubicula, ferreis claustris seu foribus. Ita Νυκτὸς παῖδες ἐρεμνῆς οἰκί' ἔχουσιν in foribus Tartari, apud Hesiod. loco modo laud. v. 758. Cogitandum autem de seruorum ianitorum *cellis* (Vitruu. VI, 10 *ex vna parte equilia, ex altera ostiarii cella*). Nunc pro ianitoribus in aditu locorum inferorum cum Bello et Discordia *Eumenides*. Eaedem tamen, nempe *Tisiphone cum Sororibus*, inf. v. 570 seq. *in aditu Tartari* collocatae memorantur. Non habeo, quod satis commode ad hanc difficultatem respondeam, nisi poetam sui parum memorem fuisse. Nam dicere, eas hic habere suas sedes et per alia loca discursitare, ieiunum est. An Eumenides alias esse voluit quam Furias? id sine exemplo fieret. Expeditior ratio apud Ouidium est IV Met. 452 sq., vbi illae etiam *ante fores*, sed Tartari, sedent. Tertia aliqua earum sedes occurrit, inf. XII, 849. 850 *in limine regiae Iouis* eaedem satellitum loco excubare dicuntur, aliorum poetarum more. Scilicet, quod iam alibi monitum, in poeta reprehendendum non est, si diversis in locis diuersos mythos sequitur: modo nihil sit, quod praesentem fructum et voluptatem loci, in quo lector versatur, turbet et intercipiat.

282—284. Mirum phantasma, quod *Somniis* sedem assignat in vlmo. Sed diis alatis, leuibus, vagis, bene

Vana tenere ferunt, foliisque ſub omnibus haerent.
Multaque praeterea variarum monſtra ferarum,
Centauri in foribus ſtabulant, Scyllaeque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernae
Horrendum ſtridens, flammisque armata Chimaera,

285 *Monſtraque p. v. multa* Sprot. 286 *pabulant* Exc. Burmann. a m. ſec. *ſtabant* cod. Voſſ. Seruii. *Sirenesque bif.* alter Hamb. a m. ſec. *Syluaeque* Goth. ſec. 288 *que* abeſt a binis Burm. Porro apud Seruium dubitari videtur, ad Excetramne *Horrendum ſtridens* an ad Chimaeram referendum ſit. Sed habet haec epitheton, *flammis armata*, flammituoma: etſi flammae *ſtridere* proprie. Sed et *ſtridere* de ſerpente proprie, v. c. Claudian. de R. P. I, 12. *angues Triptolemi ſtridunt.* conf. Drakenb. ad Silium II, 537.

ca conuenit; et ſubnatum poetae commentum hoc ſuſpicor ex Homero Iliad. ξ, 286 ſqq., vbi Somnus a Iunone adductus in arbore conſidet, donec Iouem poſſit opprimere. *Somnia* in Orci aditu collocare, poetis ſolenne eſt. Ita Odyſſ. ω, 12 παρ' Ἠελίοιο πύλας, *occidentis Solis*, habitat ὁῆμος Ὀνείρων. *Somnus* a Somniis ſeparatim memoratus erat 278 *conſanguineus Leti Sopor.* Infra tamen 894 *Somni portae* ſunt, per quas *Somnia* emittuntur ad terras ſuperas; adeo manifeſtum ſit, Maronem haec variis diuerſisque poetis Graecis ſublegiſſe. *vulgo*, paſſim, cateruatim, vt bene Seru. Eandem arborem ſatis commode in taxum et ſedem bubonum, ſtrigum et Harpyiarum, mutauit Silius XIII, 595—600, item Seneca Herc. fur. 690.

285—289. A Somniorum ludibriis facilis fuit poetae ingenio progreſſus ad phantaſmata et monſtra. Sed ea iam antiquiores in his locis collocaſſe, ex Ariſtophane colligo in Ranis 143 Μετὰ ταῦτ' (Charontem narrauerat) ὄφεις καὶ θῆρί' ὄψει μυρία Δεινότατα. Eſt locus de Bacchi deſcenſu ad inferos. adde v. 280 ſqq. 475 ſq. Neque abludit Etruſca et Graeca antiquior per Italiam religio, quam monſtra talia in locis inferis collocaſſe ex magno ſarcophagorum et va-

Gorgones, Harpyiaeque, et forma tricorporis vmbrae.

289 Seruius ad h. v. „Sane quidam dicunt, versus alios hos a „poeta hoc loco relictos, qui ab eius emendatoribus sublati sint: „*Gorgonis in medio portentum immane Medusae. Vipereae „circum ora comae cui sibila torquent: Infamesque rigent „oculi: mentoque sub imo Serpentum extremis nodantur vin„cula caudis.*“ Sed inepti interpolatoris versus esse, facile deprehendas. Γοργείην κεφαλήν, ex Orco sibi ne immittatur, veretur quoque Vlysses Odyss. λ, 633.

forum numero constare videtur. cf. Gorius *Mus. Etrusc.* T. II, p. 148. 182. Passer. *Paralip. in Dempst.* p. 10 et al. *in foribus stabulant*, accommodate ad feras, pro, sunt in primo aditu; *Scyllae biformes*, superne puellari specie, quae in belluam marinam desinit. v. ad Ecl. VI, 74. Ergo h. l. plures Scyllae ponuntur? recte; plura monstra Scyllaea, vt Statius eloquitur Silu. V, 3, 280. Nec assumenda est altera, Nisi s. Praeiuit Lucret. V, 890. 891. IV, 737. Locum videbis expressum a Tasso *Gierusal.* lib. IV, st. 5. *Briareus;* Notiss. locus Iliad. α, 402 sq. Apollodor. I, 1 pr. At *centumgeminus* quo sensu? Sera. „centies duplex.“ vix vere, sed est dictum vt *trigemini* pro trinis, ita pro centumplex, seu centenis capitibus instructus, seu centum manuum respectu, quia ἑκατόγχειρος, apud Homerum Iliad. Α, 402. Capita L. adiicit Apollodorus. Infr. X, 565 Aegaeon, *centum cui brachia dicunt, Centenasque manus; quinquaginta oribus ignem Pectoribusque arsisse.* Aliud monstrum in aditu Orci posuit Virgilius infr. VIII, de Herculis descensu ad inferos, 298 *Nec te vllae facies, non terruit ipse Typhoeus Arduus, arma tenens; non te rationis egentem Lernaeus turba capitum circumstetit anguis. Gorgones* in Hade iam Odyss. λ, 632, vbi Vlysses metuit, ne Gorgo sibi occurrat. Fugat Gorgonem Hercules apud Apollod. II, 5, 12, pag. 121. *forma tric. vmbrae* ornate, pro tricorpore Geryone: τρισώματος apud Aeschylum, Agam. 879. Imitatorem etiam hoc in loco

Conripit hic subita trepidus formidine ferrum
Aeneas, strictamque aciem venientibus obsert,
Et, ni docta comes tenuis sine corpore vitas
Admoneat volitare cava sub imagine formae,
Inruat, et frustra ferro diuerberet vmbras.
Hinc via, Tartarei quae fert Acherontis ad vndas.
Turbidus hic coeno vastaque voragine gurges
Aestuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.

290 *trepida* Doruill. 291 *effert* Montalb. cf. Burm. 293 *cavae* tres ap. Burm., non male. *caua vmbra* sup. II Aen. 360. 294 *et ferro frustra* Goth. alter. Non male. *deuerberat* duo ap. Burm. cum Goth. tert. 295 *Hic via* Montalb. *qua fert* Sprot. *ad vndam* Non. Marc. *in Ferre. ad vmbras* Hugen. 297 *Cocyti* multi Pier. et Heinf. cum edd. ant. *omnis Cocyti* fec. Moret., fed *Cocyto*, bene Seru. explicat, in *Cocytum*. v. Exc. ad h. l.

habuit Virgilius Silium XIII, 587 feq. Harpyiis fugandis Arioftus ad Orci ingreffum adduxit Aftolphum fuum (*Orlando furioso: Canto* XXXIII et XXXIV).

290 — 294. Ad ductum Homeri l. c. Odyff. κ, 535 fq. λ, 48 fq. cf. ibid. 218 — 221. Etiam Hercules in Gorgonem ftringit enfem, a Mercurio admonitus, vanam effe fpeciem, apud Apollod. II, 5, 12. Schol. Iliad. Φ, 368. *offert*, exquifite pro intentat, et *tenues vitas*, εἴδωλα, vita vtentia, animas. Non admodum diuerfe *tenues vitas* dixit in ortu animarum Ge. IV, 224 *fine corpore* vero; habebant tamen corporum fpeciem, corpora tenuia, vmbratica, εἴδωλα, hinc mox v. 303 *corpora;* (cf. Burm.) fed non *corpora viua* v. 391. *cava fub imagine formae*, fub forma corporis cava, h. e. inani, non folida. Sic lib. II, 360 *cava vmbra*.

295 — 297. Noli fubtiliter, et ad hiftorici diligentiam, nomina fluuiorum inferorum a Virgilio pofita expectare; fed poetae more, variatis nominibus. *Acherontem* appellat, qui fere Styx effe

Portitor has horrendus aquas et flumina ſeruat
Terribili ſqualore Charon: cui plurima mento
Canities inculta iacet; ſtant lumina flamma; 300
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.

299 *Terribilis* Montalb., ſollenni aberratione. 300 *ſtant lumina flamma*, poſt Pierium Heinſius et Burmannus tuentur; Heinſius etiam illuſtrat v. c. inſ. XII, 417 *Iam puluere caelum Stare vides;* et Horatianum: *Vides vt alta ſtet niue candidum Soracte.* Sed, quomodo haec ita dici poſſint, forte rogas? Scilicet, vulgari oratione, *puluis ſtat in caelo*, erigitur in aere; hinc ad notam elegantiam reuocatum eſt, vt *caelum ſtet puluere.* Similiter *flamma* proprie *ſtat*, eſt, micat, *in oculis* (imagine rei iam Homero frequentata Iliad. τ, 365. α, 104. ο, 607. 608. Odyſſ. δ, 662. cf. inſ. XII, 102), hinc *lumina ſtant flamma;* h. e. ſunt flammea. Ceterum maior codd. et quidem praeſtantiorum pars, *flammae*, exhibet, etiam Rom. cum Mediceo; in hoc tamen ab emendatrice manu reſictum, *flamma.* Antiqua aliquot exemplaria Pierii et Zulich. a m. ſec. *flammea* exhibebant; hoc arridebat Heinſio, vt VII, 448, nec mihi displicet. *ſtat* tres ap. Burm., duoque alii: *ſtant lumine flammae.* 301 *Horridus* Schol. Statii Theb. I, 110. *nudo* nonnullos legiſſe Pierius ait.

ſolet; etiam *flumen* mox *lacum* et *paludem.* Porro *Acheron* h. l. in *Cocytum* ſe immittit, contra quam ap. Homer. Odyſſ. κ, 513 ſq. v. Excurſ. IX. *coeno*, mox *arena;* non diuerſa. *aeſtuat* ſeu vt ſit ſimpl. fluit; ſeu quia vorticoſus amnis eſt. cf. ſup. ad v. 107. *Cocyto eructat*, in Cocytum. vid. eund. Excurſ. IX. Seruius: „ſcilicet „per Stygem" ex verſu nempe 323. Ex h. l. Statius IV Theb. 522 *liuentes Acheron eiectat arenas.*

298—304. Ornate ſingula et ex h. l. alii Charontem exhibuerunt; vt Seneca Herc. fur. 764 — 769. *ſtant lumina f.* pro vulgari, flamma ſtat, eſt, in oculis; ſunt lumina flammea. vid. Var. Lect. 301. Lacerna videtur deſignari, pallioli genus, *nodo* adſtringi ſolitum. Veſtitum naucleri v. 301 ex Plautino loco illuſtrat Cerda, in Milite Act. IV, Sc. 4, 41 ſqq., vbi palliolum ferrugineum — id connexum in humero laeuo, ex papillato brachio. *Subigit:*

Ipſe ratem conto ſubigit, velisque miniſtrat,
Et ferruginea ſubuectat corpora cymba,
Iam ſenior; ſed cruda deo viridisque ſenectus.
Huc omnis turba ad ripas effuſa ruebat,
Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,
Inpoſitique rogis iuuenes ante ora parentum:
Quam multa in ſiluis autumni frigore primo
Labſa cadunt folia; aut ad terram gurgite ab alto

303 *ſubuectit* Gud. *ſubnectit* Ven. *ſubuertit* Zulich. a m. ſec. 304 *viro v. f.* ſec. Moret. 305 *emiſſa* Hugen. pro var. lect. *tenebat* Menag. pr. 306—308 lidem verſus Georg. IV, 475—478. 309 *in frigore* Montalb. 310 *Ipſa cadunt* idem. *folia ad terram* Parrhaſ.

Ge. I, 201. 202 *qui aduerſo vix flumine lembum Remigiis ſubigit*, agit. *velis miniſtrat* etiam inf. X, 218 *Ipſe ſedens clauumque regit velisque miniſtrat*. h. e. miniſterium praeſtat, operatur, velis; vela curat. *Miniſterium* omnino voc. nauticum, vt notum. Heinſius mauult iungere: *miniſtrat ratem velis*, vt apud Valer. Fl. III, 38 *ipſe ratem vento ſtellisque miniſtrat*. Et vſu ſane vtrumque probatur: cf. ad e. l. Burm. *ferruginea* cymba eſt κυανέη, colore ex aere aquisque contracto. *cruda ſenectus* frequentatum iam Graecis ὠμὸν γῆρας· ὠμογέρων.

305—308. Iucunda enumeratio, inprimis v. 308, adumbrata ex Odyſſ. λ, 38—41, in quo ſuauiores Περθενικαί θ' ἅπαλαί, νεοπενθέα θυμὸν ἔχουσαι. Occurrit eadem Ge. IV, 475 ſq., ſed ornata ibi noua comparatione v. 473. 474 *Quam multa in foliis auium ſe millia condunt, Veſper vbi aut hibernus agit de montibus imber.*

309—312. Comparatio duplex multis poſt Virgilium frequentata, veteribus et recentibus (conf. Cerda), fluxit ex Homero, altera Od. ι, 51.

Quam multae glomerantur aues, vbi frigidus annus
Trans pontum fugat, et terris inmittit apricis.
Stabant orantes primi transmittere curſum,
Tendebantque manus ripae vlterioris amore:
Nauita ſed triſtis nunc hos, nunc adcipit illos;
Aſt alios longe ſubmotos arcet arena.

311 *annus* reuocatum nunc. *amnis* debebatur Burmanni elegantiae, ex ſec. Moret. tribus aliis et Hamb. ſec. a m. ſec., vt *Strymon* intelligeretur, quo ſcilicet poetae frequenter in hac gruum memoratione vtuntur, v. c. inf. X, 264—266, vti *Nilus*, quoties de caelo agitur, quod volatu petunt. Vid. Claudian. de b. Gild. 474—478. add. Lucan. V, 711 ſqq. Val. Fl. III, 361. Capio, atque etiam hoc bene video, *amnem frigidum* in tali contextu abſolute ſic ſatis bene poni poſſe. Sed an *amnis* dici poteſt *fugare aues trans pontum?* Hoc vero facit ex communi lectione *annus*, χειμών, quam vocem expreſſiſſe videri debet ex Iliad. γ, 4 Αἴτ' ἐπεὶ ἦν χειμῶνα φύγον. Poſſit Burm. pro ſe laudare Lucan. III, 199 *Strymon, tepido committere Nilo Biſtonias conſuetus aues;* ſed hic accommodatiora ſunt attributa. *glomerentur* Mentel. pr. Ceterum minus placere poteſt *frigidus a.* poſt *frigore* v. 309. Io. Schrader. legebat: *Threcius amnis*. ad manum eſſent alia magis opportuna, ſi mutatione opus eſſet. 312 *portum* Leid. vn. *et campis* Leid. vn. *atque oris* Barthii liber. Alterum, *et campis* malim; displicet enim trinos intra verſus *ad terram, et terris.* 314 *manu* Goth. pr. 316 *illos* pr. Hamb. *ſemotos* idem cum

52. Iliad. β, 491. 492 et 800. conf. Apollon. IV, 216. 217, altera ex Iliad. γ, 3 ſqq., et Iliad. β, 459 ſqq. Supplendum autem apud animum: tanta turba, tam multi, *Quam multa. ad terram* v. 310 de calidiore plaga accipe, quam volatu petierant, et de adventu ad eam trans mare, in littore puta Africae.

313—316. *transmittere curſum* h. e. transire. De hoc nemo dubitet. Sed quomodo dictum hoc? Figura Graeca eſt, ait Seruius. Scilicet vulgari more, *transmittimus* (nos trans) *amnem curſu* h. e. nauigatione, πορείᾳ, hinc ipſe *amnis transmittitur curſu;* tum vero doctius, ipſe *curſus transmittitur.* Ita πορθμεύειν τὸν πλοῦν. 316. *ſummotos ar-*

Aeneas, miratus enim, motusque tumultu,
Dic, ait, o virgo, quid volt concurſus ad amnem?
Quidue petunt animae? vel quo discrimine ripas
Hae linquunt, illae remis vada liuida verrunt? 320
Olli ſic breuiter fata eſt longaeua ſacerdos:
Anchiſa generate, deum certiſſima proles,
Cocyti ſtagna alta vides, Stygiamque paludem,
Di cuius iurare timent et fallere numen.
Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba eſt; 325

Bigot. et aliquot Pier., male. *late* ſec. Moret. 317 *miſeratus* Goth. ſec. *enim:* cf. V. L. ad X, 874. 318 *conuerſus* Zulich. a m. pr. 319 *quo vel* Ven. *quoue* Parrhaſ. 320 *liquida* Rom. *vertunt* aliquot Pier. et Parrhaſ. *linquunt* Rottend. tert. 322 *Anchiſe* Vratisl. 323 *ſtanna* Zulich. et Goth. tert. 325 *cernit* Parrhaſ. *eſt* abeſt a binis Burm.

cet in littore plenius pro ſummouet.

318—324. Vt *Palinuri* mentionem facere poſſet, ſagaciter intertexta ſunt haec de negato parti vmbrarum traiectu. 320. *ripas hae linquunt*, iterum recedunt, non admiſſae in cymbam. *remis vada verrunt:* At ſup. 302 ipſe Charon remigat? Potuit ſane ſui oblitus eſſe poeta. Enimuero neceſſe non eſt, vt ipſae animae remigent; quod apud Lucianum faciunt aliquoties animae Charontis iuſſu; nam ſimpl. dictum eſſe poteſt pro, nauigant trans fluuium: etiam inf. 411 *per iuga longa ſedebant animae*, tamquam vectores locis aſſignatis. 321. *longaeva* nota fabula de Sibylla: vid. Seru. 322. *certiſſima;* nam ſup. 130. 131 *pauci, dis geniti,* potuere redire ex inferis. 323. *Cocytum* et *Stygem* appoſitione dixit: etſi vere diuerſos amnes. v. Excurſ. IX. v. 324. *Di cuius,* ex Odyſſ. ε, 185. 186. *iurare et fallere*, peierare.

325—336. Bona religio ex Orphica diſciplina, ad inflectendos ferorum hominum animos inuenta, vt humani-

Portitor ille, Charon; hi, quos vehit vnda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas et rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos, volitantque haec litora circum:
Tum demum admissi stagna exoptata reuisunt. 330
Constitit Anchisa satus, et vestigia pressit;
Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam.

326 *Caron* passim scribitur. *quos vehit ille* em. Io. Schrader. *Vehi* tamen dicimus et *naui* et *vnda* et *vento*. 327 *Non ripas* Bigot. *et rauca* Heins. e Pierianis et suis; et sic mos est poetae: *nec — et*, v. c. inf. XI, 137. 328 *Tr. suis quam s.* Leid. *quierint* aliquot Heins. et Pier. 329 *volitantq. ac l.* Zulich. 331 *Anchisae s.* Medic. a m. pr. 332 *animi m.* Medic. *miseratur* Gud.

tatis sensum iustorum persolvendorum necessitas consecrata excitaret; qui primus humanioris cultus gradus est; cum corpora insepulta abiecta feritatem animorum et arguant et alant. *inops*, cui nemo opem tulit, iusta persoluit. Nam videtur argutari Seruius, qui, ab Ops terra ductum, insepultum apud veteres significasse narrat. *ripas et fluenta transportare*, vt vulgare, traiicere. De re v. Iliad. ψ, 71—74. *Centum errant annos.* Nescio, an de suo posuerit Virgilius: animas insepultorum per C annos errare non admissas vt traiiciantur. Cerda ad Seruii ductum, errore ex *reuisunt* v. 330 nato, laudat locum Platonis, de Rep. X; at is spectat inf. ad v. 748. Verum ex Seneca de ritu et sacris Aegyptiorum Seruius sup. ad v. 154 narrat rem, quae huc reuocari possit: Si cadauer in fluuio mersum periisset, nec inueniretur, *posi centum ei annos vltima persolui. stagna reuisunt:* cum ante reiecti, summoti, recessissent, nunc admissi et recepti visunt stagna, traiiciuntur. Mox ad v. 332 *Multa putans*, miro acumine Seruius: „Bene animo, quasi rei praesago; ipse enim Aeneas insepultus iacebit, vt

Cernit ibi maeſtos et mortis honore carentis,
Leucaſpim, et Lyciae ductorem claſſis Oronten:
Quos ſimul, a Troia ventoſa per aequora vectos,
Obruit auſter, aqua inuoluens nauemque virosque.
Ecce gubernator ſeſe Palinurus agebat:
Qui Libyco nuper curſu, dum ſidera ſeruat,
Exciderat puppi mediis effuſus in vndis.
Hunc vbi vix multa maeſtum cognouit in vmbra;
Sic prior adloquitur: Quis te, Palinure, deorum
Eripuit nobis, medioque ſub aequore merſit?
Dic age. Namque mihi, fallax haud ante repertus,
Hoc vno reſponſo animum deluſit Apollo:

333 *vbi* Probus in Grammat. 334 *Leucapſim, Leucaſpin, Orontem* et in Goth. pr. *Oronten* refinxi, vt I, 113 erat, vt ſibi conſtaret lectio. *honorem* aberrant. 335 *ab Troia* pr. Mentel. *vento ſuper aeq.* Goth. tert. 338 *ſeruans* alter Hamburg. 339 *puppe* idem. 340 *maeſtum multa* Hamb. pr. 341 *te o P.* Montalb. 342 *Excipiunt* Franc. cum altero in marg. 344 *Hoc mihi* Exc. Burm. *diluſit* pr. Rottend. *deriſit* duo Heinſ.

IV, 620 *mediaque inhumatus arena.*" 333—336. De his v. ſup. I, 113 ſqq.

337 ſqq. Palinurus manifeſte ex Homerico Elpenore adumbratus Odyſſ. λ, 51 ſqq. *Libyco curſu*, nauigatione de Carthagine, poſt diſceſſum tamen ex Sicilia; haud longe a Sirenuſſis inſulis. v. ſup. V, ſub f. 340. *in vmbra*, quod v. 452 *agnouitque per vmbram Obſcuram.* 344. Ἀπόλλων ἀψευδὴς τὸ πρὶν ex Aeſchylo laudant. 346. Iliad. μ, 164. Ζεῦ πάτερ, ἦ ῥά νυ καὶ σὺ φίλοψευδὴς ἐτέτυξο πάγχυ μάλ'; *promiſſa fides*, euentus. *Fides* apud poetas de certo euentu oraculorum, quibus deus fidem ſuam obſtrinxit; quae praeſtita in veritatem et euentum certum abit. Con-

Qui fore te ponto incolumem, finisque canebat
Venturum Ausonios. En haec promissa fides est?
Ille autem: Neque te Phoebi cortina fefellit,
Dux Anchisiada, nec me deus aequore mersit.
Namque gubernaclum multa vi forte reuolsum,
Cui datus haerebam custos, cursusque regebam,
Praecipitans traxi mecum. Maria aspera iuro,

345 *Qui forte p.* Rom. 346 *Ausonias* duo Burm. *an haec* duo alii. *fidesque* aliquot Pier. et pr. Hamb. cum Goth. tert. *fidesque est* Ven., sed v. Burmann. 348 reposui cum Brunckio, vt mihi constarem. v. sup. ad v. 126. Vulgo *Anchisiade*, et ipsum bene. *nec me.* Hic distinguendum, ait Seruius, ne sit contrarium, nam eum Somnus deiecit (v. V, 853). Enimuero Somni ministerium ad poetam, non ad Palinurum, spectat; et ignorare potuit hoc Palinurus. *deus*, de quo agitur, est Apollo v. 344. Sed siue Apollo, siue, quod malim, deus aliquis omnino (ex 341. 342) intelligatur, respectu tamen versuum 341. 342 explicanda verba sunt: *nec me deus aequore mersit*, vt neget se aquis mersum esse; quin potius ad Italiae littus enatasse adeoque oraculo Phoebi fidem feciſſe. Redit res ad calumniam in oraculis saepe memoratam. 349 *repulsum* alter Hamburg. 350 *cursumque* duo Burm. cum Goth. sec. *gerebam* Gud. a m. pr. cum Goth. tert., vulgari vitio. 351 *maria omnia* sec. Moret. et Donat. ad Terent.

sententaneum autem hoc Aeneidis propriae indoli, vt et haec Palinuri sors ab vaticinio repetatur: cf. Disquis. II, s. VI sq. Etsi supra illud non memorauerat poeta: Occurrit tantum V, 814 Neptuni effatum: *Vnus erit tantum, amissum quem gurgite quaeres.*

346—359. *deus* seu idem Apollo, seu omnino numen, deus aliquis, *me* non *mersit*, submersit: quin ad Italiae littus enatarem, vt v. 356 addit. v. Var. Lect. De reliquis cf. V, 857 sq. 349. Cogitandum, Palinurum gubernaculo secum reuulso in mari insidentem natasse. Suauis autem fidei et amoris affectus in seqq. *Maria aspera*

Non vllum pro me tantum cepisse timorem,
Quam tua ne, spoliata armis, excussa magistro,
Deficeret tantis nauis surgentibus vndis.
Tris notus hibernas inmensa per aequora noctis
Vexit me violentus aqua: vix lumine quarto
Prospexi Italiam, summa sublimis ab vnda.
Paullatim adnabam terrae; iam tuta tenebam:
Ni gens crudelis madida cum veste grauatum,

352 *illum* Medic. a m. pr. *Nonnullum tantum pro me* Sprot. *pro* h. l. est ὑπὲρ ἐμοῦ. 353 *tua ni* Rusinian. de schem. Lex. p. 261, quod recepit Brunck. pronocans ad locum vitiosum III, 686 *Ni teneant cursum. iuno* Rom. a m. pr., et *te ne* ed. Iunt., ex sollenni vitio. *exspoliata* Leid. *magistri* alius Leid. 354 *nauis tantis* pars codd. et edd. *vrgentibus* Medic., siue vt Fogginius expressit: *naui surgentibus;* vulgari librariorum lapsu. 355 *T. n. arreptas* Goth. tert., miro vitio. 356 *aqua* abundat post *aequora:* at in epico poeta ea copia ferenda. 357 *in vnda* Parrhas. conf. Burm. Sed deterius hoc. 358 *et* inserunt multi scripti et editi, recte ab Heins. sublatum. *terra* Medic., Heinsio teste; sed Fogginius communem lectionem exhibet, mutata tantum distinctione, quam etiam Seruius memorat: *P. adnabam: terrae iam tuta tenebam.* 359 An *madida me v.* Sed ne in *cum* haereas, cogita, *grauatum* esse et ipsum et vestem aqua hausta. conf. V, 447.

iuro etc. 353. *armis* pro gubernaculo h. l. *excussa magistro* exquisitior ratio pro vulgari, *magistro excusso;* translato verbo ad locum, vnde motio fit. 355. Compara locum de Vlysse Odyss. ε, 388 sqq. *summa sublimis ab vnda*, ibid. 393 μεγάλου ἀπὸ κύματος ἀρθείς. 359 sqq. Palinurus naui excussus ad littus Lucaniae enatauerat; sed a barbaris occisus promontorio nomen Palinurum dedit. vid. Excurs. IV ad h. lib. *cum veste grauatum*, aut vt ea et ipsa vndis haustis grauaretur, aut vt *cum* abundet, vti interdum in poetis solet.

Prenſantemque vncis manibus capita aſpera montis,
Ferro inuaſiſſet, praedamque ignara putaſſet.
Nunc me fluctus habet, verſantque in litore venti.
Quod te per coeli iucundum lumen, et auras,
Per genitorem oro, per ſpes ſurgentis Iuli;
Eripe me his, inuicte, malis: aut tu mihi terram

360 *Preſſantemque* Leid. *praeſentemque* Donatus, quem habemus, legit, qui miſere totum locum vexat. 361 *que* deeſt ed. Iunt. *petiſſet* Oudart., quod valde arridet. Receptum quoque nunc video a Wakefield; et *ignaua* e Cod. Coll. Ieſu, eleganter per ſe, quatenus tamen in barbaros h. l. id cadat, non video. *ignara* quidem nec ipſum habet magnam vim, conuenit tamen barbaris ſpoliando corpori inhiantibus, ſpe opiparae praedae falſa. 362 *habent* Medic., quod et h. l. cum ratione exaratum putabat Heinſ. cf. ad v. 109. Sed manifeſtum eſt vitium, quod et Goth. pr., vitioſiſſime ſcriptus liber, habet, fraude ex ſeqq. librario facta. *in litora* aliquot Pier. et duo Heinſ., elegantius vtique. Etſi communis lectio eodem redit; et, qui argutiora ſectatur, poteſt ex Hecuba Eurip. verba laudare v. 28 κείμαι δ' ἐπ' ἀκταῖς· ἄλλοτ' ἐν πόντῳ σάλῳ. 363 *At te* Parrhaſ. *iocundum* edidit Heinſ., ſed *iucundum* ipſe Medic. *iocundum per coeli l.* duo Heinſ. *limen* alter Hamb. 364 *Per ſpes* ex Macrob. V Sat. 7 et codd. ſuis ac Pier. repoſuit Heinſ. Vulgo *Per ſpem.* Sed alteri plus dignitatis et grauitatis ineſt. Et iam ſup. IV, 274 *Aſcanium ſurgentem et ſpes heredis Iuli reſpice.* 365 *At tu* duo ap. Burm. *terras* alter Hamb. a m. ſec.

360—371. 360 ab Homerico Vlyſſe Odyſſ. ε, 428. 434. Quod autem hic Lucani faciunt, idem Laeſtrygonibus circa Formias tribuerat Homerus Odyſſ. κ, 118 ſeqq. 362. *me* corpus eſſe facile vnusquisque videt. Notiſſimum αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσι. 363 ſqq. advmbrati ex Iliad. λ, 66 ſqq. de Elpenore. 365. Colorem ſermonis mutuatur Valer. Fl. II, 490 *Eripe, namque potes — portus Velinos* per prolepſin dictos a Velia in iisdem locis ad Palinurum prom. aliquando condenda,

Iniice, namque potes, portusque require Velinos;
Aut tu, si qua via est, si quam tibi diua creatrix
Ostendit (neque enim, credo, sine numine diuom
Flumina tanta paras Stygiamque innare paludem),
Da dextram misero, et tecum me tolle per vndas;
Sedibus vt saltem placidis in morte quiescam.
Talia fatus erat, coepit quum talia vates:
Vnde haec, o Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas, amnemque seuerum
Eumenidum adspicies, ripamue iniussus adibis?
Define fata deum flecti sperare precando.

366 *relinque V.* Montalb. 367 *Si qua tibi D.* Gud. a m. pr. Rottend. sec. 368 *crede* aliquot Pier. 369 *pares* tres ap. Burm. *intrare* Bigot. 370 *et me tecum* Witt. *vmbras* Bigot. 372 *Vix ea fatus e. c. c. t. virgo* Prisc. p. 1186. 374 *Tum* Franc. 375 *ripaue* malebat Cerda. *inuisus* tres ap. Burm., et hoc Pompon. Sab. interpretatur. *adibis* Rom. cum codd. parte, etiam Erf. a m. pr., quod mihi quidem multo magis probatur. conf. sup. 313. 314, itaque nunc recepi cum Brunckio. Vulgg. tamen *abibis* seruant Seru. Medic. cum multis Pier. et Heins. ac Burm.

(cf. Ouwens I, 2) vbi cadaver iacebat. 367. *Diua creatrix* etiam VIII, 534 mater Aeneae, Venus; vt *creare* pro parere, conf. Burmann. *innare* doctius quam ingredi flumen, adire, nauigare per flumen. 371. *Sedibus:* de recepta in locis inferis vmbra: v. ad v. 152. *saltem,* quia nautae semper vagantur, vt Seruius bene monet. Versus 370 ex Iliad. ψ, 75 subnatus: καί μοι δὸς τὴν χεῖρ', ὀλοφύρομαι, Patrocli vmbra.

372—383. *amnem seuerum* (h. e. tristem, horrendum) *Eumenidum* docte dixit, eodem modo ac si deorum inferorum, Proserpinae vel Hecatae, appellares. Seruius male: „circa quem habitant Eumenides;“ quod esset reuocandum ad v. 280, vbi Eumenides in aditu Orci.

Sed cape dicta memor, duri solatia casus.
Nam tua finitimi, longe lateque per vrbes
Prodigiis acti coelestibus, ossa piabunt;
Et statuent tumulum, et tumulo sollemnia mittent;
Aeternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curae emotae, pulsusque parumper
Corde dolor tristi: gaudet cognomine terra.
Ergo iter inceptum peragunt, fluuioque propinquant.
Nauita quos iam inde vt Stygia prospexit ab vnda

378 Recte aduersus Marklandum, qui ad Stat. V Silu. 3, 127 absurdum esse aiebat *finitimos* dici *longe lateque* habitantes, locum tuetur vir doctus ap. Burm., ordine verborum ita instituto: *finitimi acti prodigiis coelestibus longe lateque per vrbes;* itaque interpunctionem post *per vrbes* sustuli. *per vrbem* Witt. 380 *Instatuent* pr. Moret. pro *Instituent. solatia* Bigot. ex v. 377. 381 *Palinurum nomen* tert. Mentel. a m. pr. adeoque calami vitio, etsi satis felici. cf. Burm. 382 *amotae* aliquot Heins., sollenni varietate. 383 *pauor* pr. Rottend. pro var. lect. ad *dolor.* Cerda mauult interpungere: *C. dolor: tristi g. c. t.,* vt in Witt. a prima manu fuit; non video quam bene. *terrae* multi ap. Pier. et Heins., vt et bini Goth. Sed est, χαίρει ὁμωνύμῳ χώρᾳ. 385 *vt* deest Medic. et Parrhas. *quos postquam St.* Bigot. *conspexit* Medic. *ab vnda,* medio amne: cf. 410. Io. Schrader. ingenioso lusu coni. *ab vlua.*

Sed id nimis longe petitum. 377. *cape memor,* tene memoria. 378. *Nam* vt γὰρ ab initio orationis, pro δή, sane, scilicet. *sollennia mittent* πέμψουσι χοὰς, ἱερὰ, et similia, inferias ferent. Cum a barbaris, Lucanos edunt, qui serius ea loca incoluerunt, occisus esset Palinurus, postea ii pestilentia laborantes, a deo consulto responsum acceperunt, placandos esse Palinuri Manes.

384 — 416. Charon vmbras, non corpora, vehere so-

Per tacitum nemus ire, pedemque aduertere ripae;
Sic prior adgreditur dictis, atque increpat vltro:
Quisquis es, armatus qui noſtra ad flumina tendis,
Fare age, quid venias; iam iſtinc et conprime greſſum.
Vmbrarum hic locus eſt, Somni Noctisque ſoporae;
Corpora viua nefas Stygia vectare carina.
Nec vero Alciden me ſum laetatus euntem

387 *adloquitur* Rom. 388 *ad limina* Sprot. Erf. *ad litora* pr. Menag. pr. Rottend. *tendens* Gud. a m. pr. 389 *iſtic* aliquot ap. Burm. *iſtic iam comprime* ed. Ven. *greſſus* Voſſ. pr. et Witt. Burmannus Sec. in Anthol. Lat. p. 162 ex corrupta ibi ſchedarum Salmaſ. et Cod. Leid. ſcriptura: *iam ſtingit comprome reſſum*, effingit: *iam ſtringe et comprime g.* Sed *ſtringit* h. e. attingit, vrget, *greſſum* eius, qui antecedit, is, qui ſequitur vel comitatur; Tum vero, quod hinc efficias, eſt, vt, quam librarius lectionem corruperit, intelligas, non veriorem expedias. 390 *hic l. et ſ.* Rom. et pr. Mentel., praeclare. 392 *Nec non A.* ed. Ven. *Aeacidem* vitioſe Donat. ad Ter. *nec ſum l.* aliquot Pier., male. Ad verbum ita Homerus in α Iliad. ὣς ἄρα τώ γε ἰδὼν γήθησεν Ἀχιλλεύς. Et de Scylla ſimilis oratio Odyſſ. μ, 88 ὀδέ κέ τίς μιν Γηθήσειε ἰδών, ὅτ' εἰ θεὸς ἀντιάσειε; at *lacu* forte parum commodum. *acceptus* eſt Hercules *cymba*, at *lacu transuectus*. Io. Schrader. tentabat: *Traiecisse lacu;* vel: *Accepisse alueo*

litus, aegre, vt Aeneam transvehat, adducitur. 392 ſeq. Seruius: „Lectum eſt et in „Orpheo, quod, quando „Hercules ad Inferos deſcen„dit, Charon territus eum „ſtatim ſuſcepit. Ob quam „rem anno integro in com„pedibus fuit. Ideo ergo „*non laetatus*, ſcilicet propter ſupplicium ſuum.“ Bona nota. Similitudinem habet aliquam excuſatio Somni cum ſubiuncta narratione ap. Homer. Iliad. Ξ, 249 ſqq.

392—397. Profecit ex his Statius lib. VII, 52 et ex v. 398 ibid. lib. VII, 95 ſqq. *euntem*, ἰόντα pro ἐλθόντα, adeuntem loca infera. *Dis geniti.* Theſeus a Neptuno, Pirithous a Ioue; etſi Bur-

Adcepiſſe lacu, nec Theſea Pirithoumque:
Dis quamquam geniti, atque inuicti viribus eſſent.
Tartareum ille manu cuſtodem in vincla petivit,
Ipſius a ſolio regis traxitque trementem;
Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.
Quae contra breuiter fata eſt Amphryſia vates:
Nullae hic inſidiae tales; abſiſte moueri:

vel *alno*. Supereſt tamen, vt iungas: *euntem lacu*: id quod poeta voluiſſe factum videri poteſt: vectum per lacum. 393 *Pieritumque* corrupte Rom. 395 Poſt *petiuit* diſtinxit Heinſ. cum codd., alii poſt *regis*. 396 *e ſolio* Parrhaſ. *a ſolo* Witt. 397 *thalamos* Goth. tert. *adorſi* plerique Pier. et quinque Heinſ. Saepe de hac variatione egere viri docti. Adi v. c. Drakenb. ad Liu. XXXV, 51, 8. 398 *quem* multi edd. et ſcripti. 399 *hinc* Ven. et aliquot Pier. *Non vllae hic* Parrhaſ.

mannus de hoc dubitabat. Vide v. c. Iliad. ξ, 317. 318 et al. 395. 396. Fundus fabulae Iliad. ϑ, 367 ſqq. Varie autem a poetis tractatus fuit Herculis ad inferos deſcenſus. Conf. v. c. Iliad. ε, 395 ſqq. Apollod. II, 5, 12 et ibi Not. Theſei deſcenſus ad imitationem Herculis adumbratus, vt pleraque alia Theſei in Theſeide. Scilicet vbique in his imitatorum ſtudium deprehendas, ſi vel ea, quae Plutarchus inde narrat, inſpicias. De Cerbero v. inf. ad v. 417. 397. *dominam*, δέσποιναν, proprie de Proſerpina. Alias dictum eſſet, vt apud Homerum paſſim ἄλοχος δέσποινα.

398. *Amphryſia vates*. Longe petitum epitheton cum Seruio vocat Burmannus. Enimuero cur tam longe petunt, ab Amphryſo, Theſſaliae fl., ad quem Apollo pauit greges (v. Callim. H. in Ap. 48, et ſup. Ge. III, 2), cum alia eſſet Amphryſus (v. Steph. Byz. h. v.), vel Ambryſus, in Phocide in Delphorum vicinia, vt adeo idem ſit ac, Delphica vates, Cirrhaea vates. Mox

Nec vim tela ferunt; licet ingens ianitor antro
Aeternum latrans exsanguis terreat vmbras:
Casta licet patrui seruet Proserpina limen.
Troius Aeneas, pietate insignis et armis,
Ad genitorem imas Erebi descendit ad vmbras.
Si te nulla mouet tantae pietatis imago,
At ramum hunc (aperit ramum qui veste latebat)
Adgnoscas. Tumida ex ira tum corda residunt.
Nec plura his; Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgae, longo post tempore visum,

400 *ianitor orci* apud Prisc. lib. VII. 402 *patruum — limen* pr. Hamb., quod affectatae esset elegantiae in epico poeta narrante. *patruis* Rom. 404 *Herebo* maxima pars librorum Heins. *descendet* Leid. vn. *in vmbras* pr. Menag. *in vndas* Goth. tert. 405 *tantarum gloria rerum* ap. Macrob. VI Sat. 6, sed ex alio loco, sup. IV, 272, vt Burm. docet. 406 *nudat r.* Ven. ex gloss. *qui in v.* Parrhas. 407 *agnoscis* vet. Cod. ap. Macrob. VI, 6. *cum c.* alter Hamb. *quiescunt* Bigot. Vulgo pro Sibyllae verbis haberi videntur illa: *tumida — residunt.* Ita saltem *resident* esse debebat. Sed sunt poetae narrantis: placatur Charon, nec plura his illa addidit.

400—402. Nec, ne Cerberus abducatur, aut Proserpina rapiatur, verendum tibi est. *seruet limen.* Mira comminiscitur Cerda. *Seruat domum, limen, thalamum,* ex veteri viuendi ratione, mulier casta, frugi, quatenus conspectum virorum fugit, intra domum se continet, in publicum non prodit. conf. inf. VII, 52. 53. *licet servet,* noto more poetarum pro vulgari, *licet seruare;* per nos, per Aeneam licet. vid. Burmann. 405. *pietatis imago,* apud animum, cogitatio. Cum his Sibyllae verbis ramum aureum Aeneas sub veste tectum nudat: non vero tamquam munus Charonti ferendum: sed Proserpinae destinatum v. 142.

409. *fatalis,* v. sup. 146. 147. *longo post tempore;* igitur Hercules et Theseus cum ramo aureo venerant.

Caeruleam aduertit puppim, ripaeque propinquat.
Inde alias animas, quae per iuga longa ſedebant,
Deturbat, laxatque foros; ſimul adcipit alueo
Ingentem Aenean. Gemuit ſub pondere cymba
Sutilis, et multam adcepit rimoſa paludem.
Tandem trans fluuium incolumis vatemque virumque
Informi limo glaucaque exponit in vlua.
Cerberus haec ingens latratu regna trifauci
Perſonat, aduerſo recubans immanis in antro.

410 *puppem* Medic. et al. 411 *per giga* pr. Hamb., et Sprot. cum gloſſa: *id eſt ſedilia nauis.* 412 *aluo* tres Burm. 414 *multum* Medic. *futilis* ed. Ven. *ſubtilis* Doruill., natum ex *ſuptilis*, quod Rom. habet. 417 *hic* tres ap. Burm. *triſulci* Goth. tert. Sed *triſulcum* aliter dictum. vid. Georg. III, 439. Aen. II, 475. 418 *auerſo* duo ap. Burm. *reſonans* Witt.

conf. Excurſ. VI. 411. *iuga longa*, ζυγὰ, tranſtra, h. l. vectorum, ἐπιβατῶν, ſedilia. *laxatque foros*, tabulata vacuat; proprie turba et multitudine *artari* locus dicitur, inde nunc *laxari*. Seruius. Egregie autem Charontis ferox ac durum ingenium declaratum. *Ingentem Aeneam*, quis dubitari poſſe putet, an ad corporis magnitudinem referendum ſit! Ita de heroibus vbique Homerus et poetae, vt ipſa exempla a Cerda allata ſatis declarant. 414. *cymba ſutilis* ſiue ex coriis ſiue vitilis et iuncea. vid. Cerda. Si Charontem Aegyptiorum animo habuit, de papyracea cymba, barin Aegyptii vocant, cogitare potuit.

417—425. Canis palatio Orci et Proſerpinae additus cuſtos eſt priſcae vitae more iam apud Homerum Iliad. Σ, 366, vbi ille ex Erebo ab Hercule adductus; et apud Heſiod. Θ. 769 ſqq., a quo ille adeuntes adulando admittere, exeuntes terrere ac deuorare narratur. Nunc in adeuntem Aeneam inſurgere

Cui vates, horrere videns iam colla colubris,
Melle soporatam et medicatis frugibus offam
Obiicit. Ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit obiectam, atque inmania terga resoluit
Fusus humi, totoque ingens extenditur antro.

419 *colobris* Mentel. pr. *colla comasque* Lutat. ad Stat. II Theb. 27. 420 *saporatam* alter Menag. et pro diu. lect. alter Hamb. et olim Turnebus e Codice, qui cum Alardo illud probabat. v. Heins. et Cerda, qui recte vindicant vulgatam lectionem vel ex IV Aen. 486. V, 855. Vide Not. *medicatam f. offam* nonnulli vet. ap. Pierium. 421 *rapida* multi ap. Burm. 423 *tutoque* a m. pr. Erf. *rigens* coni. Burm., sed ipse damnat, et recte. Auget *ingens* mirifice speciem magnitudinis.

putandus est, nondum fato defunctum. Nomen ipsum Cerberi non nisi post Homerum auditum est: cf. Pausan. III, 25; occurrit tamen apud Hesiod. Θ. 311. Commenta de eo pleraque Heracliis deberi videntur, Hercule ad eum ex inferis raptandum misso. vid. Apollod. II, 5, 12, et Not. p. 428 sqq. Schol. Iliad. Υ, 368. Placatur ille h. l. eodem fere modo, quo draco Colchicus in Argonauticis. Alio modo Cerberus placatur ap. Statium II Theb. 26—31 Mercurii virga. Comparari posse Senecae Herc. fur. 783 sqq., iam Cerda monuit, vbi Theseus Cerberum ab Hercule oppressum narrat. Offam 420 intellige globulum ex pulte factum, sed admixto melle et papauere aliisue seminibus et succis ita temperatum, vt vim soporificam haberet; hinc *soporata* ipsa offa, melle et *frugibus medicatis:* has de papauere plerumque videas exponi. Sunt tamen omnino grana et semina, succis herbarum, qui vim aliquam, v. c. in magicis rebus, habent, persusa. Μελιττοῦτα Cerbero obiici solita; nota res. cf. Cerda et sup. ad IV, 486. Hinc *resoluitur* somno corpus, ἀναλύεται, vt Apollon., quem in toto loco ante oculos habuit Maro, IV, 150 δολιχὴν ἀνελύετ' ἄκανθαν; et v. 424 *custode sepulto*, sc. somno. 423. *totoque ingens extenditur antro.* Sic sup. III, 631 *iacuitque per*

Occupat Aeneas aditum cuſtode ſepulto,
Euaditque celer ripam inremeabilis vndae. 425
Continuo auditae voces, vagitus et ingens,
Infantumque animae flentes, in limine primo:
Quos dulcis vitae exſortis, et ab vbere raptos,
Abſtulit atra dies, et funere merſit acerbo.
Hos iuxta falſo damnati crimine mortis. 430

424 *c. remoto* Bigot. et Hugen. pro var. lect. Sup. II, 265 *vrbem ſomno vinoque ſepultam.* 427 Wakefield diſtinguit: *Infantumque animae flentes, in limine primo Quos dulcis vitae, exſortis et ab vbere raptos, Abſtulit atra dies.* Valde arridet ingenioſi viri acumen. Niſi quod mox *exſortes* otioſum eſſe ſentio. 428 *rapto* aliquot Pier. *ab vbere natos* Doruill. m. pr. in marg. *raptos ab v. primo* Rottend. ſec. ex ſup. verſu. 429 *vna dies* aliquot Pier. 430 *falſae* alter Hamb. *falſo d. tempore m.* coni. Warburtonus (*Divine Legat. of Moſes* T. I, B. 2, S. 4), parum feliciter.

antrum Immenſus, de Polyphemo. Tandem 425 *irremeabilem* vndam eo referunt interpretes, quod non eadem via erat rediturus Aeneas. cf. inf. 899. Argutius hoc quam neceſſe. Naturam Stygis communem exprimit epitheton.

426 ſqq. Hinc ad 540 de prima locorum inferorum regione agitur, de qua v. Excurſ. VIII. 426—429 verſuum magna dulcedo eſt.

430—433. Quid in ſedibus his aſſignandis ſequutus ſit poeta, non liquet. Suſpicor tamen fuiſſe Pythagoreum aliquem auctorem, qui, quae alii ſummatim extulerant, ſubtilius perſequutus erat. Si Empedoclea ſupereſſent, de multis iudicium expeditius foret. Hoc vnum inter *infantes* et *iniquo iudicio* aut *ſua manu interemtos* commune intercedere videtur, quod mortem fatalem anteuerterunt, et *immatura morte* obierunt; adeoque interiora quoque inferorum ingredi prohibentur. Warburtonus multa ſatis argute ſuper cauſſis harum ſedium datarum comminiſcitur. Add. Iortin. (*Six Diſſ. upon different Subjects* pag. 269. 272.) Sed, vt dixi, ſi eos

Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes.
Quaesitor Minos vrnam mouet; ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit.

431 *sine sorte* Franc., male. *Nec vero his* coni. Iortinus Diss. VI, p. 275. 433 *Consilium* Gud. a m. pr. et sic pr. et tert. Goth. Leuis haec esset auctoritas; sed Asconius in Argum. in Verr. de Praet. vrb. „*Ad hanc similitudinem*, inquit, *poeta Virgilius Minoem, iudicem apud inferos, tamquam si praetor sit rerum capitalium*, Quaesitorem *appellat: dat ibi sortitionem, vbi* vrnam *nominat: dat electionem iudicum, cum dicit:* Consiliumque vocat; *dat cognitionem facinorum, cum dicit:* vitasque et crimina discit.“ Cetera bene; verum in *Consilium vocat* argutatur Pedianus, nam etiamsi ad editicios iudices, quos certae causae admittebant (cf. Sigon. de Iudic. II, 12), referre velis, tamen nec poeta in eodem iudicio sortitionem et electionem memorare potuit, et, cum *silentum consilium* illud sit, iudices intelligendi essent ex vmbris lecti; quod vix poetae in animum venire potuit. Quin potius *silentum concilia* sunt turba forensis, inprimisque eorum, de quibus cognitio habebitur; vnde adiectum: *vitasque et crimina discit.* Stat. VIII, 22 de Plutone: *populos poscebat crimina vitae;* et in Culice 274 *nec faciles Ditis sine iudice sedes, Iudice, qui vitae post mortem vindicat acta. que* post *vitas* abest a binis Burm.

haberemus, quos poeta in h. l. sequutus est, melius nobis de toto hoc philosophemate constaret. De infantibus nonnulla οὐκ ἄξια μνήμης in mytho suo praetermittere se dicit Plato de Rep. XI sub fin. Hoc grauiter subiicitur, iudicia horum insontium damnatorum retractari a Minoe. Si modo versus illi 431. 432. 433, parum commodo loco interpositi, ad proxime appositum versum *Hos iuxta* retrahendi sunt. Videntur enim, per parenthesin potius interiecti, ad totum hoc genus, etiam ad sqq., spectare. *Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes:* h. e. non sine iudice sortito dato; sed iudicum sortito datorum sententiis. E sequentibus enim apparet, *sortem* non de ipsa sententia accipi posse; *Quaesitor*, seu iudex quaestionis, vt Romae in caussa capitali praetor, cui ea quaestio obtigit, vel is, cui ille delegauit quaestio-

Proxima deinde tenent maesti loca, qui sibi letum
Insontes peperere manu, lucemque perosi
Proiecere animas; Quam vellent aethere in alto
Nunc et pauperiem et duros perferre labores!

435 *reperere* pr. Moret. et Zulich. a m. sec. Sane sic et alibi. cf. Burm. Sic sup. II, 645 *ipse manu mortem inueniam.* Verum, si Io. Schraderi obseruatio Emendatt. p. 42 praef. vera est, metrum repugnat, cum prima in *reperere* longa sit. Idem in schedis epitheton *insontes* alienum arbitratus emendabat *Infanda* vel *Intenta.* Cui non accedam. 436 *Quas* Medic., et quidem, quod notandum, a manu emendatoris Aproniani. Et habet id sane acutum quid; quod tamen non sequar.

nem; adsident ei *iudices selecti*, qui *sortitione nominum* e decuriis a iudice quaestionis facta caussae cuique contigerunt. Hinc h. loco *Quaesitor mouet vrnam*, sortitur iudices; tum citat reos ad iudicium, *silentum concilium vocat, vitasque et crimina discit*, audita vtriusque partis oratione et testibus interrogatis. De ceteris vid. Excurs. XI ad h. v. Locus haud dubie inter eos numerandus, quibus poeta Homerum (v. Odyss. λ, 567) eo vicit, quod suorum temporum morem carmini intulit. Claudiani, Statii et Senecae Herc. fur. obuiae sunt imitationes et a Cerda notatae.

434 — 439. Magnam ad miserationem extulit sortem miserorum, qui sibi ipsi violentas manus intulere, sed *insontes* nullo crimine polluti, sed vitae taedio; propter aerumnarum molem, qua oppressos se videbant. Grauius illi puniuntur in Dantis Inferno. v. Cant. XIII. *proiecere animam*, cum dilectu, quasi rem vilem, vt bene Seru. Ex iis, quae laudant Cerda et Guellius, vnum conuenit notum illud Ouidii: *Sanguinis atque animae prodige Galle tuae.* At illa: *Quam vellent aethere in alto*, ex nota illa et a Luciano exagitata sententia Achillis ducta sunt Odyss. λ, 488 — 490. habet tamen vim nescio quam ad animi affectum, declaratio haec poenitentiae.

Fas obſtat, triſtique palus inamabilis vnda
Adligat, et nouies Styx interfuſa coercet.
Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem 440

438 Quinque voces notatae ſunt rubro in Medic. *Fas obſtat triſtique p. inamabilis vndae.* Sed videamus de ſingulis. *Fas obſtat* haud dubie bene, h. e. naturae, inferorumque, iura. *Fas* et *ius* ad iura diuina et humana referri notum eſt, et copioſe illuſtrat h. l. Heinſ. Sic legit Seru. cum Donato: ſicque Rom. Gud. a m. pr. Voſſ. alter, cum binis e Goth., item Benedict. e cod. Palat. et inde ed. Iunt. Ceteri *fata obſtant*, ex IV Aen. 440. Porro *triſtisque palus*, quod Seruius improbat, ne duo ſint epitheta, exhibet Doruill. et cum Rom. pars codd. Pierii, qui bene monet, accipiendum eſſe: *triſtisque palus, inamabilis vnda.* Sic quoque Gud. a m. pr. et pr. Rottend. a m. ſec. Alii etiam: *triſtisque p. i. vndae.* Sic Gud. a m. ſec. Tandem *innabilis* ſunt qui legant ap. Pier. item Schol. Horat. et pr. Hamb. pro var. lect. et tres ap. Burm., minus bene, vt Heinſ. docet. Eadem varietas Georg. IV, 479. 480, vbi hi duo verſus occurrunt. Omnino recepta lectio haud dubie elegantior eſt. 440 *hic* Rom. et alii Pier. *infuſi* alter Menag.

438. *Fas.* iura inferorum. v. V. L. *Styx nouies*, hoc eſt ſaepius, flexibus ſuis regna infera ambire dicitur: conf. Georg. IV, 480. ſup. 295. v. Excurſ. IX.

440 ſqq. *Campi lugentes.* Ponitur hoc vulgo ab interpretibus, locum hunc *amantes* tantum *feminas* capere. Inde reprehenſiones poetae et difficultates mouent alias ex aliis, quas non felicius tollunt quam creant; vide v. c. Io. Schrader. ad Muſaeum p. 283 ſqq. Certe in feminis, quas in Campis illis collocauit poeta, vix in miſerarum amantium numero Eriphyle et Caeneus memorari poſſunt. Dicas forte in deperditis poetis fuiſſe de eorum amoribus fabulas, quas nunc ignoramus; verum, quantum intelligo, omnino inuito poeta aſſertum eſt, non niſi amantes feminas haec loca tenere; *heroinas* ille, vt mox inde a 477 heroes, memorauit priſcis mythis celebratas, quarum nomen inſigni aliquo facinore clarum fuit, nullo reſpectu laudis et virtutis; etſi ex his

Lugentes campi: sic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,

441 *ducunt* duo ap. Burm. 442 *Hic* Heinſ. e Medic. et al. Vulgo: *Hinc*. At *Hi* Rottend. et Witt. *quas*, quod Heinſ. probat, quoniam feminae mox memorantur, Zulich. habet, et pronus eſſe ſolet in talibus error. Tamen infra Sychaeus quoque in iisdem locis occurrit. *dirus a.* duo apud Burm. *peregit* Doruill. *peremit* nonnulli Pier. et Burm. cum Goth. tert., ſed *tabi peredit* proprie adiectum.

facinoribus pleraque a miſero amore profecta ſunt: nefarius erat amor Phaedrae in Hippolytum priuignum; et Paſiphaes libidinoſum amorem nemo ignorat; Procris de mariti, Cephali, fide male ſollicita infelici caſu interiit; contra Euadne et Laodamia fide et conſtantia in maritorum funere clarae ſunt; Caenis mira ſexus in virilem mutatione et factis, quae ſub Caenei nomine edidit, notabilis. Sane vel ſic, ad noſtrum ſenſum et iudicium, a poeta melior nominum dilectus adhibendus fuiſſe videri poteſt; potuiſſet vtique laudare feminas, quarum virtus et fortuna nos iucunda aliqua recordatione delectaret. Verum, quod iam ſaepius obſeruatum eſt, ab hoc dulciſſimi affectus, niſi coniugalis ille eſſet et magnis difficultatibus implicitus, admiratione in muliebri ſexu abhorret antiquitas; nec niſi caſus tragicos in hoc genere ſectatur. Recentiorum ſane poetarum optimus quisque ad noſtros mores ac ſenſus locum hunc quanto melius tractaſſet. Praeſtant quoque verſus Tibulli I El. 3, 57 *Sed me quod facilis tenero ſum ſemper Amori* ſqq. Ipſum Virgilianum locum diſertius exornauit Auſonius in Cupid. crucif., ſed deſideres, vt alibi, in eo iudicii ſubtilitatem. Conf. quoque Propert. IV, 7, 59 ſq. Verum Virgilius ante oculos habuit et expreſſit locum Od. λ, 224 ſq., 320 ſq. in quo promiſcue heroinae ex inferis prodeunt ὅσσαι ἀριστήων ἄλοχοι ἔσαν, ἠδὲ θύγατρες. Claras mulieres in Necyia ſua etiam Polygnotus pinxerat apud Pauſan. X, 28, 29, in his Phaedram, Procrin, Eriphylen. Reprehendunt tandem poetam in hoc, quod in Campis Lugentibus

Secreti celant calles, et myrtea circum
Silua tegit; curae non ipſa in morte relinquunt.
His Phaedram Procrinque locis, maeſtamque Eri-
phylen, 445

443 *colles* Sprot. et Vratisl. cum Goth. ſec. At tert. *caules*. *ſeruant colles* ed. Ven. *Secretae valles* coni. Io. Schraderus, quia calles vix dici poſſunt celare aliquem, et laudat Stat. Silu. III, 290 *Centaurosque — auerſae celent valles*. add. ſup. v. 138. 139. Enimuero *ſecreti calles* ſunt ſemitae in locis ſecretis, et in ipſis myrtetis, per quae errantes vmbrae bene dicuntur *celari* et ipſo loco et ſemita per eum ducente. Etiam inf. IX, 383 *Rara per occultos lucebat ſemita calles*. 444 *ipſae* alter Hamb. *in* deeſt binis Burm. 445 *Procnin, Procrim, Prochrim* corruptelae; item *Eriphylem*.

inter feminas amore miſero conſumtas Sichaeus occurrit v. 473. Verum ipſe poeta locum non ſolis feminis aſſignauerat, nam verſus ſic exorditur: *Hic* quos *durus amor crudeli morte peredit* ſq. Tum ſi vel maxime hoc ita ſe haberet, nolim poetam in ordinem cogere, tamquam ſi hiſtorias rerum geſtarum conderet. *Late* vero *patentes* campos facit, non, vt Intpp. volunt, multitudinis cauſſa, quam excepturi ſunt, ſed vt ſolitudinem in iis, quam quaerunt, habeant amantes.

445—449. Alias nunc heroinas ſubiungit poeta et diverſas a miſere amantibus. Odyſſ. λ, 320 Φαίδρην τε Πρόκριν τε ἰδον, et v. 325 στυγερὴν τ' Ἐριφύλην, ἣ χρυσὸν φίλου ἀνδρὸς ἐδέξατο τιμήεντα; de his omnibus Apollodor. Hygin. Diodor. Sic. Ouidii Metamorph. praeter Seruium ad h. l. conſulendos eſſe vt moneam, neceſſe non eſt. Praeter illos tamen apponemus loca ſaltem claſſica. De Procride v. Met. VII ſub f. De Eriphyle v. Odyſſ. o, 244 ſeq. Stat. II Theb. 299 ſqq. IV, 187 ſqq. occiſa ab Alcmaeone filio, quia patrem Amphiaraum accepto monili prodiderat: v. Apollod. III, 6, 2. 7, 2 et 5. cf. Not. p. 607; et de Euadne, Capanei vxore, Eurip. Supplic. 990 ſeqq. Laodamia, Proteſilai vxor, vel ex Lu-

Crudelis nati monſtrantem volnera cernit,
Euadnenque, et Paſiphaen; his Laodamia
It comes, et iuuenis quondam, nunc femina, Caenis,
Rurſus et in veterem fato reuoluta figuram.
Inter quas Phoeniſſa recens a volnere Dido
Errabat ſilua in magna: quam Troïus heros,
Vt primum iuxta ſtetit, adgnouitque per vmbras
Obſcuram, qualem primo qui ſurgere menſe
Aut videt, aut vidiſſe putat per nubila Lunam,

446 *funera* Parrhaſ. *vidit* Goth. tert. 447 *Euchadem, Euchandem, Heuhadnenq. Paſiphem* aberratt., item: *Laodomia.* 448 *Eſt c.* Goth. tert. *Caeneus* vulgo lectum. Dubitari nequit, *Caenis* a poeta ſcriptum fuiſſe: quod et Heinſius coniecit: ἡ Καινίς. cf. Verheyck ad Antonin. Lib. c. 17 p. 114 ſq. Firmat id quoque Auſonii imitatio in Cupid. crucif. 20 *Irrita dona querens, ſexu gauiſa virili, Maeret in antiquam Caenis reuocata figuram;* etſi et ibi in multis *Caeneus.* In nominibus propriis, inprimis ex Graeco ductis, rationis grammaticae maior auctoritas quam ſcriptorum per librariorum ſtuporem inquinatorum habenda. 449 *fati* Mentel. pr. *reuocata* Rom. 450 *ab vulnere* Leid. vnus. 451 *in* deeſt Exc. Burmann. 452 *Vt iuxta primum* Doruill. *per vmbram* vulgo lectum, etiam in praeſtantioribus. *per vmbras* quinque, nec contemnendi, ap. Heinſ., ita non ineleganter *Obſcuram* ſc. Didonem acciperes; vt iam Seruium feciſſe video. Recepit quoque id Wakefield. 453 *quis* alii et ed. Iunt., ſed iam Pier. alteram praetulit. *qui primo* ſec. Hamb.

ciani DD. Mort. et ex Ouid. Ep. XIII nota eſt; et de Caeneo vid. Met. XII Ouid. v. 171 ſqq. 445. *maeſtam*, vt Hom. στυγερὴν, h. e. μισητὴν, exprimere voluerit, neceſſe non eſt, etſi στυγερὸν eo ſenſu poni nemo facile dubitet.

450 ſqq. Episodium de Didone, merito ſuo laudatiſſimum, ad Homeri ductum de Aiace Iliad. λ, 542 ſqq. effinxit. 452. 453. 454. Suavis comparatio Didonis aegre per vmbram viſae cum noua luna; petita ab Apollon. IV, 1479. 1480, vt iam alii notarunt: Viſus eſt Lynceus

Demisit lacrimas, dulcique adfatus amore est:
Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
Venerat exstinctam, ferroque extrema secutam;
Funeris heu tibi caussa fui? Per sidera iuro,
Per superos, et si qua fides tellure sub ima est:
Inuitus, regina, tuo de litore cessi.
Sed me iussa deum, quae nunc has ire per vmbras,
Per loca senta situ cogunt noctemque profundam,
Imperiis egere suis; nec credere quiui
Hunc tantum tibi me discessu ferre dolorem.
Siste gradum, teque adspectu ne subtrahe nostro.

455 *Dimisit* Medic. cum al. Heins. *demit* Mentel. pr. *lacrimans* Rom. *est* deest vtrique Menag. et Goth. sec. 459 *est* abest ab pr. Menag. et eodem Goth. sec. 461 *qui* Franc., et ab alia manu *que*. 465 *nec s.* Sprot. *adspectui* codd. ap. Pier.

Herculem procul videre, ὡς τίς τε νέῳ ἐνὶ ἤματι (noster, *primo mense*, noua luna) μήνην Ἠ ἴδεν ἢ ἐνόησεν ἐπαχλύουσαν ἰδέσθαι. 456. *nuntius* ex flammis lucentibus. sup. V, pr. 459. *et si qua fides tellure sub ima est;* si quid apud inferos aliud, quod fidem facere iuranti potest (id enim et ipsum *fides* dici solet. conf. sup. II, 142. Male aliter Serv. et al.). 460. Vrsinus comparat Catulli versum de Coma Berenices: *Inuita, o regina, tuo de vertice cessi.* Conueniunt saltem verba. 462. *situs* est incultae telluris, nec manuum opera motae, squalor et horror, quo fit vt obducatur solum sentibus, dumis, silice: aspera itaque loca et horrida (αὐχμηρὰν χώραν) ex cultu neglecto, adeoque ex situ, qui εὐρώς est; exprimit enim Homericum Ἀΐδεω δόμον εὐρώεντα. 465. *Siste gradum.* Hoc vero praeclare ex Odyss. λ, 560 et omni oratione distertius mox silentium ex v. 562,

Quem fugis? extremum fato, quod te adloquor, hoc eſt.
Talibus Aeneas ardentem et torua tuentem
Lenibat dictis animum, lacrimasque ciebat.
Illa ſolo fixos oculos auerſa tenebat;
Nec magis incepto voltum ſermone mouetur,

466 *fator* Menag. pr. *fatum* Exc. Burm. *te* abeſt a binis Burmann. et Goth. tert., indocte. 468 *Leneibat* vett. ap. Pier. *lacrimisque* Franc. Ceterum Burm. difficultatem recte percipiebat in eo, quod *torua tuentem animum* in vmbra exhibere videtur poeta. Nec ſatis eſt accipere dictum pro, *animum tuentis*. Niſi, quod valde ſuſpicor, hemiſtichium male expletum eſt, cum a Marone relictum eſſet: *Talibus — tuentem Lenibat dictis . . Illa ſ.* triplex expediendae rei adeſt modus: primum vt diſtinguas poſt *dictis*, vt ſit: *animum lacrimasque ciebat*, mouebat, vt θυμὸν ὄρινε toties apud Hom. etiam de miſeratione. Altera, vt *ardentem et t. tuentem* quartos caſus abſolute poſitos eſſe iubeas. Tertia tandem, eaque ceteris ſimplicior et melior, vt *animum* Homerico exemplo accipias pro κατὰ θυμὸν, φρένας. Sic pro vulgari forma: *leniebat eius ardentis et torua*, torue, *tuentis animum*, non inſolens eſt dicere: *leniebat eam animum, animo*. Alterum *lacrimas ciebat* haud dubie ad Aeneam ſpectat, *lacrimas mouebat*, voluebat, fundebat. 469 *aduerſa* nonnulli ap. Pier. et Burm., etiam *diuerſa* ap. Petron. c. 132 in codd. et ap. Schol. Cruqu. Horatii. 470 *in capto* Cod. Barthii ap. Burm. Mox multi apud Pier. et Heinſ. *vultus* vel *vultu*, male. Et vulgata apud Macrob. IV Sat. 1. *vultus* quoque apud Petron. l. l. legitur, vbi vſſ. 469. 470 in nequiorem ſenſum detorquet, et pro 471 ſubſtituit, *Quam lentae ſalices, laſſoue papauera collo.*

quem iam Longini §. 9 iudicium nobilitauit. Ad v. 466 facile in mentem veniat Sophocleum illud: ὀὲ δ' ὦ φ. — προσεννέπω Παυσατον δὴ, κοὔποτ' αὖθις ὕστερον (Aiac. 871 ſq.). 467. *torua tuentem* ὑπόδρα ἰδοῦσαν. 468. *Lenibat dictis animum*, lenire volebat, ſtudebat, eam iratam, et toruis obliquisque oculis adſpicientem. Iam pro *lenire* eius *animum*, dicere poterat lenire eam *animo* et (quoad) *animum* (κατὰ) θυμὸν, φρένας, vt ſaepe Homerus. At *lacrimas ciebat*, ipſe fundebat Aeneas. In 469 Eu-

Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.
Tandem conripuit sese, atque inimica refugit
In nemus vmbriferum; coniunx vbi pristinus illi
Respondet curis, aequatque Sychaeus amorem.
Nec minus Aeneas, casu percussus iniquo, 475
Prosequitur lacrimans longe, et miseratur euntem.

471 *Mopesia, Marsepia*, et in Goth. *in Arpeia*, aberrationes indoctorum librariorum. Steph. Byz. Μάρπησσα, ὄρος Πάρου, ἀφ' οὗ οἱ λίθοι ἐξαίρονται. ὁ οἰκήτωρ Μαρπήσσιος. Alia montis pars *Lygdus*. v. Plin. XXXVI, s. 13. Est et vrbs *Marpessus* in Troade. vid. Paus. X, 12, pag. 826. 827. 472 *corripuit* Heins. reuocauit, quod habet praestantissimus quisque codex. Alii *proripuit;* quod vulgare est adeoque alterius interpretamentum. conf. inf. XI, 462. 473 *postumus* Hugen. a m. pr. Scilicet haesisse veteres Grammaticos in hac vocis *pristinus* significatione, vt *prior* sit, e Seruio et Pomponio Sab. (apud quem Probus de hoc vocabulo dubitat) apparet, cum tamen de ea nunc satis constet. vide ap. Burmann. Omnino haec notissimarum rerum ignoratio vel dubitatio, et in tenuibus subtilitas vel frigus, difficiliorum vero vocum vel locorum omissio, admodum veterum Grammaticorum vsum circumscribit; nec inspiciendi illi sunt nisi iis, qui ipsi satis magna interpretandi facultate instructi sunt. Ita vt auctoritatem tuae interpretationis melius inde petas quam rationem ac fundum. Nec aliter res se habet in vsu eorum critico: Si ei, quod ipse inueneris et perspexeris, consentientem vel fauentem deprehenderis grammaticum, bene se habet; sapere ex grammatico raro obtigit. 474 *amores* Sec. Rottend. 475 Duplex codd. familia: Rom. cum aliis *percussus*, Medic. cum sua secta *concussus*, quem h. l. Heins. deseruit. Vulgo *perculsus. percusus* Doruill. a m. pr. *p. acerbo* Dorvill. 476 *Persequitur* Doruill. *longe lacrimans et m.* Parrhas. inscite. Memorabilior Rom. lectio: *P. lacrimis longe et m.* ita et tres Heins. Sed vulgarior haec est et cum prosaica communis ratio: *prosequi aliquem lacrimis.* Medic. Pierii: *P. lacrimas l. et m.* ex *lacrimans. miseratur* Heins. e Medic. aliisque, item Rom.

ripidis Medea v. 27 Οὔτ' ὄμμ' ἐπεύρους' οὔτ' ἀπαλλάσσουσα γῆς πρόσωπον obuersata Virgilii animo videbatur Valkenario ad Hippol. p. 197. 473. *coniux vbi*, an de Aenea multa narrauerit Dido Sychaeo, nolim affirmare.

Inde datum molitur iter. Iamque arua tenebant
Vltima, quae bello clari secreta frequentant.
Hic illi occurrit Tydeus, hic inclutus armis
Parthenopaeus, et Adrasti pallentis imago. 480
Hic multum fleti ad superos, belloque caduci,
Dardanidae: quos ille omnis longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucumque, Medontaque, Thersilochumque,

adstruit; vulgo *miseratus. amantem* Ven. *amantem est* Parrhas. *est* in fine vulgg. edd. habebant. 477 *tenebat* aliquot Heinsiani, et defendit Markslandus ad Stat. p. 264. Possit sane et hoc ferri de solo Aenea, inprimis propter *illi* in v. 479. Sed quidni et ipsa Sibylla accenseatur, vt toties alibi: vt v. 384. 415. 479 *hinc inclytus* Medic. *inclitus, inclutus* et hic codd. 480 *pallantis* tert. Rottend. *bellantis* Zulich. 481 *Hi* Medic. cum al. *Hii* Witt. 482 *ipse* pr. Hamb. o. *circum* Parrhas. 483 *Meduntaq. Torsilocumq. Tersiloconque,* praue codd. *Medontaque* vitiosum videri, Cerda monet; nam *Medontis* apud Homerum plurium ex Achiuis nomen esse, nusquam Troiani; in versu autem,

477—534. Aeneas nunc peragrat Campum priscorum heroum. *datum* simpl. accipe, qua via patet, ducit. *molitur iter,* peragit, ait Seru. Scilicet vt apud poetas *moliri,* mouere, et agere, facere, est primum de re magnae molis, tum de quacunque re. *arua vltima,* in his locis, quae citra Plutonis regiam, Elysium et Tartarum sunt. (cf. 540) 479. 480. Sunt hi ex numero τῶν ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας. vid. Apollod. III, 6. *pallentis,* tamquam vmbrae: adeoque pro *et Adrastus.* Nihil amplius. Male de fugiente acciperes in loco hoc. Male etiam cum hoc Adrasto confundunt inertem illum Troianum Iliad. ξ, 37 sqq.

481. *fleti ad superos,* apud viuos, inter homines. *caduci,* pro πεσόντες; nescio, an primus nouauerit Virgilius; eius exemplo certe multi. Etiam *longo ordine* pro vulgari, ingenti multitudine, vt II, 766. Seru. 483. Sunt Troianorum nomina, de qui-

Tris Antenoridas, Cererique ſacrum Polyphoeten,
Idaeumque, etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumſtant animae dextra laeuaque frequentes.
Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt: iuuat vsque morari,
Et conferre gradum, et veniendi diſcere cauſſas.
At Danaum proceres, Agamemnoniaeque phalanges,

quem Virgilius ante oculos habuerit (Iliad. φ, 209), legi: Ἐνῦ' ἕλε Θερσίλοχόν τε Μύδωνά τε. Sed in alienum verſum incidit vir optimus. Nam Iliad. ϱ, 216 Hector appellat Μέσθλην τε, Γλαῦκόν τε, Μέδοντά τε, Θερσίλοχόν τε. 484 Iliad. λ, 59 Τρεῖς δ' Ἀντηνορίδας, Πόλυβον καὶ Ἀγήνορα δῖον, Ἡϑεόν τ' Ἀκάμαντ' ἐπιείκελον ἀϑανάτοισιν. *Polypoeten* aduerſus Homeri auctoritatem receperat Burm. ex Heinſii emendatione. Sed Homero Πολυποίτης eſt inſignis inter Achiuos principes, non inter Troianos. Antea *Polyboeten* legebatur, et variis corruptelis *Polyboten, Polybetem, Poliboetem, Polipotem, Polybuten, Polybotem,* et interpolate *C. ſ. que Polyboten,* Goth. tert. *C. ſ. que Politen,* porro *Poliphetem, Polipheten.* Vltima haec ad veram lectionem ducunt: *Polyphoeten.* Iliad. ν, 791 inter Troianos, καὶ ἀντίϑεον Πολυφοίτην. Quod *Cereri ſacrum,* h. e. Cereris ſacerdotem edit, Homerica imitatione facit. Eleuſinia initia fruſtra huc vocat Warburtonus. 485 Ἰδαῖος, ſiue Daretis f. v. Iliad. ε, 11. 20, ſiue auriga Priami Iliad. ω, 325, quod verius. *que* abeſt a tert. Rottend. *et iam — et iam* diuiſim nonnulli ſcribunt. Sed *etiam* Cledonius demonſtrandi vim h. l. habere, Seruius autem cum Donato per *adhuc* interpretandum eſſe monet. Enimuero *etiam* eſt pro, etiamnum, *currum* Rom. cum aliis a m. pr. ap. Pier. *currus atque* Ven. *c. iamque* Goth. tert. *tenentes* ap. Seru. ad IX, 373. 486 *frementes* Gud. a m. pr. *frequentant* Doruill. a m. ſec. 487 *ſatis ſemel eſt* pr. Hamb. 488 *poſcere* Rom. et alii Pier. cum ed. Ven. ex lib. I, 414. *dicere* ed. Iunt. 489 *Et D.* aliquot cum ed. Iunt. *Danaï* Zulich. v. ad VIII, 161. Burmann.

bus vid. Var. Lect. *etiam — etiam* ſimpl. pro etiamnum. 487. 488. ad animas referenda eſſe quis dubitet?

489 — 493. Inter feliciores huius libri locos numerare ſoleo hunc. Opinionem profecto de Aeneae virtute facit

Vt videre virum, fulgentiaque arma per vmbras,
Ingenti trepidare metu; pars vertere terga,
Ceu quondam petiere ratis; pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor frustratur hiantis.

Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, et truncas inhonesto volnere naris.

490 *vmbram* alter Hamb. v. sup. 452 et alibi. 493 *Incertus* Nonius in *hiare*. Similis varietas sup. v. 270. *Inceptum* Menag. pr. *fruſtrauit* Goth. pr.; tertio deest vox vltima. 494 *Atque ibi* Witt. *totum* pr. Hamb. 495 *videt et* Medic. cum aliis, quo alludunt alii ap. Burm. 496 *manus a.* sine *que* alter Hamb.

summam. Nec tamen Virgilius aliter quam Homeri imitatione in praeclarum hoc φάντασμα incidit. v. Odyss. λ, 604, vbi de Hercule inter Manes. *Ceu quondam* v. Iliad. ϑ, 75. ο, 320 sqq. *exiguam vocem*, τρισμὸν intellige. vid. Odyss. ω, 5 sqq. Vide vero ne ex nostro rerum sensu haec diiudices, aut phantasma alienum de tuo inferas: alioqui adspectus hiscentis, nec, cum maxime velit, clara voce loqui valentis, si ad oculorum sensum reuocas, risum mouere potest; alienum quoque, de Aenea olim ab Achille victo cogitare. Retinendae et reuoluendae sunt animo notiones veterum hominum, quae obuersatae sunt poetae animo: philosophico acumine vti non licet in poeta, quando te res ad sensum moremque reuocat.

494. Sequitur episodium de *Deiphobo*, in quo argumenti dilectum, nostro saltem sensu, desideres, nullam enim suauitatem habet videre aut cogitare hominem membris mutilatis, λωβητὸν, ἠκρωτηριασμένον, αἰσχέντα, insigniter tamen a poeta ornatum. Sed imitator Homeri Virgilius et hic deprehenditur, si locum de Agamemnonis vmbra conferas Odyss. λ,

Vix adeo adgnouit pauitantem, et dira tegentem
Supplicia; et notis conpellat vocibus vltro:
Deïphobe armipotens, genus alto a ſanguine Teucri,
Quis tam crudelis optauit ſumere poenas?
Cui tantum de te licuit? Mihi fama ſuprema
Nocte tulit feſſum vaſta te caede Pelasgum
Procubuiſſe ſuper confuſae ſtragis aceruum.
Tunc egomet tumulum Rhoeteo in litore inanem

498 *et vulnera d. tegentem* laudat Seru. ad I, 157 ex interpretatione. 499 *notis*. Io. Schrader. malebat *placidis*. 500 *a* deeſt quatuor Heinſ., vnus *ab*. *Teucrum* duo Leid. *Teucro* tert. a m. pr. v. I, 18. 501 *aptauit* fragm. Vatic. a m. ſec. 503 *fuſum* Zulich. a m. ſec. *v. de caede* vulgg. ante Pier. *de ſede* ed. Ven. *vaſtata caede* Leid. 504 *confoſſae* Gud. *caedis a.* quatuor ap. Burm. 505 *Hunc* Seru. ap. Burm. *tibimet* Oudart. *in* deeſt Rom. fragm. Vatic. et binis Burm.

386 ſqq. Deiphobum in Helenae thalamo a Menelao oppreſſum etiam videas apud Quintum XIII, 354 ſq. Adde Dictyn lib. V, p. 116. Cf. Excurſ. XII ad lib. II.

499 ſqq. *Supplicia*, int. illum ipſum ἐκρωτηριασμὸν, vulnera. *vix agnouit et compellat*, noto narrandi more Homerico, qui ex priſci aeui neglectu orationis ducendus eſt: pro, cum compellaret. *notis*, ornans epitheton; quales notorum, familiarium, eſſe ſolent; inſ. 688 *notas audire et reddere voces*: familiariter confabulari: vt faciunt, qui ſibi *noti* ſunt. *genus*, γένος, oriundus, vt et ſupra. 501. *optauit*, ex προείλετο, puto, h. e. ſtatuit, induxit in animum, auſus eſt. 503. 504. quam ornate, pro, te occubuiſſe pugnando.

505—508. Sane conſentaneum hoc Aeneae pietati. Nec tamen vlterius inquirendum, vnde Aeneae tempus et locus ſuppetere ad hoc cenotaphium potuerit, ſi lib. II,

Conſtitui, et magna Manis ter voce vocaui.
Nomen et arma locum ſeruant; te, amice, nequiui
Conſpicere, et patria decedens ponere terra.
Ad quae Priamides: nihil o tibi, amice, relictum;
Omnia Deïphobo ſoluiſti et funeris vmbris. 510
Sed me fata mea et ſcelus exitiale Lacaenae
His merſere malis; illa haec monumenta reliquit.

507 *locus* Longob. Pierii. Sed altera ratio exquiſitior. cf. inf. VII, 3. *ſeruet* Rom. 508 *discedens* tres Burm. cum Goth. tert., vnus *deſcendens*. 509 *Ad quae haec P.* Heinſius repoſuerat ex binis Rottend. altero Mentel. et pr. Menag.: adde binos Burmanni, cum ed. Mediol. At alii: *Ad quae P.*, et haec concinnior et vera lectio, nam ſic et fragm. Vatic. Eodem ducit Rom. *Ad que*, et Medic. a m. pr. *Atquae* antiquo more ſcribendi. Hoc in aliis corruptum in *atque*. Hinc interpolatum ab emendatoribus in *Atque haec*, vt vulgo legitur, vel, vt in aliis, *Atque hic*, *Ad que*, *Ad quem*, vt in Longob. ſec. Moret. Goth. alt. *eſt* multi attexunt. 510 *et* deeſt Doruill. *et corporis vmbris* coni. Io. Schrader. 511 *fata deum* Doruill., vt toties alibi. 512 *miſere* Hugen., male. *mergi malis* ſaepius poetae ex Gr. καταϰλυσθῆναι ϰαϰῶν. *relinquit* Franc.

fin. et III, princ. animo repetas. 507. *Nomen* loco inditum, *et arma* in tumulo conſtituta et fixa ex more (v. ſup. 233). *locum ſeruant*, inſigniunt, monumentum faciunt. Aut igitur ſingit poeta aut acceperat in Rhoeteo locum eſſe Δηϊφόβου σῆμα dictum. 507. *te* vt ſup. 362 de corpore. *ponere*, h. l. humare, condere.

509—512. *funeris*, cadaveris (ſic inf. IX, 491 *quae nunc funus lacerum tellus habet?*), vmbrae, non ipſi cadaueri. Viderunt iam alii. Ceterum locum reſpicit Auſon. in noto epitaphio n. XIII. *Lacaenae* v. ſup. II, 601. De Helenae in excidio Troiae fatis omnino v. II, 567 ſq. et Excurſ. XII ad e. l. Ait illa apud Euripidem in Troad. 966. 7. ſe poſt Paridis mortem a Deiphobo raptam eſſe. At alii ἀριστείας praemium eam a Priamo aſſignatam eſſe narrauerant: Lycophr. 168 ſq. Schol. ad Iliad. Ω, 251. *mo-*

Namque, vt ſupremam falſa inter gaudia noctem
Egerimus, noſti; et nimium meminiſſe neceſſe eſt.
Quum fatalis equus ſaltu ſuper ardua venit
Pergama, et armatum peditem grauis adtulit aluo:
Illa, chorum ſimulans, euantis orgia circum
Ducebat Phrygias; flammam media ipſa tenebat
Ingentem, et ſumma Danaos ex arce vocabat.

513 *vt* deeſt Medic., ſed a m. pr., idem *falſam*. 514 *Degimus vt noſti* ed. Ven. *eſt* abeſt a Menag. pr. 516 *aluus* cod. Ge. Fabricii, minus docte. *alueo* Rom. et Medic. *error* alter Hamb. a m. ſec. 517 *ouantes* in nonnullis lectum, ex Seruio colligas. *et ouantes* Zulich. *euhantis* fragm. Vatic. et Rom. *bacchantes* ſec. Moret., indocta interpolatione. *atria circum, littora circum* tentabat Io. Schrader. 519 *Ardentem* Donat., non bene. *medio* Ven.

numenta, δείγματα, indicia, in me, ſceleris ſui.

513—519. *Namque vt ſ.* v. ſup. II, 25. 248 ſq. 514. 515. *ſaltu venit ſuper*, h. e. ſupergreſſus eſt, parte murorum deiecta, ὑπερέθορεν, ὑπερέβαινε; hactenus etiam *ſcandit fatalis machina muros* II, 237, et *grauis* vt *fata armis*. v. ſup. II, 234 ſqq. cf. Excurſ. III ad e. l. et VII. In h. l. ante oculos poetae locus ex Ennio a Macrob. VI, 2 ſeruatus: *Nam maximo ſaltu ſuperauit Grauidus armateis equus, Qui ſuo partu ardua perdat Pergama;* aut vt ſcriptum fuiſſe coniectes: *Nam maximo ſaltu ſuperat grauidus armateis Equus, qui ſuo p.* (ſc. vt *grauid' armatis* et *ſuo* vna ſyllaba eloquaris). Hauſit ex eodem loco Lucretius I, 477. 478 iam ab aliis excitatus: *Nec clam durateus Troianis Pergama* partu *Inflammaſſet equus* nocturno *Graiugenarum*. Illa v. 517 ſqq. ingenioſum poetam decent. Flamma ſeu face ex arce ab Helena ſublata Achiuis ſignum datum. Alio modo narrauerant rem alii; conf. Excurſ. VIII ad lib. II. At h. l. quomodo fraus ea fieri potuerit, probabilitas adfertur maior, inſtitutis in publica laetitia ſacris Bacchi-

Tum me, confectum curis somnoque grauatum,
Infelix habuit thalamus, pressitque iacentem
Dulcis et alta quies, placidaeque simillima morti.
Egregia interea coniunx arma omnia tectis
Emouet, et fidum capiti subduxerat ensem;

520 *Cum me* duo Heins. *curis*. Illa nocte Troiani epulis lusibusque vacauerant: II, 265 *Inuadunt vrbem somno vinoque sepultam:* inter haec quis locus, dicas, esse potuit *curis?* Itaque Io. Schrader. Notis ms. emendat *confectum choreis;* mallet tamen *thiasis*, vt apud Statium III Silu. I, 41 occurrit: *confectus thiasis*. Ingeniose profecto. Possunt tamen duo moneri. Primo *curae* spectant ad diem, qui praecesserat, cum de discessu Achiuorum nondum certiores essent facti, quemque adeo inter sollicitudines et inter labores belli solitos exegerat Deiphobus; Tum vero, choreas ducebant feminae: non item viri bellis operati; quam parum hoc viris principibus dignum memorasset poeta, si Hectorem, Aeneam, eisque similes, aut nunc Deiphobum, choros ducentem exhibuisset! 522 *patriaeque* Zulich. pro var. lect. 523—525 Locum hunc pugnare cum verss. 567 sqq. lib. II multi viri docti crediderunt, fuitque hoc inter caussas, cur istos versus sublatos esse vellent. Sed fuit Deiphobi domus in ipsa arce (v. Exc. XII f. ad e. lib.) et potuit Helena scelere in maritum commisso tamen latebras quaerere, quas altero loco memorauit poeta. 524 *Amouet* Mecis, thiaso bacchantum ducto. Helena igitur circumducebat Troianas matronas *euantes orgia*, ex orgiorum more, εὐαζούσας τὰ ὄργια, euando celebrantes, h. e. ὀργιαζούσας, inter faces iactatas. *euantes chori*, quos Ariadne ducit, etiam apud Propert. II, 3, 18 occurrunt. Locus Odyss. δ, 277 sq. frustra huc vocatur. De ceteris vid. Excursum XI*. *fumma ex arce*, ad Helenam refer.

520 — 530. *confectum curis somnoque grauatum.* Comparant Intpp. Odyss. ζ, 2 Ὕπνῳ καὶ καμάτῳ ἀρημένος. Aliis locis καμάτῳ ἀδδηκότες ἠδὲ καὶ ὕπνῳ Iliad. κ, 18. *placidaeque simillima morti.* ὕπνος — Νήγρετος, ἥδιστος, θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς. Mox 524. *Emouet* et *subduxerat*, etsi non grammatice, tamen

Intra tecta vocat Menelaum, et limina pandit.
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? inrumpunt thalamo; comes additus una
Hortator scelerum Aeolides. Di, talia Graiis
Instaurate; pio si poenas ore reposco.
Sed te qui vivum casus, age fare vicissim,
Adtulerint. Pelagine venis erroribus actus,

dic. cum duobus Heins. et fragm. Vatic. cf. sup. ad 382. *capitis* Medic. a m. pr., sed *capiti* est pro parte lecti, vbi caput ponimus, vt Burm. annotat. *summouerat* Ven. 525 *Inter* Parrhas. *tecta* post *tectis* 523 displicent Io. Schradero, coniicienti *septa:* idem: *Emouet. Vt f. c. subduxerat.* 527 *veterem* Sprot. Haud dubie elegantius *vetus fama malorum* pro *fama veterum malorum* diceretur; et *vetus* ac *pristinus* pro priori iam apud poetam vidimus. Sed felix aliquis librarii lapsus lectionem librorum consensu firmatam labefactare nequit, et in talibus lectionibus ornandis otium consumere, ingenioſi lusus laudem habere potest, non studii recte collocati. 528 *inr. thalamos* Rom. cum parte Heins. et Burm. et Goth. sec., quam equidem Virgilii scripturam esse censeo. v. sup. IV, 645. XI, 879. conf. Burmann. *thalamo* tamen etiam fragm. Vatic. *additus* bene Heins. ex suis et Pier. recepit. Alii *additur.* 529 *Oelides* Medic. cum binis Heins. Sic in Seruianis nonnulli legisse memorantur. *Eoliades* fragm. Vatic. *Elides* ap. Pompon. Sab. Sed dictus Vlysses *Aeolides*, quatenus eius genus a nonnullis a Sisypho ductum, Aeoli f., a quo Anticlia mater ante nuptias cum Laerta factas oppressa fuerat. *Aeolides scelerum hortatur* Goth. tert. *Graïs* vett. 530 *pios* Rom. 531 *qui te* Diomedes. 532 *Attulerit* Medic., sed a m. pr. *Attulerunt* duo Heins. cum aliquot Pier.

ad sententiam saltem vi pollent aequali. 528. 529. Suave hoc et Homericum, vel in hac ipsa re (v. Odyss. ϑ, 517. 518), quod nec ab hoc facinore Vlysses abest. *instaurate*, docte, retribuite, rependite. *pio ore*, si poenas iustas peto.

531—533. Adumbrati ex Homerica ratione Odyss. λ, 154 sq., vbi Vlyssem mater

An monitu diuom? an, quae te Fortuna fatigat,
Vt triſtis ſine ſole domos, loca turbida, adires?
Hac vice ſermonum roſeis Aurora quadrigis 535
Iam medium aetherio curſu traiecerat axem:
Et fors omne datum traherent per talia tempus;

533 *Admonitu* tert. Rottend. *te* abeſt a binis Burm. *aut quae te* pr. Hamb., quod ferri poſſet. *an quia te* nonnulli libri Donati ad Terent. *quae*, quod omnes ſcripti et editi habent, Burmannus ita explicat, *an fortuna* (caſu ſexto accipe), *quae te fatigat*. Durum hoc; ſed dictum fere ad graecam rationem: quandoquidem plena forma eſt: *an venis fortuna* (fato), *quae fortuna te fatigat*. Graece poni ſolet alterum. 534 *loca lurida* coni. Io. Schrader., ingenioſe. 535 *Ac* Reg. 536 *transegerat* pro diu. lect. pr. Hamb. 537 *traheret* Franc.

ſimili modo alloquitur. Mira autem videri poteſt appellatio: num errore maritimo ad loca infera delatus ſit? Sed cogitandum eſt de aditu, qualis Aeneae fuit, per Auernum, poſtquam ad Cumanum littus appulerat. *an quae te fortuna f.* paullo durius dictum pro: *an fortuna* (ſexto caſu) *venis, quae te fatigat*, h. caſu aduerſo; fortuna infeſta huc adductus. Minus bene olim acceperam, *an fortuna eſt, quae te fatigat. ſine ſole domos*, ἀνηλίους ὁόμους vel μυχοὺς Euripidis apud Guell. et Cerdam. *loca turbida*. Cogitandum eſt Chaos ad loca infera referri ſolitum: et *aer turbidus* pro obſcuro.

535—539. *Hac vice ſermonum* Guellius illuſtrat per Homericum Νῶϊ μὲν ὣς ἐπέεσσιν ἀμειβόμεθα. add. Apollon. II, 450. ὣς τώγ' ἀλλήλοισι παραβλήδην ἀγόρευον. Ex altero verſu ſe non expedit Burmannus, neque egó me, neque alius, quem quidem norim. Verum diſputationem hanc in Excurſum ad h. v. nunc reieci. De verbis ſingulis tantum monebo. *Axis* haud dubie poetis pro caelo omnino dictus, vt et alibi. Facit autem Aurora quadrigis ſuis ab oriente euecta decurſum per caeli conuexum verſus occidentem eodem modo atque is, qui ſubſequitur illam, Sol. Aurorae decurſum hunc puta

Sed comes admonuit, breuiterque adfata Sibylla eſt:
Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas.
Hic locus eſt, partis vbi ſe via findit in ambas: 540
Dextera, quae Ditis magni ſub moenia tendit;
Hac iter Elyſium nobis; at laeua malorum
Exercet poenas, et ad inpia Tartara mittit.

539 *non ſt.* ed. D. Heinſ. 540 *portis* vitioſe edd. obolares. *ſcindit* Ven. *ſundit* tres alii ap. Burmann. *ducit* a m. pr. Erf. 541 *magni ditis* Goth. pr. *ducit* Goth. tert. 542 *Hic iter* Rom. *Haec* fragm. Vatic. *et l.* alter Menag. *hac* Ven. *ac* Hugen. et ed. Ven. 543 *T. mittet* Leid., vel *tendit* Bigot. Nondum ſatis expeditus ab hoc loco ad alia pergo. *at laeua malorum Exercet poenas*, bene intelligo accipiendum eſſe, pro, laeua parte exercentur poenae in malos; ſed tum non bene adiicitur: *et ad impia Tartara mittit.* Nam ſic *laeua* primo loco per figuram, altero loco proprie eſt accipiendum. Aut igitur hemiſtichium ab alia manu ſuccreuit, id quod admodum probabile ſit, aut hoc inter emendanda a poeta ſepoſitum fuit. Friget quoque τὸ *nobis* v. 542.

fieri intra tempus diluculi et orti Solis. Noctu enim factum erat ſacrum; iter autem ingreſſi erant ad infera loca iam ſub diluculi tempus, *primi ſub lumina Solis et ortus* v. 255. Igitur Aurora iam caeli partem aliquam (nam [ex vulgari poetarum vſu, quo intra fines omnia ſunt *media*] id quoque *medium caelum* poetae dici poteſt) curſu exegerat, vt nox nunc prorſus depulſa eſſet; itaque poeta ait: *Nox ruit, Aenea.* Argutias captat Seruius cum aliis. Saniora affert Cerda. De reditus ad ſuperos tempore nil memorat poeta. Itaque nec de eo laborandum. Sed ex ſacrorum Manibus factorum more, orto die, ſiue hoc ſive alio, Aeneas infera loca relinquere debuit; vt viciſſim cum ortu Solis Manes ad infera loca redire ſolent. De ceteris v. Excurſum.

540—547. Inter haec in biuio erant conſtituti, altera via praeter Ditis regiam ad Elyſium, altera ad Tartarum ducente. conf. Excurſ. VIII. *ambas*, ſimpl. pro, duas.

Deïphobus contra: Ne saeui, magna sacerdos;
Discedam, explebo numerum, reddarque tenebris.
I decus, i, nostrum; melioribus vtere fatis.
Tantum effatus, et in verbo vestigia torsit.
Respicit Aeneas subito, et sub rupe sinistra
Moenia lata videt, triplici circumdata muro:
Quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa.

Burmannus illustrat, quid sit *exercere poenas*. Sed de hoc vix quaeras. 544 *D. que coram* ed. Ven. *nae* Medic. 545 *reddamq.* Oudart. 546 *Ique decus nostr.* ed. Ven. 547 *affatus* Menag. sec. *v. pressit* Rom. Medic., grauis profecto auctoritas, vbi conspirant! it. Gud. pro var. lect. Puget. ed. Ven. Goth. sec., h. e. subsistit Deiphobi vmbra, Aenea vlterius pergente. 548 *et* aberat codd. Pier. *sub r. cauata* pr. Hamb. pro var. lect. ex lib. III, 229. 551 *tonantia* Rom. conf. sup. ad V, 866. *torquetque* pro, torquens. Est Homerica ratio, qua mutatur participium, quod pro epitheto esset, in nouam propositionem.

Plutonis regiam intellige per *Ditis moenia*. cf. inf. 630 sq. *at laeua malorum Exercet poenas:* locus ponitur pro illis, qui exercent, exsequuntur poenas. Dura tamen ratio. v. V. L. 544. *Ne saeui* pro vulgari: ne irascere. *explebo numerum*. Piget Servianarum nugarum. Haud dubie de reditu ad vmbras, a quibus discesserat, est intelligendum; numerus earum eius discessu vno capite erat deminutus. *reddar tenebris*, puta eos consabulando processisse via versus Elysium. Caliginosa autem haec citeriora loca esse satis vidimus.

548 sqq. De Tartaro vid. Excurs. VIII. Omnino ille in toto hoc loco Carceris faciem habet. Cura eius mandata Rhadamantho v. 566, pro carnifice est Tisiphone 571, pro ianitore Hydra 576. *sub rupe sinistra:* rupem ex Homero traxit, vbi inter Sty-

Porta aduerſa, ingens, ſolidoque adamante columnae:
Vis vt nulla virum, non ipſi exſcindere ferro
Coelicolae valeant. Stat ferrea turris ad auras;
Tiſiphoneque ſedens, palla ſuccincta cruenta, 555

552 *ſolidaeq.* emendaſſe Voſſium ex Burm. diſco; ſc. vt in vulgarem orationem deflecteretur poetica vis. *que* deeſt alteri Hamb. *auerſa* et *columbae* Goth. tert., miro librarii ſtupore. Et horum hominum barbariem excutere non piget! 553 *excindere* cum fragm. Vatic. Witt. et ed. Ven., vt plerumque librarii ſcribunt. *excidere* Montalb. cf. ad IV, 425. In fine verſus iterum duplex codd. familia: Medic. cum al. *ferro*, quod recte praefertur; Rom. fragm. Vatic. Gud. a m. pr. (nam is ad Apronianum exemplar emendatus eſt), adde Palatinum Benedicti, cum al. et Goth. ſec. *bello*. 555 *ſedet* ſec. Moret.

gem et Cocytum Πέτρη τε ξύνεσίς τε δύω ποταμῶν ἐριδούπων Odyſſ. *κ*, 515. *Moenia* h. l. de loco, qui includitur muris, vt alias pro vrbe. *triplicem murum* ſuppeditauit Heſiodus Theog. 726, ſed ibi ſublimior rei imago, χάλκεον ἕρκος, et ἀμφὶ δέ μιν νὺξ Τριστοιχεὶ κέχυται περὶ δειρὴν h. e. fauces Tartari. Ex vtroque profecit Miltonus *Parad. loſt* B. II, 642 ſqq. 552. *columnas* de poſtibus accipio. Imitatur Homericum Iliad. Θ, 15 Ἔνθα σιδήρειαί τε πύλαι, καὶ χάλκεος οὐδός. *ſtat ad auras*, educta eſt; in *auras* hic et v. 561 argutati ſunt veteres iam inde a Pollione: vid. apud Serv.; quia alibi nec aer nec aeris motus Tartaro tribuitur. Verum h. l. altitudo portae ſollenni forma loquendi redditur: eſſe eam eductam *in auras*, *in caelum*. Poetico ſermoni hoc ita proprium putandum, vt illa plane locum non habeat ſubtilitas, an *aura* in locis inferis ſit. 553. Adeo nullus inde reditus ad ſuperos. Quod *turrim* appellat, puta eſſe aedificium ingens, in altum eductum, pro carcere, aut ergaſtulo, ſed illud magis ad rem, habendum: δεσμωτήριον. 555. Tiſiphones veſtem cruentam ex Homero petiit Iliad. σ, 538, vbi Κὴρ Εἶμα ὀ ἔχ' ἀμφ' ὤμοισι δα-

Vestibulum exsomnis seruat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus, et saeua sonare
Verbera: tum stridor ferri, tractaeque catenae.
Constitit Aeneas, strepitumque exterritus hausit.
Quae scelerum facies? o virgo, effare; quibusue
Vrguentur poenis? qui tantus plangor ad auras?
Tum vates sic orsa loqui: Dux inclute Teucrum,
Nulli fas casto sceleratum insistere limen;
Sed me quum lucis Hecate praefecit Auernis,

556 *exsomnis* vel *exomnis* Medic. cum plerisque Heins. Burm. et Pier., item fragm. Vatic. et ed. Ald. pr. Ergo recte receptum ab Heinsio et illustratum exemplis. Altera lectio *insomnis* e Rom. fluxit aliisque, sed paucioribus; et sic ed. Mediol. Ald. secunda, Iunt. aliaeque vett. *e somnis* ed. Ven. 557 *sonore* aliquot Pier. 558 *cum* pr. Hamb. *tortaeque* ed. Ven. 559 *strepituque e. haesit* Medic., at in Rom. *strepitumque e. haesit*, item in Longob. et fragm. Vatic., sed *u.* superscripto. Videtur tamen alterum *hausit* poeta dignius, quod vbique editum, saltem inde ab Aldo. *que* deest Montalb. 561 *qui* secundum Rom. aliosque Pier. tresque suos Heinsius refinxit. Accedunt plures ap. Burmann. Vulgo *quis*, quod tamen h. l. Mediceus seruat. *clamor* alter Menag. *clangor* Gud. et Leid. cum binis Goth. *qui clangor tantus* Vratisl. *ad aures* aliquot Pier. et Burm. 562 *hinc o.* Rom. *v. exorsa* Montalb. 563 *scelerato* Goth. sec. 564 *Et me* Seru. sup. ad v. 134.

Φοίνεον ἄμματι φωτῶν accommodatius sane in pugna. cf. Stat. I Theb. 109. 110. 556. *vestibulum* simpl. pro aditu. 557. 558. Numerosissimi versus; sed et mirus dilectus rerum, quae auditu mentem percellunt, factus est. Miltonum hos versus expressisse lib. VIII, 240 sqq., iam alii notarunt.

562—569. *insistere*, exquisite pro ingredi; et *limen* pro limini vel in limine. 563. *sceleratum* vid. Ouid. Met. IV, 455, et ad Tibull. I, 3, 67. *Sceleratum* est sceleribus contaminatum, adeoque impurum, incestum; itaque pii, *casti*, arcentur ab hoc loco. 564. praeest Sibylla luco Auerno, vt sacer-

Ipsa deum poenas docuit, perque omnia duxit. 565
Gnosius haec Rhadamanthus habet durissima regna,
Castigatque auditque dolos; subigitque fateri,
Quae quis apud superos, furto laetatus inani,
Distulit in seram commissa piacula mortem.

quam nusquam exhibetur. 565 *Illa d.* Oudart. *Ilia mihi* Ven. *loct poenas* duo Heins. et duo alii pro diu. lect. *loqui poen.* Voss. sec. *reum p.* coniecisse se testatur Heins. conf. Burm. et notam. 566 *hic* Ven. 568 *laxatus* Goth. tert.

dos; nam sacerdotes *praefici, praeesse,* vt *sacris*, ita *templo*, dicuntur. 565. *deum poenas*, quas dii nocentibus statuerunt. vt apud Auson. in Cupid. crucif. 56 myrtus *inuidiosa deum poenis.* Hoc ex Seruio tenendum. *me per omnia duxit*, seu narrando et percensendo singula; vt ipsi *percurrimus, perlustramus*, singula, ita alii nos ducunt per partes; seu vt Hecate Sibyllam vere per Tartari recessus duxerit; et sane 582 *Hic et Aloidas — vidi — vidi et Salmonea.* et 596 *Cernere erat.* 567. *dolos*, scelera dolo malo commissa. Porro cogit fateri *piacula*, crimina, *commissa apud superos*, in vita, *quae quis distulit*, sc. *fateri*, adeoque occultauit, h. e. effecit, ne in iudicium adduceretur et puniretur (vt *caussa, iudicium, poena differri* dicitur in vulgari sermone) *in seram mortem*, h. e. non reus factus est, neque adeo poenam eorum persoluit, dum viueret, *furto laetatus inani*, quod latere deos et impune sibi abire putabat commissa; sed temere. Ita puto haec expedienda esse. Seneca Herc. fur. 729 addidit nouum auctarium: *oblitos sui sceleris nocentes debitas poenas dare.* Propius ad Maronem Statius IV, 531 Minos — *adigitque expromere vitas vsque retro et tandem* poenarum lucra *fateri.* Rhadamanthus autem h. l. *Triumuiri capitalis more* supplicia sumit et quaestionem tormentis admotis

Continuo sontis vltrix adcincta flagello 570
Tisiphone quatit insultans, toruosque sinistra
Intentans anguis, vocat agmina saeua sororum.
Tum demum horrisono stridentes cardine sacrae

570 *vltrice a. f.* Heinsium in ora codicis coniecisse narrat Burm., perperam vtique. *succincta* Schol. Stat. ap. eund., ex interpretatione. *accita* Goth. tert. 571 *toruasq.* Gud. a m. pr. vid. Heins. ad VIII, 289. *tortosque* facile aliquis malit, et sic Pier. aliquot, ex Heinsianis autem solus Hamb. et Goth. sec. 573 *horrifico* Bigot. cum Goth. sec. *ordine* Witt. *c. sacra* Gud. a m. pr. *serae P. portae* sec. Rottend.

habet in reos ad exprimendam scelerum confessionem. cf. Excurs. XI.

570—572. *Tisiphone*, carnificis seu serui publici loco, reos damnatos ad carcerem raptat. *quatit sontes flagello*, docte. Proprie *quatitur flagellum*, quo sontes percutiuntur. Apud Statium I Theb. 112. 113 Tisiphone altera manu hydram, altera titionem quatit. *agmina sororum* de Furiis, vt sup. IV, 469. Inclamat illa sorores, qua de caussa statim videbimus.

573—579. Dum loquitur Sibylla, porta Tartari aperiri vulgo putatur. In hoc iam Seruius praeiuit. Si tamen rerum ac sententiarum ordinem accuratius consideres, rationem vulgarem non satisfacere senties. Pergit quoque narrare Sibylla de se. Sed alia incedendum est via. Tisiphone seruat vestibulum, aditum Tartari v. 555. Ea damnatis a Rhadamantho statim manus iniicit et ad Tartari portam, quae semper clausa habetur, eos agit (ἄγονται πρὸς Ἐριννύων ἐπ' Ἔρεβος καὶ Χάος διὰ Ταρτάρου, sunt verba Socratis in Axiocho), inclamatque sorores. Tum demum (v. 573) aperitur porta. Videamus nunc singula. *Cernis*, pergit Sibylla, *custodia qualis*, quae custos, scil. Tisiphone, *vestibulo*, ad aditum, *sedeat; facies quae limina seruet;* Nam *intus*, intra portam, *saeuior* facies, Hydra, sedem habet etc. Haec haud dubie vera ratio. Nunc

Panduntur portae. Cernis, cuſtodia qualis
Veſtibulo ſedeat? facies quae limina ſeruet? 575
Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
Saeuior intus habet ſedem. Tum Tartarus ipſe
Bis patet in praeceps tantum, tenditque ſub vmbras,
Quantus ad aetherium coeli ſuſpectus Olympum.

575 *quae et* pr. Rottend. et Zulich. a m. pr. 578 *ſub auras* Goth. tert. 579 *coelum* Fulgent. de Continent. Virgil., mendoſe, monente Heinſio. Idem P. Petiti Obſſ. miſc. III, 2 emendationem narrat: *Quantus ad aetherium* terra *ſuſpectus Olympum*, vt *Coeli* reiiciatur infra in v. 580 in locum τοῦ *Terrae*. Sed v. Not. Vulgatam adſtruit Heinſ., Nonii, Priſc. et Macrobii auctoritatt. At Tibull. IV, 131 nihil ad rem facit. Burmannus poſt Vrſinum, Lucretium IV, 418. 419 imitatione expreſſum monet. Saltem ſimilitudo aliqua intercedit: aquae collectio — *Deſpectum praebet ſub terras impete tanto, A terris quantum coeli patet altus hiatus.* Alia ſimilitudo eſt Georg. II, 291 Aeſculus — *quae quantum vertice ad auras Aetherias, tantum radice ad Tartara tendit.*

v. 574 *cuſtodia* quae ſit, ſatis expeditum eſt. Seruius Megaeram, alii Hydram, alii aliter accipiunt. Sed eſt ipſa illa Tiſiphone, de qua adhuc egit poeta. 576. At *Hydra*, inquies, in veſtibulo orci v. 287 inter cetera monſtra fuit recenſita. Iam Seruius monuit hoc. Expeditur varie. Equidem hydram non de vna illa ab Hercule domita, ſed ſimpliciter pro ſerpente monſtroſo dictam accipio. 577. 578. 579. ex Iliad. Θ, 16 et Heſiod. Θ. 720 ſqq. conf. ibid. 740 ſqq. notiſſimis locis; ſed in maius aucta re. *caeli ſuſpectus*, h. e. proſpectus per aerem (male enim iungunt *caeli Olympum*), a terra *ad Olympum, ad caelum*; nam ex Tartaro proſpectus ad caelum eſſe nequit; quippe cum infera loca ſint ſub terra, et ſubter iis demum Tartarus depreſſus iaceat. Talis etiam Tartarus ſub Hade apud Homer. Iliad. Θ, 13 ſqq. cf. Iortinus Diſſ. VI, p. 224 ſqq. Tartari igitur, qui ſub Hade, isque ſub terra eſt, ſi eum ingreſſus fueris, tanta in profundum eſt altitudo, vt ſpatium eius ſit bis tantum, quantum in-

Hic genus antiquum Terrae, Titania pubes,
Fulmine deiecti, fundo voluuntur in imo.
Hic et Aloïdas geminos, inmania vidi
Corpora: qui manibus magnum reſcindere coelum
Adgreſſi, ſuperisque Iouem detrudere regnis.
Vidi et crudelis dantem Salmonea poenas,
Dum flammas Iouis et ſonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic inuectus equis, et lampada quaſſans,
Per Graium populos mediaeque per Elidis vrbem

580 *proles* Rom. Ven. Parrhaſ. Goth. ſec. et pro var. lect. in Gud., ſollenni varietate. 581 *deiectum* ed. Ven. *deiecit* Rom. 586 *flammam* Gud. et Mentel. *tonitrus* aliquot Heinſ. cum Erſ., ex interpret. *tonitus* Goth. tert. 588 *mediamq.* Menag. pr., bene, ſed alterum doctius. *medioq.* Franc. *vrbem* miror a nemine eſſe ſollicitatam: quae enim illa vrbs *Elidis*? quas heroicis tem-

ter terram et Olympum, proſpectu e terra per aerem facto.

580. 581. v. Heſiod. Theog. 129 ſq. Apollod. I, 2, 1. Titanas γηγενεῖς deſignat. *fundo voluuntur in imo*, praeclare, vt ad imum Tartarum detruſos exhiberet.

582 — 584. De Oto et Ephialte Aloei f. videndus Homer. Odyſſ. λ, 304 — 319. Apollod. I, 7, 4 et Notae p. 102. Expreſſus is eſt h. l. a Marone, nec tamen, vt ſublimitate cum Homero contendere vellet. Spectat autem haec et ſequens fabula ad mythos ſtirpis Aeolicae, quos genus mythorum rudius et antiquius conſtituere deprehendo. vid. Apollod. I, 7, 3 ſqq. et Not. Tom. III, tab. VIII, p. 1005. Manifeſtum hoc in his ipſis fabulis, quae h. l. ſubiiciuntur de Aloidis, Salmoneo et ceteris.

585 — 594. De Salmoneo vid. Excurſ. ad h. v. *Vidi dantem poenas, dum imitatur*: pro, dantem poenas, quod imitatus erat. Scilicet pro deo haberi voluit. *ſonitus O.* tonitrua. 588. *mediaeque per Elidis vrbem*: nouam vrbem a Salmoneo conditam, Salmoniam, ad Alpheum, adeoque in media

Ibat ouans, diuomque sibi poscebat honorem,
Demens! qui nimbos et non imitabile fulmen
Aere et cornipedum pulsu simularat equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit; non ille faces, nec fumea taedis
Lumina; praecipitemque inmani turbine adegit.

poribus nec vrbem eo nomine, nec vrbes omnino habuit, sed vicos, multo post in Elidem vrbem contractos (v. Strabo VIII, p. 336 D.); vrbes autem non nisi serius. Si per prolepsin dictum, accipiendum: per mediam vrbem Elidem. Verum Elidis vrbs *Salmonia* vel *Salmone* ad Alpheum intelligenda, quam Salmoneus siue condidit siue inhabitauit. vid. Strabo l. c. p. 356 D. Diodor. IV, 68. *Pisae nemora et Elidis agros* suo more memorat imitator loci Valer. Fl. I, 662 sq. *per Hellados vrbes* coni. Io. Schrader. in schedis. 589 *honores* multi codd. et edd. Sed id pedestris quoque oratio frequentat. 590 *et ineuitabile* Parrhas. 591 *aere cornupedum* duo ap. Burm. *pulsu* Heins. recepit ex Medic. a m. pr. et Gud. praeter alios ap. Burm. et maiorem partem Pier., inter quos Rom.; adde fragm. Vatic. a m. pr. Haud dubie elegantius. Alii et edd. inde ab Aldo, interpretamentum habent: *cursu;* alii *curru.* Rottend. pr. a m. sec. *cursus. simularet* aliquot Pier. et quinque Burm. cum fragm. Vatic. a m. pr., alii *simulabat.* 592 *omnipudens* Leid. *media i. n.* Goth. sec. 593 *nec f.* aliquot Pier. et Burm.; et sic editum primum ab Egnatio 1507. *fumida* pr. Hamb. pro var. lect. et Goth. sec., idem et, *tectis.* 594 *corpore* Parrhas. *abegit* ed. Ven.

Elide sitam, intelligere potuit; eadem fulmine conflagrasse fertur apud Apollod. I, 9, 7. Si, quod ex poeticae orationis vsu facere licet, ipsam vrbem, Elidem, declaratam esse contendis, vt *Elidis vrbs* dicta sit pro Elide, *per eam mediam ibat* etc. tum dicendum, poetam parum accurate per prolepsin vrbem serius conditam meminisse. cf. Var. Lect. 590. *Demens;* ex Νήπιος Iliad. β, 38 et al. Σχέτλιος, ὃς etc. Iliad. ε, 403 de Hercule, qui Plutonem sagitta percussserat. 591. *aere et pulsu equorum:* aereo curru; et forte, quod additum ab aliis, aereis laminis in solo substratis, quas equorum vngulae pulsarent. 593. *non ille faces* hoc valde suaue ad depri-

Nec non et Tityon, Terrae omniparentis alumnum, 595
Cernere erat: per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur; roſtroque inmanis voltur obunco

595 *omnipotentis* Aruſianus et Nonius, librique nonnulli Pierii a m. ſec., inter quos Rom. et Heinſiani aliquot recentiores cum Erf., ſed cum iis tamen Medic. a m. pr., it. fragm. Vatic. a m. pr. cum binis Goth. Vincitur hic codd. conſenſus et auctoritas iudicio elegantiae. Et Παμμήτειρα expreſſum videri poteſt. *omnipatentis* Leid. et Medic. a m. ſec. 596 *cui t. n. per* Parrhaſ. 597 *aduncо* quo auctore in vulgg. edd. irrepſerit, non vacat inquirere. Ex vno Medic. ſuo Pier. illud laudat. *obunco* Heinſ. reuocauit ex Medic. aliisque; ſic et habebant edd. veteres, Aldinae vtique omnes. At Rom. fragm. Vatic. et alii, *abunco*. conf. inf. XI, 755. Αἰγυπιοὶ ἀγκυλοχείλαι ap. Heſiod. Sc. H. 405 vocem illuſtrant; nihil amplius.

mendum Salmoneum. Tres erant dicendi formulae, ex quibus exquiſitiorem praelatam vides: *taedas lumine fumeo: lumen fumeum taedarum*, et *lumen fumeum taedis*. *turbine* pro fulmine, vt ſolent nimbi, turbines, procellae cum eo eſſe coniunctae.

595—600. Etiam in *Tityo*, vt in Aloidis, vaſti corporis robur, et nata inde inſolentia, ὕβρις, declarata a vet. poetis. Omnium, qui vsquam facti ſunt, verſuum pulcerrimos eſſe hos ſex, pronuntiat Vir doctus. Sunt ſane ornatiſſimi, ſed nec inventi vlla in iis laus (nam praeiuit Homerus loco nobili, Odyſſ. λ, 575—580 et in verbis Lucret. III, 997 ſqq. et Attius in Prometheo apud Cic. Tuſc. Qu. II, 10, quae loca comparanda ſunt in ſingulis, ſed aequiore et meliore iudicio, quam Scaliger, Cerda et alii in Homero et Virgilio fecerunt), nec res exponitur, quae aliqua cum ſuauitate cognoſci poſſit. Non enim horret animus legentis, ſed auerſatur iecur ſanie diffluens. *alumnum* accipiam pro filio, vt Homer. γαίης ἐριηυδέος υἱόν. Volunt tamen Intpp. poetam alteram narrationem ſequi, qua ex Elara ſuſceptus a Tellure vtero fuit geſtatus. Praeter Apollodorum (I, 4, I. Not. p. 43) v. Apollon. I, 761 ſqq. *per nouem iugera*, antiquo ſer-

Inmortale iecur tondens, fecundaque poenis
Viſcera, rimaturque epulis, habitatque ſub alto
Pectore; nec ſibris requies datur vlla renatis. 600
Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumque?
Quos ſuper atra ſilex iam iam labſura, cadentique

598 *iecor* Gud. *tondens* bene tuetur Heinſ. Sic Medic. et alii, omnesque Pieriani, etiam tres Goth. cum fragm. Vatic. Alii *tundens;* et ſic edd. Aldd. priores. At in Ald. 1514 Naugerius edidit *tondens.* Alterum quidem, *tundens,* tuetur Cerda. Sed exquiſitius alterum, etiam Homeri reſpectu, in quo Γύπε — ἦπαρ ἔκειρον. Et ſic ſaepe. 599 *que* deeſt ed. Ven. *epulis* Heinſ. e melioribus elegantius. Vulgo *epulas,* nec tamen niſi in edd. minus emendatis. Nam omnes Aldd. habent *epulis. R. que oculis* Nonius in *rimari.* 600 *requies fibris* pr. Hamb. 602 *Quo ſuper* Rom. *ſilix* Leid. *cadente* tres ap. Burm. *que* a multis abeſt, etiam a Rom. Male; ineſt enim vis ad reddendam auribus ſoni imaginem.

mone ad corporis vaſti ſpeciem declarandam hoc valere potuit. Tumulum tamen nonem plethrorum ad Panopeas Boeotiae (οἱ Πανοπεῖς vel ὁ Πανοπεύς vrbis nomen eſt) monſtratum Pauſan. X, 4, p. 806 narrat. *voltur:* in Homero duo vultures, ad terrorem maiorem. In 598—600 laborauit poeta forte, vt Homericum Δέρτρον ἔσω δύνοντες exprimeret. *immortale iecur,* Heſiodi de Prometheo ἦπαρ ἀθάνατον eſt Theog. 523. *fecunda poenis viſcera,* praeclare, iecur, quod renaſcitur ad novum ſupplicium, vt iterum erui poſſit. *epulis,* ad epulas. *rimantur:* de animantibus pabulum e terra eruentibus. Sic cygni *rimantur prata* Georg. I, 384.

601—607. Duo Homeri loca ante oculos habuit, Od. λ, 581 de Tantalo, et 592 de Siſypho; fabulam tamen affert a vulgari narratione diuerſam: Ixionem et Pirithoum ex Lapitharum gente oriundos, aſſidere epulis, ſaxo ſupra caput minante ruinam. Ad Phlegyam Statius I Theb. 713 et ad Phlegyam et Theſea Valer. Fl. II, 192 ſqq. hoc idem ſupplicium transtulere. Tantali capiti imminere ſaxum, iam alii commenti erant, interque eos

Inminet adsimilis: lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulaeque ante ora paratae
Regifico luxu; Furiarum maxuma iuxta
Adcubat, et manibus prohibet contingere mensas,

604 *pulchra* Rom., idem *epulae — paternae*, miro lapsu. 606 *mensam* aliquot Heins. et Burm. Scilicet id solutae orationi conueniret.

Pindarus Ol. α, 88 seqq. et Euripides Or. 6 et 980 sq., vbi conf. Schol., iisque antiquiores, Alcaeus et Alcman. v. Schol. Pind. l. c. Add. Cic. Tusc. IV, 16. Lucret. III, 953 sqq. Promiscue loca alia appositа apud Guell. et Cerd. Homerus eum in lacu sitientem destituerat; et videtur lacus Tantali ad Sipylum, cui saxum prominens incumbebat, locum fabulae feciſſe: conf. Pausan. VIII, 17. Etenim omnino ea e Phrygia origines habuit. Sed lacum Tantali, in quo stans ille perperam affectabat aquas et poma apud Homerum, eleganter in mensam opiparam mutauit Maro, seu quem ille sequutus est poeta. Assidet *Furiarum maxima* (quae et apud Val. Fl. I, 817 occurrit, dicta vt *maxima natarum*, v. sup. ad I, 521. Est autem alia maior natu, alia minor, Eurip. Iphig. in T. 963 πρέσβειρ' ἥπερ ἦν Ἐρινύων. Ap. Statium Theb. VII, 477 *Eumenidum antiquiſſima*. Aliter sup. III, 252 de Harpyiarum vna), seu Megaera seu Alecto (nam Famem vix bene huc aduocat Seruius, laudato loco lib. III, 252), et vetat epulis frui; hoc plus dignitatis habet, quam fuga pomorum et aquae in Tantalo. Atrocius rem extulit Aeschylus Eumen. 264 sqq. *genialibus toris:* quoniam genialibus epulis, h. e. opiparis, lautis, quae ad hilaritatem inuitant, habendis positi sunt. vid. ad Georg. I, 302. vbi *genialis hiems. lucent fulcra* pro sunt: torus aureus est. De *fulcris* quaeritur. Lecti substructi sunt pedibus aut fulcris, h. e. quocunque alio basis genere; pro *lecto* aureo poeta *fulcra* posuit. Quod autem fabulam de Ixione Ge. III, 38, 39. IV, 484 allatam

Exsurgitque facem adtollens, atque intonat ore.
Hic, quibus inuisi fratres, dum vita manebat,

607 *faces* Zulich. *increpat* Leid. ed. Mediol. cum aliquot Pier. et Goth. tert. 608 *Hi* ed. Ven.

nunc deserit, quod mirantur viri docti (cf. Schrader. ad Musaeum pag. 285. Ouwens N. H. p. 23. 35 sq.) id poetae haud dubie licet facere, quippe qui nullum doctrinae systema condere velit.

608 — 614. Hos versus equidem sententiarum et verborum grauitate commendatissimos esse velim. Fuere nonnulla in Platonis locis in Excurss. laudatis, quae sequi potuit, sed alia sibi ipsi debere videtur; etsi de hoc nihil affirmari potest. A multis enim passim poetis antiquioribus argumentum idem fuisse tractatum videtur. Confer quoque scurram Aristophanem, qui exagitat seu philosophos seu initiatos, in Ran. 145 — 151. Homerus, etsi Tantalum, Tityum, ac Sisyphum poenas scelerum luere in locis inferis monuit, non tamen aut loca poenarum discreta aut scelera definit, quorum poenae exigantur, praeter vnum periurium, Iliad. γ, 279. τ, 258. 259. conf. *Iortin.* Diss. VI, p. 230. Scilicet temporum, quibus viuebat, simplicitas erat tanta, vt super moribus ac virtute nondum subtiles initae essent rationes. De grauioribus sceleribus monere satis tum erat: inque iis habebantur caedes, iniuriae in supplices et hospites, tandem periurium; vt contra prima humanitatis elementa fuere sanctitas ἱκετῶν et ξένων, τὸ ἄγος, ἀρᾶ et Ἐρινύες, religio sepulturae, terminorum, et iurisiurandi. Nec aliter in decalogo a Mose prodito factum videas: atrociora tantum flagitia is attingit, a quibus qui vacet, parum adhuc ad honestatem profecisse nobis videri potest. At Maro ex philosophorum scriptis suum Tartarum constituit (cf. Exc. VIII), idemque scelerum, quibus supplicia in eo constituta sunt, recensum facit paullo ampliorem; commemorat impietatem erga eos, quibus pietatis sensus debetur; auaros duros et inhumanos; adulteros; perduelles. Ex vitae philosophia profecit Auc-

Pulsatusue parens, et fraus innexa clienti;
Aut qui diuitiis soli incubuere repertis, 610

609 *aut f.* Nonius in *pulsare.* Moret. pr. et Parrhas., vt iam emendauit Markland. ad Statii III Silu. 3, 15, vbi praeclare Statium restituit loco hinc adumbrato: *si quis pulsatae conscius vmbram* (vulgo *vnquam*) *Matris et inferna rigidum timet Aeacon vrna. inuexa* Goth. sec. 610 *paratis* sec. Moret., quod vulgare verbum esset.

tor Telemachi lib. XVIII, p. 130 egregio loco! Ingratos ille, mendaces, adulatores nominat. Filium impium (vt v. 609) etiam Polygnotus in sua tabula expresserat. v. Pausan. X, 28. *Pulsatusue parens*, h. omnino male habitus, mulcatus. Est *κάπλιξ γονέων*. ante oculos erat Plato de LL. IX sub f. p. 940 C. ed. Frf. Steph. pag. 881. D. *et fraus innexa clienti*, pro vulgari, illata, vti *fraude* aliquis *illaqueari* dicitur. Comparata iam ab Interpp. Lex XII Tabb. *Patronus si clienti fraudem faxit, sacer esto*, et Horat. II Carm. 18, 23 sqq. *incubuere* Ge. II, 507 *Condit opes alius, defossoque incubat auro.* Argutatus tamen in hoc quoque vetus Grammaticus apud Seruium Vrbanus: rarum esse hoc inquiens, vt patronus clientem fallat, cum magis patronos decipiant frequenter clientes; eadem iudicii iniquitate, qua nostri homines vti solent in agricolas et paganos. *repertis*, pro partis, paratis, accipe; nec *suis*, cognatis et affinibus, *posuere partem*, ex ἔθεντο, statuerunt, tribuerunt, nisi mauis esse pro, seponere. Ad sententiam praeclaros Horatii versus laudat Seruius II Sermon. 2, 103; adde eundem I Serm. I, 75 sqq. 84 sq. Et commendat poetae iudicium haec in vita hominum obseruatio, esse plerumque eos, qui repente magnas diuitias consequuti sunt, duros et auaros in suos, h. e. erga cognatos egentes. *ob adulterium caesi* grauius posuit pro adulteris simpliciter. De Lege Iulia (anni 737) cogitare nondum potuit Virgilius. Potuit tamen iam tum, cum viuebat, res consiliis agitari. *arma impia*, haud dubie bellorum ciuilium; de iis ac-

Nec partem posuere suis: quae maxima turba est;
Quique ob adulterium caesi; quique arma secuti
Impia, nec veriti dominorum fallere dextras,
Inclusi poenam exspectant. Ne quaere doceri,
Quam poenam; aut quae forma viros fortunaue mersit. 615

611 *est* deest Menag. pr. 613 *dextram* aliquot Pier. 614 *Suspensi poen. e.* Schol. Statii I Theb. 431. Sed in toto loco Tartarus carceris notionem habet adiunctam. *expendunt* Vir doctus in Miscell. Obss. apud Burm. Sed recte hic subiicit, *exspectare* hanc vim habere, vt eos poenas certo daturos esse constet. Scilicet *exspectare* h. l. est metuere, et vulgaris oratio esset: iis hic aliquando inclusis poena exspectanda est. Io. Schraderus in schedis locum scabiosum esse ratus varie tentabat: inter cetera: *expendunt — Poenarum quae forma reos fortunaue mersit. nec* Doruill. 615 *mersit* duo Heins., non male. *mergat* Franc.

cipiendum, qui patriae bellum inferunt, non qui propulsant. Concidunt itaque Seruii aliorumque metus, ne in Augustum peccet poeta. *nec veriti dominorum fallere dextras.* Argutantur Interpp. et hic, Seruii exemplo. *Domini* non modo servorum sunt; sed et de libertorum patronis bene idem dixit poeta. Seruorum autem poenas hic commemorare, indignum esset poetae epici grauitate, multo magis Romani. Tum qui fidem fallit, is et *suam* et *alterius dextram* fallere dici potest. Itaque necessario accipiendum de libertorum impietate et fraude in patronos suos. An Pompeium Menam, Cn. Pompeii libertum, qui Sextum prodidit, animo designauerit poeta, affirmare quis ausit? Nec tamen sic in Augustum peccasset, nam et is, vt ceteri homines, proditionis fructum amplecti, proditorem abhorrere, debuit.

614. 615. Noli quaerere, *quam poenam* expectandam habeant; aut *quae* poenae *forma, fortunaue*, quod miseriae genus, *viros mersit* (v. sup. v. 512), illos excipit, manet. Ductum hoc ex vulgari: *mergi miseriis.*

Saxum ingens voluunt alii, radiisue rotarum
Diſtricti pendent; ſedet, aeternumque ſedebit,
Infelix Theſeus; Phlegyasque miſerrimus omnis

616 *radiisue* repoſui pro vulgari *que*. Etſi enim paſſim contendere viros doctos memini, *que* etiam ſic poni, verior tamen eſt altera ratio et lapſus cauſſa in promtu. 617 *Deſtricti* Medic. cum fragm. Vatic. multisque aliis. Temere, non pendent deligati de rota, ſed rotae illigati adeoque distinentur membris distractis. 618 *Tereus* olim fuit Brodaei emendatio admodum inſcita. Male habuit viros doctos, quod Theſeus inter impios habitus (ſed vid. Not.); et quod idem ſup. v. 393 inter eos, qui vini Orcum ingreſſi

616. Iterum, tamquam poeta, ad veteres mythos redit. Non neceſſe eſt, vt ſolum Siſyphum et Ixionem reſpexerit; Ixionem quoque iam v. 601 memorauerat; adeoque enallage numeri, quam inferunt viri docti, carere poſſumus. *radiis rotarum diſtricti pendent*, ornate; rotae illigatis membris distinentur, ἐπὶ τροχοῦ κατατείνονται, petitum a tormenti genere, quod ipſum pro ſupplicio interdum fuit; de quo copioſe Cerda, ſic tamen, vt plura genera tormentorum confundat; hoc igitur equulei genus ad Ixionis poenam translatum eſt.

617—625. Multis modis fabula de Theſeo fuit tractata et ornata; vide v. c. Ouid. Met. VII, 433 ſq.; nec mirum, fuere enim plures, qui non modo attigerant, ſed et Theſeides condiderant. Actum etiam de Theſei et Pirithoi deſcenſu in Minyade. v. Pauſan. X, 28, item in Heracleis. Nam Hercules deſcenſu ad Cerberum adducendum in inferos facto liberauit Theſeum. v. Apollod. II, 5, 12, p. 122. Apud Homerum Od. κ, 630 ſq. Theſeus cum Pirithoo in inferis ſubſiterat. Noſter poeta hoc ſequitur, vt Theſeus, ob raptum Proſerpinae, *ſedeat*. Hoc habitu poenitentiae et ſummi moeroris ſenſum prodi puta. Ita ſedebant Theſeus et Pirithous in tabula Polygnoti ap. Pauſan. X, 29. Et talem Theſeum ſedentem in Sarda expreſſum vides ap. Winckelmann. n. CI. In patera Italica, Etruſcam vocant, quae Veronae ſeruatur, Theſeus

Admonet, et magna teſtatur voce per vmbras:
„Diſcite iuſtitiam moniti, et non temnere di-
vos.“ 620

ſunt, memoratus erat. Hoc nomine notarunt locum iam vett. Grammatici ap. Gell. X, 16. Sed nec de regreſſu ibi meminerat poeta, et licuit ei hic aliam fabulam ſequi. Cf. l. l. ab Heinſ. et Burm. *Phlegeas, Flegeas, Phleguas*, male librarii.

ſerpente circumdatus retinetur, Hercule adueniente, ap. Paſſer. Pict. Etruſc. Tom. II, p. 49. Qui narrantur *στρωτοῖς ἐν λεχέεσσι* iacentes, alto ſopore ſepulti, in Tartaro apud Heſiodum Theog. 797. 798, ad periurii per Stygem poenam pertinent. Sed miraculum rei additum eſt in eo, quod Theſeus ſaxo inſidet, nec inde leuare corpus poteſt. conf. Schol. Apollonii I, 101. Inter auctores huius narrationis fuit Panyaſis. v. Pauſan. l. c. *προσφυὲς δὲ* (ſcil. *χρῆμά τι*) *ἀπὸ τοῦ χρωτὸς ἀντὶ δεσμῶν σφίσιν ἔφη τὴν πέτραν.* Liberatus tamen et reductus ex inferis Theſeus ab Hercule; Pirithoo relicto, cum terrae motus Herculem absterruiſſet: Apollod. II, 5, 12; vnde patet, in Heraclea antiqui poetae haec expoſita fuiſſe: vbi v. Not. p. 433 ſq. Contrarias fabulas ſequebatur Virgilius ſup. 122, vbi de ea re iam monitum eſt. *Phlegyas*, de Phlegyarum gente alii acceperant, quae Minyadem Boeotiae inhabitauit et propter impietatem a deo abolita fuit (v. Pauſan. IX, 36. Adde H. in Apoll. 278. 279. Nam Phlegyas Theſſaliae, de quibus Strabo videndus IX, p. 442 B, huc aduocare non licet). Verum non de Phlegyis Maronem, ſed *de Phlegya*, Ixionis et Coronidis, e qua Aeſculapium Apollo ſuſcepit, patre, qui Apollinis templum Delphis incendit (v. Serv.), accipiendum eſſe, iam docuerunt Interpp. ex Statii imitatione Theb. I, 712 ſq. et Val. Fl. II, 193 ſqq., quae loca conferenda. Phlegyas igitur deorum contemtor, apud inferos ad iuſtitiam et pietatem colendam exhortatur omnes, nobiliſſimo illo verſu: *Diſcite i.*, qui magnis viris multis in ore habitus fuit, et Munchhuſio, immortali viro, frequenter. Nota quoque fabula de daemone

Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Inposuit, fixit leges pretio atque refixit.
Hic thalamum inuasit natae vetitosque hymenaeos.

622 *pretioque* ed. Ven. 623 *thalamos natae inuasit* alter Goth. et tert. *th. i. natae inconcessosque h.* male ex lib. I, 659.

interrogato, quis ex omnibus Virgilii versibus esset praestantissimus. Non male autem augurantur viri docti ductum colorem ex Pindari illustri loco Pyth. II, 39 sq. Θεῶν δ' ἐφετμαῖσιν Ἰξίονά φαντι ταῦτα βροτοῖς λέγειν, ἐν πτερόεντι τροχῷ Παντᾶ κυλινδόμενον· Τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς Ἐποιχομένους τίνεσθαι. *moniti*, h. e. exemplo meo, quod pro monitu est. Nec importunum et inutile monitum putandum hoc inter eos, quibus nullus poenitentiae locus est. Poenae enim loco haberi potest haec ipsa admonitio. v. Iortin. p. 288. Ceterum hic versus non inter rhetoricas figuras erat referendus, quibus sane hoc fieri videmus, vt is, cuius exemplo, casu et poena, admonemur, loquens inducatur (exempla v. apud Valkenarium Oratt. p. 327); alienum hoc a poeta, qui ex ἐναργείας poeticae lege, et ex perpetuo vsu eos, de quibus narrat, *agentes et loquentes exhibere* tenetur, *non* vero quid egerint aut dixerint, *narrare* et, re ita ferente, per figuram loquentes inducere potest. Verbo: vere exclamare putandus est Phlegyas. V. 621. 622 ex L. Vario paene integros traductos esse, Macrob. VI, 1 testatur: *Vendidit hic Latium populis, agrosque Quiritum Eripuit, fixit leges pretio atque refixit.* Quod adiecit: *dominumque potentem* patriae *Inposuit*, eo pertinet, quod tyrannum liberae ciuitati induxit. *potentem* ornat. *leges fixit pretio* corruptus, *atque refixit*, recte Seruius, *quia incisae in aereis tabulis* leges affigebantur parietibus. Minus bene Cerda et alii, esse, in aes incidere. Iidem bene laudant legem Venuleii, quae est l. 8 D. ad L. Iuliam peculatus: *qui tabulam aeream legis — refixerit*, vel quid inde immutauerit, Lege Iulia

Auſi omnes inmane nefas, auſoque potiti.
Non, mihi ſi linguae centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox, omnis ſcelerum conprendere formas,
Omnia poenarum percurrere nomina poſſim.
Haec vbi dicta dedit Phoebi longaeua ſacerdos:
Sed iam age, carpe viam, et ſuſceptum perfice munus,
Adceleremus, ait; Cyclopum educta caminis

624 *auſuque p.* Vratisl. et Zulich. a m. ſec., forma non inuſitata. 627 *poſſim* ex melioribus et ratione grammatica recte reſtituit Heinſius. Vulgo *poſſem*. 629 *Et iam* Medic. *age* abeſt a Puget. *Eia age c.* coni. Heinſ. 630 *Hac c.* aliquot Pier. *Adcel. iter* Ven. Mox *ducta* alii ap. Pier. et Heinſ., alii *obducta*, et quatuor Waſſii ap. Burm. *virecta*, forte pro *erecta*; Schrader. in mſ. coniiciebat *vincta*; quod et ipſum bene dictum eſſet. Pro *ducta* etiam laudari poſſunt Rom. et fragm. Vatic. cum Gud.

peculatus tenetur. Sequitur §. 1 *Eadem lege tenetur, qui quid in tabulis publicis* deleuerit vel induxerit; quod adeo diuerſum ab illo eſſe neceſſe eſt. Laudant quoque Intpp. Ciceronis locum, qui eſt Philipp. XII, 5 f. Ceterum inanis eſt eorum opera, qui poſt Seruium haec omnia ad certos homines ex antiquitate referre voluerunt.

625 ſqq. Ex Iliad. β, 488 notiſſimo loco. conf. Georg. II, 103 ſq. *ferrea vox*, nulla clamoris intentione fracta: ἀτειρής.

630 — 636. Plutonis regiam non intrat Aeneas cum comite, ſed tantum a limine ſalutat, aureo ramo in foribus depoſito. Quid in his ſequutus ſit poeta, non liquet. Regia iſta habet muros aereos vel ferreos. Solent poetae hac munitionis notione vti, ducta a ferreis et ferratis portis, et translato fere opere ad Vulcanum vel Cyclopes. Sic Argorum moenia apud Statium I Theb. 630, quem locum Seruius laudat, et Mycenarum apud Senec. Thyeſt. 406, vid. Waſſ.

Moenia conſpicio, atque aduerſo fornice portas,
Haec vbi nos praecepta iubent deponere dona.
Dixerat, et pariter, greſſi per opaca viarum,
Conripiunt ſpatium medium, foribusque propinquant.
Occupat Aeneas aditum, corpusque recenti
Spargit aqua, ramumque aduerſo in limine figit.

631 *reſpicio* Gud. pro var. lect. *ſuſpicio* Exc. Burm. *in f.* vulgg. ante Pier. et Heinſ., qui ſecundum codd. ſuſtulit. 632 *Hic* aliquot Pier., ſed *haec — dona* iungendum. *monent d.* Ven. 633 *per o. locorum* Gud. pro var. lect. 636 *Sparſit* duo Burm. *in* deeſt Rottend. pr., vt ſup. v. 631. conf. III, 287. *ponit* pr. Hamb. a m. ſec.

ad Thucyd. VIII, 26, et Schol. Eurip. Oreſt. 964. Multo magis itaque in inferis h. l. ſunt *moenia educta Cyclopum caminis*, h. e. ferro cuſo et ferruminato in Cyclopum fabricis (Male Cerda). *aduerſo fornice portas*, ornate; porta proprie ipſis erat aduerſa, et ea quidem in fornicem ducta, arcuata. 629. *perfice munus*, ſic poeticus ſermo fert; proprie doni deportatio perficiebatur. Etiam ſic mox 637 *perfecto munere diuae*, h. e. muneris dedicatione; alioqui *munus* generaliori notione pro negotio et hic accipi poſſit, vt in Aeneidis dedicatione: *Si mihi ſuſceptum fuerit decurrere munus.* 632. *haec dona* int. de eodem munere Proſerpinae dicando. 635. Poteſt Aeneas hoc ipſo ramo aureo ſe adſperſiſſe videri; ſit enim adſperſio ramo; verba tamen ita ſtatuere nos non cogunt: et repugnat, quod pro dono ramus affertur. conf. Excurſ. VI. Adumbrata res haud dubie ex eo ritu, quo, qui templa intrant, ſe luſtrant, περιῤῥαίνονται; quod purgationis ſymbolum fuiſſe, facile intelligitur. Adeundum autem Aeneae nunc erat Elyſium, locus, ſi quis alius, ſanctus et caſtus. *ramumque aduerſo in limine figit.* In templorum aditu περιῤῥαντήρια, aqua luſtralis et rami luſtrales, notae res ſunt.

His demum exactis, perfecto munere diuae,
Deuenere locos laetos, et amoena vireta
Fortunatorum nemorum, ſedesque beatas.

637 *perfectis* Goth. tert. *numine* alter Hamb., ſed eſt haec perpetua aberratio; et vid. Not. ad v. 629. 638 *Aduenere* aliquis ap. Guell., qui ignorabat, praepoſitum fere poetis omitti, Graecorum exemplo. *virecta* ſcribunt fere librarii hic et alibi.

Sed quod ramum in pariete ſeu poſte figit, ad dedicationem doni ſpectat. Ceterum Warburtoni hypotheſis ſi qua alia parte, hac vtique, placere poteſt, cum luſtrationem in adeundis maioribus Eleuſiniis in hoc loco reperiſſe ſibi viſus eſt.

637 ſqq. Traducta ſunt ad Elyſium ſiue ſub terra, vt hic, ſiue in Inſulis Fortunatis (vt ab Homero et Heſiodo, tum a Pindaro, factum) collocatum, omnia, quae ſub mitiori caelo amoenitatem loci facere poſſunt, iam ab Homero Od. δ, 563 ſqq. et ab Heſiodo Ἔργ. 170 ſeqq. Ex hoc ipſo, quod omnis felicitas Elyſii talis eſt, qualem heroum vita ſubiicere ſenſibus poterat, vetuſtas huius mythi intelligitur. Apud Pindarum pulcerrimo loco Olymp. II, 109—149 et in fragm. e Threnis apud Plutarch. Conſol. ad Apollon. p. 120 C. et de occulte vivendo ſub f. p. 1130 (v. nunc Fragm. Pindari a Schneidero collecta pag. 21) ornamenta deprehendes acceſſiſſe cum alia tum haec: lucem nulla nocte interceptam; victum facilem nec vllo labore quaeſitum; eſſe inſulam in Oceano, cui Saturnus imperat, (vnde ei regia, τύρσις tribuitur in illa) aurae odorumque ex floribus omnis generis afflatu iucundiſſimam; in ea habitare heroes veteres; delectari his odoribus, inter ludos et ſacra diis facta. Doctior vita, et philoſophicis ſtudiis exculta Graecia, ſerenae et placidae mentis gaudia ex purae et conſtantis virtutis conſcientia mox adiecit: quo melioris ſapientiae placito egregie vſum videas inter alios Glouerum in Leonida X, 156 ſqq. *in thoſe happier fields — Where never gloom of trouble ſhades the mind, Nor guſt of paſſion heaves the quiet breaſt,*

Largior hic campos aether et lumine veſtit 640

640 *campus* (vt ſit: *L. h. campus, aether et l. v. P.*) Pieriani aliquot Rom. et Gud. a m. ſec. Mentel. pr. a m. pr. et fragm. Vatic. a m. pr., et mutatum videri poteſt, ex malo metri ruentis metu; ſed veriſimilius librario hoc deberi, qui ad *Largior* retulerat. *hic aether campos* Goth. ſec. et Parrhaſ. metri cauſſa; et, *aer campos*, aliquot Pier. *de lumine* Reg. a m. pr. In *et* neminem haeſiſſe miror. Scilicet ordo verborum, aut: *Largior hic aether eſt, et campos l. v. P.*, aut: *Aether largior, et lumine purpureo, veſtit campos*, h. e. circumdat. Hoc malim. Sic iam Cicero in Phaenom. v. 60 *Quem* (Capricornum) *cum perpetuo veſtiuit lumine Titan.*

Nor dews of grief are ſprinkled, et vno verbo Statius V Silu. 3, 286 in patris Epicedio: *Ite pii Manes — Et monſtrate nemus, quo nulla irrupit Erinnys, In quo falſa dies caeloque ſimillimus aether:* de quo cf. inf. ad 888. ſed philoſophicas rationes Maro in alium locum v. 724 ſqq. ſeruauit, et h. l. inprimis Homerum ante oculos habuit, et Pindarum, locis laudd. Nam *ſedes beatae* ipſi ſunt luci amoeni, et campi, aether purus et caelum ſerenum; riui et ripae gramineae; ſtudia ex priſca vita, inque his choreae ad citharae cantum, et epulae. Adde locum de Olympo Odyſſ. ζ, 42 ſeqq. Similia quoque ſunt in Axiocho, qui ſub Aeſchinis, antea ſub Platonis, nomine ferebatur. Communia etiam ſunt nonnulla Elyſio cum aurea hominum aetate. Iam ab his tamquam elementis profectus ad quantam amplitudinem Paradiſum ſuum extulit Miltonus IV, 132 ſqq.

640. *Largior aether*, egregie, patentior, liberior, nullis nubibus, nulla caligine obductus. Silius hinc lib. XIII, 550 *laxata lucida nocte Clauſtra nitent*, dixit de Elyſio. Ὄψει τε Φῶς κάλλιστον ὥσπερ ἐνθάδε Ariſtoph. Ran. 155. 457. *lumen purpureum*, pulcrum, vt ſup. I, 591. *ſolemque ſ.* in Pindari loco altero eſt Sol, qui, in noſtro orbe occidens, ad infera loca progreditur, in altero Sol perpetuus noctu aeque ac die (fere vt apud Val. Fl. I, 844 *donec ſiluas et amoena piorum Deueniunt, camposque*, vbi Sol, *totumque per annum Du-*

Purpureo; ſolemque ſuum, ſua ſidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palaeſtris;
Contendunt ludo, et fulua luctantur arena;
Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt.

641 Diſtinctione ſublata, *ſolemque ſuum ſua ſidera norunt*, ſcribit Wakefield, vt ſit *ſua ſidera norunt ſolem ſuum*. quae non ſatis aſſequor e mente quidem veterum; Nam ad Popii ſenſum: *and other planets roll round other ſuns* ſi acciperes: maiorem, quam illa habuit, et ſubtiliorem doctrinam tribueres antiquitati. Multo minus talem ſenſum exſpectares in loco Manilii II, 776 vbi ſiluis caeſis in loco aedificiis exſtruendis addicto: *ſaltusque vetuſti Procumbunt, ſolemque nouum, noua ſidera cernunt*, ſententiam eandem locum habere: ſidera cernere nouum ſolem. 642 *exercet* multi Heinſ. et Burm. 644 *fidibus plaudunt* Hugen. pro var. lect. *pedibus claudunt* Medic. a m. pr., ridiculo lapſu. *c. ducunt* Rottend. pr. a m. pr. et Exc. Burm. a m. ſec. *dicant* Gud.

rat aprica dies, thiaſique chorique virorum Carminaque, et quorum populis iam nulla cupido.). Sed poeta ſuauius Solem Elyſio ſuum, praeſtantiorem puta noſtro Sole, vt cetera, aſſignat. Pro commentario haberi poteſt Telemachus lib. XIX. Inter alia: *c'eſt plûtôt une gloire céleſte, qu'une lumiere.* Imitatur Claudianus de R. P. lib. II, 282 ſqq. conf. Cerda. *norunt*, vident, qui in Elyſiis ſunt, habent. Male aliter viri docti.

642—644. Haec iterum ad Pindari ductum *l. l.* τοὶ μὲν ἱππείοις γυμνασίοις, τοὶ δὲ Φορμίγγεσι τέρποντας. Expreſſa ſcilicet *vita antiqua heroum Graeciae;* vti omnino vnaquaeque gens, ſicut aliarum rerum inſerarum, ita Elyſii beatam ſortem *ad ſuos mores* deſcripſit, eaque, quae beatam vitam ſuo ſenſu conſtituebant, eo transtulit. *pedibus plaudunt choreas*, elegantius quam ducunt, ſcil. cum pedum plauſu; Odyſſ. Θ, 264 Πέπληγον δὲ χορὸν θεῖον ποσίν· quod Maro adeo accepit κατὰ χορὸν, non vt χορὸς pro loco dictum ſit, vt alibi apud Homerum occurrit.

Nec non Threïcius longa cum veſte ſacerdos 645
Obloquitur numeris ſeptem discrimina vocum;
Iamque eadem digitis, iam pectine pulſat eburno.

647 *Iamque fidem* emendatio eſt Marklandi ad Statium p. 181 elegantiſſima, quam et ipſe a poeta profectam eſſe malim. Eſt praeterea lapſus ex litterarum certae aetatis ductu facillimus ex *fidem* in *eadem*. Cum tamen vulgata et ipſa bona ſit, nolo peſſimi exempli auctor eſſe, vt non librarii errorem ſed ipſum poetam emendatum dare velim: idque per totum poetam ſequar.

645—647. Dandus erat choreis ſaltantium et cantantium ſuus ἀοιδός, lyricen, qui ſeu accineret ſeu praeiret cantu tamquam choragus. Quis vero magis conveniens Orpheo, qui de locis inferis plurima erat fabulatus, h. e. vetere philoſophorum more ac ſermone per poetica phantaſmata expoſuerat? *longa cum veſte*, citharoedorum aliquando, antiquiore autem aeuo ἀοιδῶν, vatum, habitus ποδήρης palla, vt nota res eſt. v. Cerda. Adi vel Tibull. III, 4, 35. 36. *Sacerdos* autem h. l. vates, propter inſtituta orgia et teletas. Male itaque Barthius contendit ſacerdotalem habitum reſpici; etſi verum eſt, ſacerdotes vt ſceptro, ita etiam palla, vſos, vt ipſi dii ea veſte occurrunt, ſed et reges: nam omnino veſtis demiſſa ac fluens ad dignitatem et religionum maieſtatem facit: vt vnumquemque ſuus ſenſus docet. Orpheus illis ſaltantibus et cantantibus *obloquitur* (transitive h. l. dictum, facit loqui, φθέγγεσθαι, ſonare, pulſat), *numeris*, numeroſe, *ſeptem discrimina vocum*, fides, lyram ἑπτάχορδον (Iortinus p. 292 ſeptem ſonos muſicos Orpheum accinere voce volebat), *eademque* modo digitis modo pectine pulſat; quod ab doctiore iam arte petiiſſe videtur, dum temperatur cantus modo plectro modo digito. Illa, *nunc nunc*, excludunt interpretationes aliorum. Neque adeo de cantu ipſius Orphei hic quaeritur; ſed ſi quaeratur, nemo facile, qui Homerum legit, dubitet, ſueritne alius, qui Orpheo, lyram pulſanti, accinuit. Heroico aeuo vtrumque facit vates. *Nu-*

Hic genus antiquum Teucri, pulcerrima proles,
Magnanimi heroes, nati melioribus annis,
Ilusque, Aſſaracusque, et Troiae Dardanus auctor.
Arma procul currusque virum miratur inanis.
Stant terra defixae haſtae, paſſimque ſoluti
Per campos paſcuntur equi. Quae gratia curruum

648 Laudat locum, et *Teucri* nomen de Teucris accipit Auctor libelli de Auguſti progenie c. 3. 649 *M. proceres* Vratisl. 651 *mirantur* multi ap. Heinſ. et Burm. et edd. ante Pier. cum fragm. Vatic. cf. 477. 678. 652 *terra* Heinſ. e Codd. poſt Pierium, non modo ad ſonum ſuauius, ſed et exquiſitius. Vulgo *terrae*; quod et fragm. Vatic. habet. 653 *campum* aliquot Pier. et Heinſ. duo Goth. cum fragm. Vatic. Mox ſiue *curruum* ſiue *currum* ſcribas, parum referre puto. In Codd. vtrumque occurrit.

meris 646 ad ipſum vatem retuli, εὐρύθμως, melius puto, quam ad ſaltantes et cantantes v. 644, vt eorum numeris obloquatur, ſeu reſpondeat.

648 ſqq. Partim Heſiodi ductu Ἔργ. 159. 167 ſeqq. *pulcerrima proles*, pulcerrimi, h. l. de corporis dignitate. Sed inſederat Virgilio hoc epitheton ex loco Homeri, quem expreſſit Iliad. υ, 231 ſqq. Ἶλος τ' Ἀσσάρακός τε καὶ ἀντίθεος Γανυμήδης, Ὅς ῥὰ κάλλιστος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων etc. *nati melioribus annis*, ſecundum Heſiodum hoc, l. c. et ſic alii de heroum atque etiam de aurea aetate. Laudatur Catull. LXI, 22: *O nimis optato ſaeclorum tempore nati, Heroes, ſaluete, deum genus.*

651 — 655. Iterum ad Pindari ductum l. c. Paullo aliter haec tractata a Platone ſub f. lib. X de Rep. Sectantur animae artes prioris vitae. conf. Cerda. Eandem rem in antiquis quoque monumentis occurrere, putant viri docti. Ad ſui temporis negotia haec reuocauit Ouid. Met. IV, 444 ſeqq. Melius Maro heroicam vitam ſeruauit. Deſcribit autem otia caſtrenſia v. c. Iliad. γ, 135. Heroibus Homericis magna

Armorumque fuit viuis, quae cura nitentis
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos. 655
Conspicit, ecce, alios dextra laeuaque per herbam,
Vescentis, laetumque choro Paeana canentis,

654 *quae caussa* Goth. sec., lapsu et alibi obuio. *ruentis* Goth. tert., temere. 656 *C. ante alios* Gud. pro diu. lect. *per herbam* Gud. et Montalb. 657 *Vescentes*, epulantes. Vsum vocis non ex plebe esse, videbis inf. VIII, 182. 3. vbi de sacro. Wakefield reposuit e coni. *Vertentis* puto, pro saltantes. Vix erunt multi, qui probent. *choros* coni. Heins., sed *choro* absolute dictum pro, in choro, chorum ducendo. *choro paenentis* fragm. Vatic. a m. pr.

gratia, adeoque amor, est militiae curulis. Ad meliorem nostri aeui philosophiam Elysii voluptates accommodatae sunt in Telemacho lib. XIX. *procul miratur*, pro conspicit: θηεῖται Homericum. *currus inanes*, simplic. quoniam adstant vacui dominis. Vix enim potuit declarare leuitatem vmbrarum, quae iis insistunt. *tellure repostos*, vt alibi, conditi, mortui.

656—659. Hoc cum Axiocho l. c. comparandum. *Vescentis*, quis hoc putet satis digne dici posse pro, epulas celebrantes! iidem ἀείδοντες Παιήονα, vt Iliad. χ, 391 Achiui, et quidem in grato nemore, per quod, vt amoenitas loci maior esset, descendit amnis. Amnes sub terra ferri vidimus iam Ge. 366. 367. *Eridanum* autem quod potissimum appellat, suspicor fabulis poetarum, qui Argonautica scripserunt, deberi, a quibus plura videntur fabulose de Eridano tradita esse, forte etiam hoc, quod ad loca ille infera defertur. cf. Apollon. IV, 627 sq. Nam hoc, quod ad inferum mare tendit, aut, quod non longe a fontibus suis cuniculum subter terram per duo millia subit; poetam adducere vix potuit, vt ad inferos eum relegaret. Sed est is fabulosus antiquissimorum mythorum amnis, quem ad geographicas rationes certas reuocare non magis licet, quam Hyperboreos aut In-

Inter odoratum lauri nemus: vnde ſuperne
Plurimus Eridani per ſiluam voluitur amnis.
Hic manus, ob patriam pugnando volnera paſſi, 660
Quique ſacerdotes caſti, tum vita manebat,
Quique pii vates, et Phoebo digna locuti,

660 *paſſa* Bigot., ex interpret. 661 *maneret* Nonius bis et Zulich. a m. pr. 662 *et cedro d.* Seru. ad VII, 178.

dos aut Nyſam; multo minus ex nominum ſimilitudine, Rhodani, Rheni, ac ſimilibus, veri aliquid peti poteſt. *Eridanus ſuperne*, h. e. ex editiore loco, *voluitur*, venit, *plurimus;* dictum eleganter ad magnam aquarum copiam deſignandam. vt I Georg. 187 *cum ſe nux plurima ſiluis Induet in florem.* Sic πολλὸς pro μέγας Apollon. I, 760 et alibi. Apud Seruium ſup. ad v. 603 Tantalus *in Eridano Inferorum ſtare* narratur; quo liquere videtur etiam ab aliis poetis Eridanum ſimili ratione fuiſſe in inferis celebratum. An, quod Eridanus alterius hemiſphaerii ſidus eſt, poetas ad hanc rei narrationem forte adduxit? At pari iure e mythico Eridani vſu nomen ad ſidus translatum eſt, et hoc multo probabilius, quia nomina ſiderum e fabulis antiquis profecta ſunt. Sin hac ſubtilitate omnino vis carere, ſequendum eſt, quod inter Seruiana occurrit: „Alii Eridanum pro quocunque accipiunt, et dicunt κατ' ἐξοχήν dictum, nam legimus I Ge. 482 *Fluuiorum Rex Eridanus.* Et amant poetae pro appellatione ponere magnae (et in ſuo genere praeclarae) rei proprietatem, vt I Georg. 9: *pocula Acheloia.*“

660—665. Locus de piorum turba e nobilioribus, et, quem a generoſiore animo vix puto legi poſſe, quin incaleſcat et magnae virtutis ſtudio inflammetur: imitatione expreſſus a Silio XIII, 533 ſeqq. et a Valer. Fl. I, 836 ſeq. *Sacerdotes caſti*, qui ſacra caſte, pure ac pie, curarunt dum viuerent. Ita nihil eſt quod reprehendas. Mox *vates* ſintne poetae an coniectores, dubitari poteſt.

Inuentas aut qui vitam excoluere per artis,
Quique sui memores alios fecere merendo:
Omnibus his niuea cinguntur tempora vitta.
Quos circumfusos sic est adfata Sibylla;

663 *coluere* Sec. Moret. 664 *alios* recte seruatum in edd. iam inde ab Aldd. Alii *aliquos*. Mirum in hanc vitiosam lectionem consprirare vetustissimum et optimum quemque, etiam Rom. Medic. fragm. Vatic., hoc tamen a m. pr. 665 *his vna* Doruill.

Sed Silius ibid. v. 538 *qui — nec dedignanda parenti Carmina fuderunt Phoebo;* itaque et is de poetis accepit. *pii* in hoc ipso quod *Phoebo digna* loquuntur, ita vt vere pronuntient se canere dei afflatu impulsos, dum grandia, sublimia, praeclara, canunt. At: *quique sui mem.* 664, ornate: magnae illae et diuinae animae, quae bene de genere humano meritae sunt. *merendo,* idem, quod in vulgari sermone, demerendo, promerendo, bene merendo de aliis. Sic Seneca Hippolyt. 632 *et te merebor,* vbi v. Gron. 665. *Omnibus his* Seruius: „per quod eos ostendit meruisse diuinos honores.“ Certe declarat hoc insigne, esse eos viros sacros et sanctos. Nam vittatos fuisse sacerdotes, vates, deos, satis notum est. conf. Val. Fl. lib. I, 836. 840.

666 sqq. Quod Musaeum potissimum nominat poeta, mirantur Intpp. Homerus sane Aeneae in inferis occurrere non potuit. Turbatae fuissent temporum rationes. Cum autem de antiquioribus aliquis esset laudandus, Orpheus vero iam sup. 119 memoratus esset, vix alius praeter Linum vel Musaeum surrogari potuit. Magna autem Musaei auctoritas propter religiones et teletas institutas; et facile nunc eius commemoratio h. l. opinionem movere potest, poetam de initiis cogitasse, cum ex nobilissimis hierophantis vnum commemoret. Ceterum ad Homerum in simili loco rem transtulit praeclare Silius XIII, 780 sqq.

Muſaeum ante omnis; medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris exſtantem ſuſpicit altis:
Dicite, felices animae, tuque, optime vates;
Quae regio Anchiſen, quis habet locus? illius ergo
Venimus, et magnos Erebi tranauimus amnis.
Atque huic reſponſum paucis ita reddidit heros:
Nulli certa domus. Lucis habitamus opacis,
Riparumque toros et prata recentia riuis
Incolimus. Sed vos, ſi fert ita corde voluntas,
Hoc ſuperate iugum; et facili iam tramite ſiſtam.
Dixit, et ante tulit greſſum, camposque nitentis

667 *Muſeum*, *Muſenum*, male librarii. *medium iam* duo Goth. 668 *oculis exſt.* Parrhaſ., male. *ſuſcipit* nonnulli ap. Burmann. 669 *Diſcite* tres Burm. ex more. *optima* Gud. 671 *transnauimus* Nonius in *ergo*, et Goth. ſec. 672 *hic* Oudart. 673 *Nulli eſt* Menag. pr. 674 *virentia* Parrhaſ. et in marg. Doruill. ex interpr. cf. Burm. *r. ſiluis* Rom. et Bigot. 675 *voluptas* Franc. et ed. Iunt., vt et Pier. aliquot. 676 *ſuperare* Goth. tert. et Franc. *ſ. vos t.* aliquot Pier. *ducam* Ven. 677 *greſſus* Menag. ſec.

667. 668. Bene hoc ex heroum aetate et opinione. Nam ad Platonem eum reſpexiſſe, apud Seruium leuis coniectura eſt. Ad verba cf. Iliad. γ, 226. 227. Mox 674 ornate, pro ripis; *recentia ſunt riuis*, h. e. virentia propter vicinas aquas; vt Seru. conf. Burm. et v. 676 *ſiſtam*, vos ad eum deducam facili et expedita via, quales in Elyſio omnino eſſe vias credere fas eſt. Anteit tum Muſaeus ipſe; vbi ex ſummo collis vertice locum oſtendiſſet, tum Aeneas et Sibylla altera parte collis deſcendunt, diſceſſu ſcilicet a Muſaeo facto. *campos nitentes*, pro amoenis nunc dixit. Sup. Georg. I, 153 de cultu dictum erat, *nitentia culta* et ſaepe alii.

Desuper ostentat; dehinc summa cacumina linquunt.

At pater Anchises penitus conualle virenti
Inclusas animas, superumque ad lumen ituras, 680
Lustrabat studio recolens, omnemque suorum
Forte recensebat numerum, carosque nepotes,

678 *Et super* Doruill. *ostentant* fragm. Vatic. a m. pr. Goth. tert. *ostendit* duo Burm. Goth. sec. et ed. Ven. *linquit* Ven. *linquent* Franc. *linquont* Gud., vnde illatum erat ab Heinsio. 679 *in valle* Parrhas. et Ven. *cum valle* duo alii. *nitenti* pr. Hamb. Male h. l. *Nitere* enim refertur ad cultum locorum. vid. Not. Male etiam Seruius iungit *penitus virenti*, cum sit, *penitus in valle*. 680 *Inclusasque* pr. Hamb. *illustres* Parrhas. *ad limen* duo Heins. ac duo Burm. cum trinis Goth., quod ornari possit. Sed conf. inf. 829. 682 *numeros* Excurs. Burm. *clarosque* ed. Dan.

679 sqq. De occursu matris Vlyssis nonnulla in similem rationem sunt apud Homerum, Odyss. λ, 151 sqq.; sed locus hic de Anchisa praeclare a Virgilio est tractatus. Artificium poetae egregium in hoc, quod Anchises hoc ipso tempore in recensu animarum in hanc vitam transiturarum occupatus ab Aenea deprehenditur. Traduxit enim poeta et convertit in rem suam vetus illud philosophantium placitum, quo animae iam ante vitae huius ingressum exsistere putantur. Iam iis certus locus erat assignandus, cui inclusae essent; docendum porro, vnde in eum locum essent deductae. Ita opportunitas data mythis, partim vt locum accuratius declararet, partim vt statueret, animas eas iam antea humana corpora animasse, vitaque functas in ea loca descendisse. Atqui hic rursus noua coniectandi necessitas, quomodo animae, corporis contagio contaminatae, vitiis et erroribus liberari possint, aut iisdem in locis, aut antequam ea in loca peruenissent. 680. *inclusas*, collectas in hunc locum. vid. inf. 705 seqq. *Recolimus*, animo proprie praeterita, hic v. 681 simpl. recensere, ex-

Fataque, fortunasque virum, moresque, manusque.
Isque vbi tendentem aduersum per gramina vidit
Aenean, alacris palmas vtrasque tetendit;
Effusaeque genis lacrimae; et vox excidit ore:
Venisti tandem, tuaque spectata parenti
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,
Nate, tua; et notas audire et reddere voces?
Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum,

683 *Factaque* Franc. *genusque* alios legere Pierius ad marginem notauerat, sed videtur ex emendatione profectum; quia obscurius est, quid *manus* sit. 687 *exspectata* antiquiorem quemque codicem exhibere, omnes fatentur; adde Rom. et Vatic. fragm. et, licet recentiores, cum Erf. tres Goth. Nec aliter edd. veteres, et omnes Aldinae, et inde propagatae. Necdum mihi constat, vnde vulgata *spectata* venerit. Passeratii codicem pro ea laudat Guellius. Propagata illa est per Dan. Heinsii edd., sed iam ante in edd. Plantinianis Pulmanni occurrit. Tuentur tamen eam viri docti, nec iniuria, cum grammaticorum et librariorum fraus in similibus locis, vbi de metri ratione solliciti erant, frequens sit. Interpretatur quoque eam Seruius: probata, vt VIII, 161 *et rebus spectata iuuentus.* Contra *ipse* quidem Aeneas erat *expectatus;* verum paullo durius *pietas* eius *expectata* venisse diceretur. At, si *vicit* iter, accommodatius *spectata.* Schraderus in Emendatt. mss. coniiciebat: *tuaque, exspectate parenti, Vicit.* Inf. VIII, 37 *O fate gente deum — Exspectate solo Laurenti aruisque Latinis.* Et sup. II, 282. *quibus Hector ab oris Exspectate venis. exoptata* Ven. *tandemque tuae exspectata p.* Comment. Cruqu. ad Horat. 1 Od. 23. *parentis* Medic. 690 *animum* Leid. a m. pr. *dicebam animo* coni. Heumannus pro praedicebam. Sed v. Burm., qui *ducere* ad

quirere et addiscere futura facta et res fortiter gestas. 683. *manus* seu virtutem seu facta intellige. Nam ieiunum esset, de turba ac numero accipere.

687 — 694. *vicit iter:* pro: fecisti iter motus pietate, mihi iam probata. Nunc pietas vicit, effecit, vt iter ingrederetur etsi difficillimum. v. Var. Lect. 690. *Sic*

Tempora dinumerans; nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras, et quanta per aequora vectum
Adcipio! quantis iactatum, nate, periclis!
Quam metui, ne quid Libyae tibi regna nocerent!
Ille autem: Tua me, genitor, tua triſtis imago, 695
Saepius occurrens, haec limina tendere adegit.
Stant ſale Tyrrheno claſſes. Da iungere dextram,
Da, genitor; teque amplexu ne ſubtrahe noſtro.
Sic memorans largo fletu ſimul ora rigabat.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum; 700
Ter fruſtra conprenſa manus effugit imago,
Par leuibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.

calculos et rationes refert. Simpliciter *ducimus animo*, vt *agimus, agitamus, habemus.* 691 *denumerans* pr. Moret. *Temporaque numerans* alter. *annumerans* Menag. pr. *tua cura* Sprot. Sed Seru. *mea cura*, id eſt, o tu. Immo vero eſt ſpes, expectatio, ſollicitudo. 692 *Quas e. per t.* Rom. cum aliis Pier., vel *Quas te ego per t.* Sed ſollenne eſt pronomen primo loco non poni. v. Bentl. ad Horat. III Carm. 25, 2. 696 *adire coegit*, vulgaris ratio, occurrit in Goth. tert. et aliis ap. Pier. Heinſ. et Burm. *cogit adire* vnus Moret. *adire adegit* Franc. 699 *Dic* Franc. *rigabant* aliquot Pier. 700 *dare collo* Montalb. 701 *conata* alter Hamb. a m. pr. *compreſſa* multi Burm. vid. II, 792, vbi iidem tres verſus: cf. Georg. IV, 499. 702 *ſomnio* coni. Tan. Faber. Male. conf. ibid.

equidem ducebam animo. Aeneam viuum ad loca infera deſcenſurum eſſe, Anchiſes iam ante praeuidiſſe putandus; nam idem nocturnis monitis filii pietatem permouerat, vt ad ſe videndum deſcenderet. conf. VI, 115. *Libyae regna;* iuſtus de Didonis amoribus metus, ne iis ab Italia retineretur filius.

696. *Saepius* o. v. c. ſup. V, 731 ſq. Nam ſemel memorari ſatis erat. cf. IV, 351.

701—703. Nota imitatio ex Odyſſ. λ, 303 ſq. Iliad. ψ, 100. Conf. Ge. IV, 499, et de Hercule ſimile quid apud

Interea videt Aeneas in valle reducta
Seclusum nemus, et virgulta sonantia siluis,

703 *Praeterea* Witt. *Aeneas vidit* pr. Hamb. *vidit* etiam in aliis. *v. recepta* Menag. pr. v. inf. VIII, 609. 704 *Et cluſum* Doruill. *Recluſum* Rom. Mox libris optimis et vetuſtiſſimis inſidet lectio *ſiluae*, vti Medic. a m. pr. Gud. Rom. et aliis, et ſic emendabat Benedictus in Iunt. Poſſis itaque coniectare, lectionem antiquiorem fuiſſe ſiue illam, ſiue *ſilua*. *ſiluis* autem aduenisse ex altero loco lib. III, 442 *Auerna ſonantia ſiluis*. Sed *ſiluis*, quod Medic. a m. ſec. habet, ita vt Aproniana esse videatur lectio, auctoritatem facit Mediceus Pierii et fragm. Vatic.; adde binos e Goth. Estque ea doctior lectio: nam *virgulta ſonantia ſiluis* nihil aliud sunt, quam *virgulta ſiluarum ſ.*, adeoque simpliciter, *ſiluae ſonantes* sc. venti flatu. Minus bene constituas *v. ſ. ſiluis*, h. e. siluarum, arborum strepitu, vt *riuis ſonantes ſiluae*, resonantes riui strepitu sint. Vt vero hoc fieri possit, vt *ſonent* seu strepant arbores, necesse est, Elysium auras suas et Zephyros habere; de quo Apollod. II, 5, 12, pag. 121. Adde, si tanti est, Iensii Obss. de Stilo Homer. p. 289.

703 sqq. Haec iam manifeste ex Platonicis mythis; quorum fundus in Pythagoreorum opinionibus substructus erat. Etsi enim opinio de reditu animarum in vitam communis antiquitati fuit, non ab vna hypothesi, vt putatur, sed a variis illa argumentis et indiciis docte indocteque petita (v. c. a mutuo interitu ortuque omnium rerum), aut in subsidium adsumta aliis doctrinis fulciendis: Platoni tamen, si non doctrina de subeundis ante transitum in nouum corpus inferis, quam et Aegyptii tenuere, ac de purgatione, quae initiis ac τελεταῖς frequentata fuisse videtur, peculiaris tamen fuisse videtur illa doctrina de bibenda ante reditum Lethe. v. de Rep. X, pag. 765 Frf. p. 621. A. Steph. Ingeniosum vtique commentum, cum noua vita, noua infantia, ineunda sit. Anterotem cum inuersa facula nonnulli ad hoc ipsum dogma non male traduxerunt, etsi is proprie ad amoris obliuionem spectabat. v. Ouid. A. Remed. 551 sqq.

704. *virgulta ſonantia ſiluis*. Inter plures modos, quibus accipias, probabilior est hic, vt sint dicta pro virgultis siluarum sonantibus,

Lethaeumque, domos placidas qui praenatat, amnem.
Hunc circum innumerae gentes populique volabant;
Ac, veluti in pratis, vbi apes aestate serena
Floribus insidunt variis, et candida circum
Lilia funduntur, strepit omnis murmure campus.
Horresçit visu subito, causasque requirit

dubitari nequit; praeiuerat iam Homerus: Ἀλλ' αἰὲὶ Ζεφύροιο etc. Od. δ, 567. 568. Pind. Ol. β, 129 sq. Conf. ad Georg. IV, 484. Ad amnis strepitum minus bene referunt haec alii cum Seruio: „*virgulta sonantia siluae*, quae est iuxta praerupta fluminis" atqui Lethe quietus et placidus amnis est. Itaque nec Catroei emendatio admittenda: *sonantia ripis*: saltem *riuis* coniectare debebat. 705 *Letheum*, male al. Est Λήθαῖος v. c. Callim. in Del. 234 et sup. V, 854. Horat. Epo. 14, 3, vbi etiam male Letheus. *domus* sec. Hamb. 706 *populique frequentes* Goth. tert., sed *volabant* adhaeserat superiori versui. 707 *velut* Gud. et al. 708 *circa* Goth. tert., male. Nam *circumfunduntur*. 710 *visus* alter Hamb. *subito visu* Doruill.

adeoque omnino, siluae sonantes, vento motae: vt XII, 522 sunt *virgulta sonantia lauro*. Paullo diuerso modo dictum supra III, 442 *Auerna sonantia siluis*, h. e. silvae circa Auernum sonantes. Habet autem Elysium suas auras, suos Zephyros: v. Var. Lect. Iam porro 705 Lethe in finibus Elysii, *praenatat*, praeterfluit. Seruius: „Ennium secutus est, qui ait: *fluctusque natantes*." Paullo aliter: *campi natantes*, Ge. III, 198. *gentes* maius sunt: nam in gente populi: v. inf. X, 202. Gronou. ad Liu. V, 34. 35.

707—709. Optimum est statuere, illa: *strepit omnis murmure campus*, apodosin facere, et iungere: *Ac strepit omnis murmure campus* ex animarum discursatione, *veluti in pratis, vbi*— Ornata vero et suauis comparatio, ex Apollonio ducta loco cum hoc omnino comparando lib. I, 879 sqq., etsi

Inſcius Aeneas, quae ſint ea flumina porro,
Quiue viri tanto conplerint agmine ripas.
Tum pater Anchiſes: Animae, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethaei ad fluminis vndam
Securos latices et longa obliuia potant.
Has equidem memorare tibi atque oſtendere coram,
Iampridem hanc prolem cupio enumerare meorum:
Quo magis Italia mecum laetere reperta.

711 *ſunt* aliquot Burm., ſed recentiores. 712 *Quidue* aliquot Pieriani, alii *quique viri*, vt et in Hamb. pr. et Doruill. lectum. *complerint* Pierius in nullo ſuo inuenerat, ſed *complerunt*, vel *complerent*. Eadem varietas apud Burm. Sed *complerint* fragm. Vatic. Medic. 714 *Letheique* Zulich. v. ad 705. 715 *portant* Rom. 717 *prolem hanc* ſec. Rottend. et Erf. *cupio prolem hanc* Goth. tert. *memorare* prior. *numerare* Menag. pr. *tuorum* Ven. et pro Var. Lect. pr. Rottend. Ceterum iuncturae aſperitas aliqua in v. 716. 717 ineſſe videtur. Puto a poeta ſcriptum fuiſſe: *Has — oſtendere coram Iampridem*, ac *prolem cupio enumerare tuorum*. 718 *mecum* omnes; olim tamen vulgatum erat *tandem;* Zulich. *nec non laetare*. Sane *laetare* potiorem librorum habet auctoritatem, Medicei quoque a pr. m. cum aliis Pier. et Burm.; Romanus autem: *Quo magis Italiam mecum*

et illo adumbrato ex Homerico Iliad. β, 87 ſqq. Cf. ſup. I, 430 ſq. Ge. IV, 188 ſqq. 51 ſeqq. *ſtrepit murmure campus* doctius quam vulgare, apes ſtrepunt per campum. Mox 711. *porro* ſimpliciter poteſt iungi: *cauſſasque requirit porro*, vel *porro*, ſc. rogat, quae ſint etc. Sed doctior ratio eſt: *quae ſint ea flumina porro*, πόῤῥω, h. e. πόῤῥω, πόῤῥωθεν παραῤῥέοντα, longo inde curſu praetexentia campum. Minus bene Seru. et Cerda. 714. *ad vndam:* latices potant, ad amnem, in littore, conſtitutae, procumbentes. Dictum ἐναργέστερον, quam ſimpl. bibunt Lethen. 715. *ſecuros*, ab effectu, vt *morbos pallidos* dicunt. Seru. nam ex obliuione malorum tranquillitas oritur; cuius comes ſecuritas. 716. conf. ſup. V, 737 *Tum genus omne tuum*

O pater, anne aliquas ad coelum hinc ire putandum eſt
Sublimes animas, iterumque in tarda reuerti
Corpora? quae lucis miſeris tam dira cupido?
Dicam equidem; nec te ſuſpenſum, nate, tenebo;
Suſcipit Anchiſes, atque ordine ſingula pandit.
Principio coelum ac terras, camposque liquentis,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque aſtra,

laetare repertam. Erat is forte audiendus; ſed retinere poteſt impetum fragm. Vatic. *Italiam mecum laetere reperta*, a pr. m. mox emendatum: *Italia* et *laetare.* 719 *aliquos* Rottend. a m. pr. *hinc ad coelum* Menag. pr. *eſt* abeſt a binis Burmann. 720 *in tarda* retraxit Burmannus ratione et Pier. libb. auctoritate. Vulgo *ad t.*, quod Vatic. cum fragm. Vatic. et Medic. tuentur. 721 *miſerae* Menag. pr. *quae miſeris lucis* Witt. *eſt* addunt in fine nonnulli Pier. et Burm. et fragm. Vatic. a m. pr. 722 *ſuſpectum* Goth. tert. 723 *ſuſpicit* multi vitioſe, ex more; etiam Ald. pr., ſed emendatum in Ald. 1505, et a Benedicto in Iunt. Eſt ὑπολαμβάνει. 724 *ac* deeſt binis Burmann. *et* Goth. tert. *terram* Rom. et Gud. cum Goth. ſec. et fragm. Vatic. a m. pr., at cf. Georg. IV, 221 *Terrasque tractusque maris. terras coelumque profundum* Donat. ad Terent., memoriter. v. Burm. 725 *Ingentemque g.* Medic. a m. pr. et Colot. *Tithonia* Goth. tert. Aut Solem in *Titaniis* aſtris latere aut *Titanaque et aſtra* legendum, contendit Trappius, ſed v. Not.

etc. *Italia reperta* h. e. acceſſu ad Italiam; poſt longos ſc. errores.

719 ſqq. Ineſt neſcio quae vis et δεινότης eximia in hac Aeneae oratione cum indignatione aliqua rogantis; ſuavitas autem tanto maior, ſi Homerici Achillis (Odyſſ. λ, 487) indignum vitae amorem memineris. Vides in hoc quoque progreſſum philoſophiae factum inde ab Homerica aetate. *ire ſublimes*, redire, *ad coelum*, h. e. ad vitam. Sic iam ſupra: *ad auras ſuperas*, et alibi.

724 ſqq. De toto hoc illuſtri loco, in quo fere Interpretum ſubtilitatem deſideres, Seruius vero neoplatonicas argutias affert, partim

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus, vitaeque volantum,

726 *tutamque in fuca* fragm. Vatic. a m. pr. *effusa* Leid. vn. *infusa partus* Goth. tert. 727 *miscet se corpore* nihil aliud est quam forma loquendi doctior pro vulgari, *miscet se corpori*. 728 *Hinc* ap. Seru. *volucrum* Goth. sec. cum Rom.

et grammaticas nugas, v. Excurs. XII. Hic verba interpretanda sunt. *Spiritus* et *mens;* vt Ψυχὴ et Νοῦς, h. e. anima mundi, quae omnia permeat; cumque vniuersum semel sub *corporis* specie repraesentasset, recte pro partibus *artus* posuit; Sic de Terra Ge. II, 325—327. Commentarii loco esse possunt Ciceronis versus ex Consulatu, lib. II, in de Diu. I, 11. Comparant alii Iliad. σ, 483—485. *coelum* pro aere dictum vix dubites; et *campos liquentes*, pro mari, vt, aequor aquarum. In quarto tamen elemento extundendo laborarunt Grammatici. Docta ex vett. comment. seruata nota est apud Pomponium, vbi inter alia: „Ridiculum est intelligere caelum pro duplici elemento, id est aere et aethere. Aemilius Asper cum hunc locum annotaret, sic ait: „Membra naturae sic solet iungere Virgilius, vt in tria diuidat, nam et alibi: *maria ac terras caelumque profundum;* Ennium sequutus, qui ait: Qui tuo lumine mare, terram, caelum, contines.“ *Titania astra.* Ex iis, quae apud Diodorum exponuntur (altero loco V, 66 fabula Cretica, altero III, 57 Libyca), nihil facile huc reuocari potest; nec, sidera ad Titanes referri, scriptorum vsu est cognitum. Igitur Seruius sequendus, qui altero loco *Solem* interpretatur. Dictum scilicet poetico more pro, *astrum Titanium*, h. e. Titan, Hyperion seu Sol, vt IV, 119. Titania Luna vel Diana saepius occurrit, Apollonii exemplo: Τιτηνὶς lib. IV, 54, vbi v. Schol. 727. *magno se corpore miscet* dictum doctius quam corpori miscetur, inditur.

728 sq. Inde ex hac Mente

Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
Igneus est ollis vigor et coelestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt, cupiuntque; dolent, gaudentque; neque auras

730 *olli* ed. Commelin. *illis* duo apud Burm. cum ed. Ven. c. *imago* Goth. sec. 731 *corpora noxia* plurimi Burm. *tardent* qu. Moret. 732 *Terrhenique* fragm. Vatic. 733 *Hinc m. cupiunt gaudentque dolentque* Macrob. in So. Sc. 8 et sec. Rottend. *neque* Heins. e codd. Vulgo *nec*, quod tamen Rom. tuetur. *neque miras* Medic. a m. pr.

Mundi omnia *sunt*, h. e. animam et vitam habent. conf. Ge. IV, 218—226 *His quidam signis* etc. *Deum namque ire per omnes Terrasque tractusque maris caelumque profundum, Hinc — Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.* Nouus vsus vocis est *aequor marmoreum*, resplendescens a sole ex Homerico ἅλα μαρμαρέην Iliad. ξ, 273. Vnde et *marmor* pro mari vt Ge. I, 254. Verum in hoc praeiuerant iam Lucret. et Catull. *marmoream cervicem* dixerat Ge. IV, 523 vbi v. notam.

730—734. *Illis seminibus*, h. e. his animabus ex anima mundi, tamquam ex igni scintillae, petitis, et in humanum corpus traductis, inest ignea vis (qualis aetheris est) et aetherea natura. Verba etiam Stoica disciplina frequentata. Nam Zenoni Νοῦς κόσμου πυρινὸς, et Posidonio πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες, cuius scintillae et ἀποσπάσματα ac σπέρματα sunt animae. Res ipsa iam Pythagoreorum placitis continebatur. cf. Bruckeri *Hist. crit. Philos.* T. I, p. 948 sq. (et qui nunc post illum superioribus annis maiore subtilitate eadem persequuti sunt, Meiners et Tiedemann). Ornatus valde locus. *noxia corpora*, praeclare, quandoquidem vim diuinae flammae obtundit terrestris na-

Diſpiciunt clauſae tenebris et carcere caeco.
Quin et, ſupremo quum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeae excedunt peſtes; penitusque neceſſe eſt

734 *Diſpiciunt* praeclare Heinſ. reſtituit e Gud. a m. pr. Voſſ. binisque Rottend. (vid. ſup. ad II Georg. 187. Alius dixiſſet, *Proſpiciunt.)* Eodem ducunt Medic. cum aliis Heinſ., Romanus cum aliis Pier.; adde fragm. Vatic. et binos Goth., qui omnes *Deſpiciunt* exhibent. *Reſpiciunt* ceteri cum edd. antiquioribus, vt Aldd. Commel. *Suſpiciunt* ed. Mediol. Mox *clauſae* fragm. Vatic., quod aliis locis Heinſius ſequutus eſt. 735 *ſupremum cum lumen* Montalb. et tert. Rottend., non male. *limine* pr. Hamb. pro Var. L., item Seruius. *relinquit* aliquot Burm. et fragm. Vatic. a m. pr. 736 *Nec tamen* Menag. pr. 737 *excidunt* Ald. pr., at corr. in ſec. *eſt* deeſt Sprot.

tura corporis. *moribunda*, pro vulgari, mortalia. *Hinc metuunt cupiuntque*, a corporis contagio animorum perturbationes et cupiditates proficiſcuntur, ex bonis malisque opinatis. conf. Seru. Porro corporis tamquam carcere *incluſae lucem non diſpiciunt*, proſpiciunt, ornate pro, carcere includuntur. Nam corpus vinculis animi tenebrisque aſſimulatur, quibus ille offuſcatur, et a libera rerum contemplatione retrahitur. Cic. So. Scip. ſub f. *Sunt optimae curae de ſalute patriae; quibus agitatus et exercitatus animus velocius in hanc ſedem et domum ſuam peruolabit, idque ocius faciet, ſi iam tum, cum erit incluſus in corpore, eminebit foras, et ea, quae extra erunt, contemplans, quam maxime ſe a corpore abſtrahet.* Obſerua quod ad *clauſae* 734 ſubiectum paullo longius repetendum eſt ex 720 *animae:* cum interueniſſent iam *ſemina* 730. 1.

735—739. Adeo materiae, terreſtris corporis, ſordes inoleſcunt animabus, vt iis ne diſſolutis quidem a corpore elui illae facile poſſint. Itaque purgationes fiunt operoſae aqua, aere, igni, in locis inferis. Ornate au-

Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. Aliae panduntur inanis
Suſpenſae ad ventos; aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni;

738 *diu coniuncta* Oudart. 740 *penduntur* Doruill. 742 *Infeſtum* Seru. ad II Georg. 389.

tem omnia. Contagium corporis dictum, *malum*, *corporeae peſtes*, *vetera mala*, *ſcelus*; intelligendae autem perturbationes et cupiditates (v. 733), irae, metus, triſtitiae et ſic porro. Secundum ſemel inſtitutam rei adumbrationem iidem *animorum* dicuntur eſſe *morbi*, ſeu *labes*, *ſordes*, *maculae*, κηλίδες, *vlcera*, *cicatrices*, μώλωπες, οὐλαὶ, στίγματα; hinc ſuauis ille mythus ſeu inuolutum fabuloſa narratione philoſophema apud Platon. Gorg. extr. p. 356. 357 de animabus coram Rhadamantho nudandis; quo Plutarch. de his, qui ſero a num. pun. T. II, p. 564. 565 et Lucianus aliquoties feliciſſime vſus eſt. Noſter autem poeta cum ſemel per *ſordes* et *maculas* animorum vitia et cupiditates animales deſignaſſet, emendationem earum per *purgationis* genus bene exhibuit, cui iam in ſacris et initiis adſueti erant veterum hominum animi. Eadem purgatio mox deſignatur per *poenas*, *ſupplicia*, vel Platonis auctoritate in Gorgia l. c. quod non obſervatum miſere vexauit Intpp. At v. 738 inuerſa eſt oratio. Debebat ſequi: *nec excedunt*, — *ſed penitus inoluerunt*, *concreuerunt*; vnde 746 *concreta labes*, quae eluitur et exuritur 742. Hoc ita extulit: nec mirum eſt, ſeu, *neceſſe eſt*, *multa*, multum vitii, *diu*, per tam longum vitae tempus, *concreta inoleſcere penitus modis miris*.

740 — 743. A ſollennibus purgationum et luſtrationum ritibus. Fiebat enim luſtratio aere, aqua, igni. Nec aliter ſermone humano efferri animarum purgatio poterat, ne a philoſophis quidem

Quisque suos, patimur, Manis; exinde per amplum

743 *patitur* et *mittitur* tres ap. Burm. *patitur* etiam Erf. Vt nunc versus se ordine excipiunt, aut noua in Elysio fit aut inchoata ante animarum purgatio in Elysio absoluitur; quod omnino nouum est et insolens. Nam, si vss. 743. 744 iam peracta purgatione in Elysium missae sunt animae, quomodo iterum v. 745 sequi potest: *Donec longa dies* etc. hoc est, donec purgatae fuerint? Itaque suspicari licet versus esse transpositos; et retrahendos vss. 745 — 747 ante 743, vt a Virgilio versus hoc ordine profecti sint: *aut exuritur igni: Donec longa dies perfecto temporis orbe Concretam exemit labem, purumque reliquit Aetherium sensum atque aurai simplicis ignem. Quisque suos p.* Difficultatem in oratione poetae vidit quoque doctissimus Iortinus; sed vix expediisse videri potest p. 266 sqq. In ipsam autem transponendi rationem incidisse quoque Trappium nunc deprehendo; vt tamen nec efficiat, in quo conficiendo laborat. Enimuero, quo curatius hunc locum inspicio, eo manifestius mihi fit, versus esse seu a poeta nondum expolitos nec in suum numerum et ordinem redactos, seu, quod multo magis probabile, supposititios et e margine illatos 743. 744 *Quisque suos patimur Manes: exinde per amplum Mittimur Elysium et pauci laeta arua tenemus.* Nam primo sententiam interpellant et iugulant; tum sensum idoneum non habent; tertio a poetae mente sunt alieni: si iam ante purgatae erant, purgataeque mittuntur in Elysium, quorsum in hoc Elysio tempus longum exigunt animae, vt purgentur? De loco purgationis in inferis nihil poeta monuit; nec tamen inde in Elysium, sed ad Lethen animas mitti ipse profitetur v. 748. Nec attigit poeta alterum illud philosophema, quo migrationi animarum finis tandem ita statuitur, vt eae, quae post plures migrationes et purgationes perfectam puritatem consequutae fuerint, aut Elysio aut Olympo assignentur in perpetuum. Antiquum tamen emblema esse, Ausonii testatur locus, quo h. l. aemulatur.

subtilioribus, si fuerunt forte, qui animo corpusculum suum detractum esse aut eum sine corpore superstitem cogitatione assequi vellent; quod dubito. Purgationem animarum in sole et sideribus fieri, statuisse Aegyptios, viri docti passim aiunt; vide Moshem. ad Cudworth. pag. 366. Sed ex loco Porphyrii de abstin. IV, 10, testis per se parum idonei, nisi talem opinionem iam animo attuleris, id non facile elicias.

743. 744. *Quisque suos patimur Manes.* Vexatus locus. Simplicissima tamen est

patimur h. e. purgatione renouamur, et deinde digni in Elysium mittimur. H.

ratio: patimur supplicia haec omnes, non quidem quales nunc sumus, animae corpori inclusae, sed *quoad* (κατὰ) *suos quisque Manes;* pro vulgari: *nostrum omnium Manes patiuntur;* omnibus Manibus ista patienda sunt. Nam purgatio ista subeunda est omnibus. Soli ad inferos perueniunt Manes; hi sunt, qui purgantur; qui *patiuntur,* h. e. subeunt, pro sua cuiusque parte, purgationes illas tormentorum similes. Firmat quoque hanc rationem, id quod non viderunt, qui eundem locum laudant, Apuleius Florid. lib. II, pag. 231 Colu. de Pythagora: *Brachmanae autem pleraque philosophiae eius contulerunt: quae mentium documenta corporumque exercitamenta, quot partes animi, quot vices vitae;* quae diis Manibus pro merito suo cuique *tormenta vel praemia.* Quo loco nihil ad rem difertius esse potest. *Manes* pro *suppliciis* ac poenis vulgo accipiunt: qua ratione aut analogia, non video; si vel maxime dixero: Manes dici pro conditione, qua sunt Manes; etsi sic Ausonius (quamquam mihi non satis exploratum hoc) videri potest et ipse interpretatus esse, imitatus versum hunc in Ephemer. 57: *si poenitet, altaque sensus Formido excruciat, tormentaque sera gehennae Anticipat, patiturque suos mens saucia Manes.* Etiam Statii versum, vbi Pluto ad Amphiaraum VIII, 84 *At tibi quos, inquit, Manes? qui limite praeceps Non licito per inane ruis,* ita interpretantur cum Lutatio, vt sint poenae. At potest aliis quoque modis suppleri: quos Manes adire animus fuit tibi? Et statim v. 90. 91 *sanctis Manibus* vulgari sensu iterum dictum. Sanctii interpretatio in Minerua pag. 825. 826, vt, quemadmodum mali patiuntur Lemures et Laruas eorum, quos laeserunt vel necarunt, sic boni patiantur proprios Manes, contorta est. Cerda *pati Manes* dictum vult, vt, *pati Furias.* Sed hoc nihil expedit, nec si deos inferos omnino esse h. l. dixeris Manes, vt Ge. IV, 489 et alibi. *Pati aliquem,* pati deos, Manes; vix Latine dicitur; puella patitur virum longe alio modo. Ad duos Genios, qui homini

Mittimur Elysium, et pauci laeta arua tenemus:
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Aetherium sensum, atque aurai simplicis ignem.
Has omnis, vbi mille rotam voluere per annos,

746 *tabem* Rom., nec hoc male. *relinquit* fragm. Vatic. Medic. cum aliis. 747 *aurae* omnes fere codd. Heins. et Pier. et fragm. Vatic. Sed Valer. Probus inter quatuor locos refert, in quibus antiqua illa forma Virgilio placuerit. *ignes* Goth. tert. 748 *rotas*

adsunt, referebat altero loco Seruius; sed alienum id ab h. l. Melius Ruaeus daemonas huc vocat ex Platone (v. c. in Phaedone p. 80 B. Frf.); sed nusquam ab hoc memorari video, cruciatum animabus inferri ab vllo daemone. Valer. Fl. III, 389, qui hunc locum ante oculos habuit, interpretationem in neutram partem inflectit; nam aliam plane ille rationem iniit: Animae violenta morte vita expulsae ap. Plutonem de iniuria conquerunt; tum illae vna Furiarum comite addita redeunt, vt a fontibus poenas expetant: *Quisque suos fontes inimicaque pectora poenis Implicat; et varia meritos formidine pulsant.* 744. *per Elysium*, h. e. ad. Alii, et sic iam Cerda, distinguunt *laeta arua* ab *Elysio*; sed perpetuo vsu loquendi de eodem loco haec dicta inueniuntur. Itaque nec Iortino accedere possum p. 262 sq.

745—747. Igitur aut noua in Elysio fit aut inchoata ante purgatio animarum in Elysio absoluitur; sed v. Var. Lect. ad 743. *perfecto temporis orbe*, definitum post tempus, h. e. mille annos. *purum aetherium sensum*, mentem illam (*sensus* pro perceptione et iudicio animi et hinc pro animo) ex aethere deductam, cumque idem aether sit ignis purissimus, explicatiue subiicit: *atque aurai simplicis ignem*. De igni *auram* proprie dici, vt de luce, supra vidimus. Itaque anima tandem ad pristinam puritatem aetheream restituitur.

748—751. *vbi mille rotam voluere per annos*. De

Lethaeum ad fluuium deus euocat agmine magno:
Scilicet inmemores supera vt conuexa reuisant,
Rursus et incipiant in corpora velle reuerti.

Menag. pr. *rotam euoluere* Parrhas. Io. Schrader. coni. *rotae*, vt sint tormenta. v. Not. 749 *Letheum* Rom., vid. sup. ad v. 705. *flumen* duo Burm. 750 *superum* ed. Ven. et Doruill., eo alludunt aliquot Pier. *supera in* c. Interpungit Wakefield: *deus euocat agmine magno Scilicet;* Et mox *vt conuexa reuisant Rursus, et i.* In altero hoc assentior. 751 *incipiunt* ed. Ven. *incipient* Lutat. ad Stat. VII Theb. 92.

sensu constat ex v. 745 *perfecto temporis orbe.* Verba ex vulgari ratione sic constituerentur: vbi mille annorum rota voluta, h. e. circumactus orbis est. *Rotam* dixit absolute pro orbis, κύκλος. Annorum *volubilitatem* interpretatur Seruius, et Ennianum esse monet. *volvere rotam*, est, exegerunt animae tempus in orbem rediens. Non minus ornate in similem modum Cic. in So. Scip. 2 *cum aetas tua septenos octies solis anfractus reditusque conuerterit. Mille annos* a Platone sumsit de Rep. X, p. 761 Ed. Frf., p. 615 A. ed. Steph. vbi πορεία χιλιετὴς animarum iniustarum subter terram, quasi in poenam decupli; it. in Phaedro p. 1223 D. In *lustra* annos mutauit Silius XIII, 558 *Hae* (decima porta) *animae caelum repetunt, ac mille peractis, Oblitae Ditem, redeunt in corpora lustris.* Omnino *multa saecula* memorauit Cic. in So. Scip. sub f. loco iam a Cerda excitato. Pindarus *nouem annos* finierat in praeclaro fragm. ap. Platonem Menon. p. 415 B. Frf. Animam ait non interire, sed tantum mori ac reuiuiscere; sancte itaque esse vivendum: οἶσι γὰρ ἂν (h. e. ἀφ' ὧν) Φερσεφόνα ποινὰν παλαιοῦ πένθεος (h. e. κακοῦ, idem est *vetus malum* Maronis, *corporea pestis* seu, morbus) δέξεται, εἰς τὸν ὕπερθεν ἅλιον (ad *superas auras, ad caelum*, h. e. in vitam) πείνων ἐνάτῳ ἔτει ἀνδιδοῖ ψυχὰν πάλιν· — ἐκ τᾶν βασιλῆες ἀγαυοὶ καὶ σθένει πραιπνοὶ σοφίᾳ τε μέγιστοι ἄνδρες αὔξονται· ἐς δὲ τὸν

Dixerat Anchiſes; natumque vnaque Sibyllam
Conuentus trahit in medios, turbamque ſonantem;
Et tumulum capit, vnde omnis longo ordine poſſit
Aduerſos legere, et venientum diſcere voltus. 755
Nunc age, Dardaniam prolem quae deinde ſequatur

754 *poſſet* multi Pier. etiam Rom. et Heinſ. cum Medic., ſed fragm. Vatic. *poſſit*. Apud Nonium *poſſent*. Parrhaſ. *poſſet ordine circum*. 755 *Aduerſas* Montalb., dum interpolator *animas* cogitabat. *aduerſus* fragm. Vatic. *poſcere v.* ed. Ven., male. *diſcere* eſt cognoſcere. *vultum* Zulich.

λοιπὸν χρόνον ἥρωες ἁγνοὶ πρὸς ἀνθρώπων καλεῦνται. Idem in Olymp. II, 123 eos, qui vitam ter exegiſſent ſic, vt iuſtitiam colerent, ad Beatam inſulam deferri narrauerat. *Ter mille* annis circuitum animarum fieri per animalium corpora, ſtatuerant Aegyptii ex Herodoti fide lib. II, 123, quod tamen dogma tantum ad animas ſpectare potuit, ſceleribus ac vitiis inquinatas et contaminatas. Nec ſane potuit in mythis his vlla eſſe conſtantia: e re nata fingebat vnusquisque conſentanea. Ceterum inter haec meminiſſe iuvat, quam bene in Meſſiade animarum iamiam in vitam proditurarum ſors, ſedes, facta, dicta ad puriorem de anima humana ſapientiam attemperata ſint ſub fin. lib. I et al., vt VIII. *deus euocat*, non hic de Mercurio agitur; quod putant Intpp., ſed eſt ὁ δαίμων, indefinite. vid. Plato de Rep. X, p. 765 E.

752 ſqq. De inuento huius animarum, quae in noua corpora transiturae ſunt, recenſus ad futurarum aetatum res exponendas vid. Excurſ. ad h. l. 752—755. Ornate ſingula. *conuentus in medios* in mediam turbam. *ſonantem*, de ſtrepitu, ex Od. ω, 5 ταὶ δὲ τρίζουσαι ἕποντο. cf. Horat. I Serm. 8, 41, et ſup. v. 707 ſq. *aduerſos* ornat epitheton. Scilicet ex aduerſo incedentes animas *legit*, recenſet, cognoſcit.

756—759. Enarrabo clara facta et fata poſterorum

Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Inluſtris animas, noſtrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, et te tua fata docebo.
Ille, vides, pura iuuenis qui nititur haſta,
Proxima ſorte tenet lucis loca; primus ad auras

758 *et noſtrum nomen* ſec. Moret. *ituros* alter Hamb. 760 *Ille, vides,* Poteſt quoque ſcribi: *Ille, vides? p. iuuenis pura* Doruill. 761 *luci* Heinſ. malebat; vt ſit, vitae mox ipſi reddendae; non video quid interſit.

tuorum. *nepotes — animas* — enarrabo. *qui maneant,* expectandi ſint, *nepotes Itala de gente,* de noua ſtirpe in Latio ex Lauinia ſuſcipienda. *noſtrum in nomen ituras,* pro vulgari, futuras ex noſtra gente. Sic *ire* ſaepe et ἔρχεσθαι. Quod autem Anchiſes haec exponere et futuras res praedicere poteſt, ad diuinandi munus pertinet, quod ille a Venere acceperat. vid. ſup. ad lib. II Excurſ. XVII, vbi de Anchiſe agitur. Ceterum ex Seruiana nota haec apponemus: „*Cetera, quae hic intermiſſa ſunt, in* ἀσπιδοποιΐᾳ *commemorat.*“ (lib. VIII, 628 ſeqq., et hac de cauſſa multa vtique poetae in hoc recenſu praetermittenda fuere, ne bis eadem afferret). *vnde etiam in antiquis inuenimus, opus hoc appellatum eſſe non* Aeneidem; *ſed* Geſta populi Romani; *quod ideo mutatum eſt, quia nomen non a parte, ſed a toto debet dari.* Fuere adeo in ſecta eorum, qui in honorem nominis Romani carmen ſcriptum narrabant, nonnulli epicae poetices tam ignari, vt hiſtoriae Romanae corpus aliquod in eo quaererent.

760—766. Gens Iulia ab Aſcanio ſeu Iulo ducta, qui patri ſucceſſit et Albam Longam condidit. cf. ſup. Aen. I, 267 ſq., ſed reges Albani a Siluio, qui ex Lauinia poſtumus Aeneae natus erat. Haec eſt fama, quam h. l. poeta ſequitur. Alii Aſcanii filium et ſucceſſorem Siluium faciunt. Alii aliter tradunt. v. Liu. I, 3. Victor O. G. R. 16. 17. Dionyſ. Halic. I, 70. Ouid. IV Faſt. 40, et Seru.

Aetherias Italo conmixtus sanguine surget
Siluius, Albanum nomen, tua postuma proles:
Quem tibi longaeuo serum Lauinia coniunx
Educet siluis regem, regumque parentem:
Vnde genus Longa nostrum dominabitur Alba.
Proximus ille Procas, Troianae gloria gentis,
Et Capys, et Numitor, et qui te nomine reddet

762 *Italo mixtus de f.* antiqui codd. ap. Pier. *surgit* Medic. 763 *posthuma* male scriptum et hic in Gothanis. *postumia* Franc., inepte. Piget in his morari. 764 *seruam* Rom. 765 *Educit* Medic. *Educet in f.* alter Hamb. et Goth. tert., idem cum pr. *parentum*. 766 *nostrum longa* tres Heins. 767 *Procax* aliquot apud Burm., indocte. Etiam *Proca* legitur. 768 *reddat*

ad h. l. conf. Exc. III ad lib. XII Aen. Fabulae de Silpio in siluis educto locum feciſſe videtur nomen ipsum, vti fabulis de Romulo et Remo ficus Ruminalis et similitudo vocis *ruminis*, hoc est, mammae. *hastam puram*, δόρυ ἀσίδηρον, idem quod antiquioribus sceptrum, regum et heroum insigne vel ex Homero notum. cf. Cerda. *Albanum nomen*, h. e. Albanus, Albae Longae rex. Nec male tamen sic accipias: nomine inter Albanos domestico appellatus Siluius. Quo ducere potest Liuius ibid. *mansit Siluius postea omnibus cognomen, qui Albae regnarunt.* Argutias vett. Grammaticorum super *postuma proles* vid. apud Gell. II, 16 et Cerdam. Alia est subtilitas Seruii et ceterorum in *longaeuo*, quia Aeneas annis fatalibus nondum expletis periit, esse debere dictum pro *deo*, cuius aeuum, h. e. aeternitas, proprium sit. Enimuero potest aliquis senex esse et iam senex factus liberos suscipere, et senex violenta morte perire.

767 — 772. Nec omnes Albanorum reges, nec ordine suo recitat. v. Auctt. laudd. *proximus* ergo, qui adstat. Meminit Capyos, quod Capys Assaraci f. Aeneae fuerat auus. Itaque Anchises refricat in hoc gratam patris sui memoriam. *Procas Troianae gloria g.*, vt Ho-

Siluius Aeneas, pariter pietate vel armis
Egregius, si vmquam regnandam adceperit Albam. 770
Qui iuuenes quantas ostentant, adspice, vires!
At, qui vmbrata gerunt ciuili tempora quercu,

Rom. pr. Moret. et pr. Hamb. 769 Versus in altero Mentelii a pr. m. aberat: et cum supra v. 403 idem fere occurrat: *Troius Aeneas pietate insignis et armis*, suspicari aliquem posse ait Burm., an hic versus h. l. ab aliena manu accesserit; et saluo sensu eum abesse posse. Mihi abesse non posse videtur; quorsum enim *Egregius* referatur? *vel* h. l. coniunctiuum est, vt et alibi, et ne fraus fiat lectori, *pariter* additum. *vt armis* Goth. sec., sed ex *vel* saepe *vt* factum. 771 *iuuenis* Medic. *ostentent* Ven. *ostendant* Priscianus et Zulich. a m. pr. Interpungit Wakefield: *Qui iuuenes! quantas — vires!* 772 Legebatur *Atque vmbrata gerunt ciuili tempora quercu. Hi tibi N.* Ita hoc versu nihil potest esse ieiunius. *Atqui* Aldd. pr., mutatum in tertia a Naugerio in *Atque*. *Atqui* inter codd. Reg., et sic legendum monet Fabric. *At qui* diuulsis syllabis vett. edd., quas Pier. et Cerda sequuntur cum D. Heins., vt iungatur versus cum seqq. *At qui gerunt — quercu, Hi tibi.* Praeferam id saltem vulgatae rationi. v. Nota. Omnes tamen Codd. Pier. et Heins. *Atque*, quod pari modo ieiune positum offendebat nos supra IV, 261. Porro *gerit* a pr. m. Medic. *gerant* Moret. sec. et Parrhas. *tegunt* Bigot.

mero μέγα κῦδος Ἀχαιῶν. 770. *Si vmquam.* Seruauit illustrationem ex antiquioribus Seruius: *Recepit autem a tutore, qui eius inuasit imperium: quod ei vix anno quinquagesimo tertio restituit. Et rem plenam historiae per transitum tetigit.* 771. *ostentant vires*, sunt viri fortes, forti et valido corpore animi virtutem prodentes. 772. Qui memorati adhuc fuerant, erant rebus bello gestis clari: qui sequuntur, artibus pacis: quae declarantur per colonias deductas et nouas vrbes conditas. Itaque coronis ciuicis illi insignes prodeunt. Coronam ciuicam, hoc est, querceam, gestant, scil. ob ciues seruatos, et de rep. bene meriti. *vmbrata;* praeiuerat Lucret. II, 628 *ninguntque rosarum Floribus*, vmbrantes *Matrem comitumque cateruas.*

Hi tibi Nomentum, et Gabios, vrbemque Fidenam,
Hi Collatinas inponent montibus arces,
Laude pudicitiae celebres, addentque superbos
Pometios, Caſtrumque Inui, Bolamque, Coramque.

773 *Numentum* duo apud Burm., vnus *Numantum*. Porro primam in *Fidena*, quam exquiſite dixit pro Fidenis ex Gr. Φιδήνη, a Virgilio corripi, quae ab Horatio aliisque producatur, notatum a Grammaticis eſt. 774 *Hinc* Erf. *mentibus* Goth. tert. *moenibus* Rottend. tert. et Exc. Burm. *imponunt* pr. Moret. 775 Cur hic verſus non eiectus ſit ab Heinſio, mirari licet. Occurrit in nullo codice nec in edd. vett., et illatus eſſe dicitur a D. L. Fabricio Lampugnano I. C. V. Mediolanenſi. Nunc, ne verſuum numerus deminutus turbas faciat, minore cum incommodo in ſede maneto, ſed notatus. 776 *Pometios* correxerunt iam Pier. et Fabric. Vulgo vitioſe *Pomerios*. In Goth. tert. *Pometicos*. Mox aberrantur varie: *caſtrumque Nini. Borumque. Volamq. Bulamq. Coramq. Corasq.*

773—777. Ab Alba Longa XXX colonias in Latio et extra Latium deductas eſſe ex Dionyſio nouimus lib. III, 31, p. 172, plerasque ſaltem nouis colonis frequentatas, vt Ryckium quoque monuiſſe video in Diſſ. de pr. Ital. col. p. 455, quem vide. Liu. I, 3 *Ab eo* (Latino Siluio) *coloniae aliquot deductae, Priſci Latini appellati.* Et Victor O. G. R. c. 17 *Igitur regnante Latino Siluio coloniae deductae ſunt Praeneſte, Tibur, Gabii, Tuſculum, Cora, Pometia, Locri* (vitioſum, ſ. Corioli, v. Dionyſ. V, 61. Plin. III, 5 ſ. 9), *Cruſtumium, Cameria, Bouillae, ceteraque oppida circumquaque. Nomentum* quidem, et *Fidenae* cum *Cruſtumerio* tres fratres conditores habuere. Dionyſ. II, 53, p. 116, idque multis annis ante Romam conditam; ibid. lib. II, 36 (p. 104) *Gabii* inter Latinos, ibid. V, 61 et Albae Longae colonia IV, 53. *Collatia* in iis *collibus* ſita, qui inter viam Praeneſtinam et laeuam Anienis ripam viſuntur, v. Cluuer. Ital. ant. pag. 663. *Pometii*, ſ. Pomentini, eorumque vrbs Sueſſa Pometia, communi ſcripto-

Haec tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terrae.
Quin et auo comitem sese Mauortius addet
Romulus; Assaraci quem sanguinis Ilia mater

777 *nec sunt* alter Menag., male. *s. n. gentes* Medic. a m. pr., et sic Colot., quod probat Heins., equidem improbandum censeo vel maxime. Nam, primum *terrae* docte poetis ponuntur, vbi vulgaris oratio gentes postulat; tum ne *gentes* quidem recte h. l. dicerentur; non enim populi sed vrbes enarratae fuerunt; et his bene respondent *terrae*, quibus aliquando imponentur. 778 *Mavertius* Witt. *sese addet*, vt nunc legitur, erit: vna cum ipso in

rum consensu Volscorum, non Latinorum nomini accensentur. Itaque Cluuerius pag. 1018. p. 1024 lib. III, 1 et 8 aliique Virgilium poetica licentia in hoc vsum esse ominoque vetus Latium finibus latioribus ad Circeios vsque ex sequiore aeuo definiisse. Liuio sane lib. II, 16 *duae coloniae Latinae* (iure Latii Roma deductae) *Pometia et Cora*. Enimuero, etsi Volscorum facta est vrbs Suessa vna cum Cora, tamen vrbes inter Latinas eam aliquando fuisse dubitari nequit. vid. Plin. III, 5 s. 9. Latet inter nomina populorum foederi adscriptorum apud Dionys. V, 61 Βουβεντάνων· sunt Πωμεντῖνοι, Κόρνων pro Κοράνων. *Castrum Inui*, qui antiquis Italis inter Faunos et Panes erat, etsi in Rutulis

situm, tamen Latinorum fuit colonia vel Virgilio teste; vt etiam *Bolae*, Aequorum oppidum. Sunt Bolani etiam foederi Latinorum modo memorato adscripti ap. Dionys. l. c. Adde locum Victoris supra laudatum. Male *Castrum Inui* ad Castrum nouum, non longe a Centum cellis ad mare, reuocauit Seruius et viri docti ad Rutil. I, 227 sq.

778—781. *auo comitem sese addet;* secundum Seruium: *auito sese iunget imperio*, h. e. vna cum auo regnabit, donec Romam condet. Sed vix hoc loquendi vsus fert: *Socium* saltem dixisset. vid. Var. Lect. 778. quem Rhea Siluia Troiana stirpe oriunda partu edet. *Assaraci* v. sup. I, 284. *educet*, vt modo v. 765, cum

Educet. Viden' vt geminae ſtant vertice criſtae,
Et pater ipſe ſuo ſuperum iam ſignat honore?
En, huius, nate, auſpiciis illa incluta Roma

vitam prodibit, ſuo ſcilicet tempore. Sed melius puto legi: *addit;* vna cum patre incedebat anima Romuli. cf. 754. 755 et inf. 864. Et eſt ed. Ven., quae hoc exhibeat. Transpoſiti porro verſus 778 et 777 in Goth. pr. et tert. 780. 781 *ſtent* multi codd. et edd., quod recte deſeruit Pier. et mox *ſignet.* Scilicet vt conſequutio temporum ſeruetur. At vid. Var. Lect. lib. I, 706. *honorem* Menag. pr. *inſignat* Rom. 782 *nata* ſc. Roma, a Romulo condita, malit Burmannus; ſcilicet vt vulgari orationi propior ſit poeta? Etſi verum eſt, non aliter verba accipi poſſe. Non enim *Romuli auſpiciis* Roma *aequauit imperium terris* — ſed Roma

deberet eſſe: pariet. 780. En bellicoſum viri ingenium: quod iam nunc militaris viri habitus (galea duplici criſta, δίφαλον vel δίλοφον diceres) declarat. *ſtent,* ſint, vt alibi quoque. 781. Quis ex variis ordinis verborum ac ſenſus faciendi modis verus ſit, vix definias. Seruius accepit: eum *ſuperum,* deum, vt Mars *pater* ſit Romuli. Poſſit etiam *ſuo ſuperum honore,* h. e. diuino, eum ſignare pater Mars. Sed probabilius eſt, quod et Cerda ſequitur, *Et pater ſuperum,* Iupiter, *ipſe eum iam ſignat honore ſuo;* nunc tamen iterum ambiguum eſt, ſitne *honor* Iouis an Romuli? ſitne immortalitas, an viri dignitas et virtus corporis? Simpliciſſimum videtur ſic accipere: videsne, vt animam aliquando in corpus prodituram Iupiter iam hinc diuina corporis maieſtate conſpicuam reddit? ſcilicet vt, in immortalium numerum eam aliquando receptum iri, iam nunc manifeſtum ſit. An duplex criſta in galea Martis aliquod peculiare inſigne ſit, dubito, nec ex Val. Max. I, 8, 6 doceri poſſe puto. Ornant vna binae, trinae, quaternae criſtae. At ipſa galea perpetuum, quantum memini, Romuli inſigne.

782 — 788. Verſus ornatiſſimi. Primus 782 ex Ennio translatus apud Iſidor.

Imperium terris, animos aequabit Olympo,
Septemque vna sibi muro circumdabit arces,
Felix prole virum: qualis Berecyntia mater
Inuehitur curru Phrygias turrita per vrbis,
Laeta deum partu, centum complexa nepotes,
Omnis coelicolas, omnis supera alta tenentis.

quae erat auspiciis eius condita. Ergo *huius auspiciis* non dictum est, vt, si alicuius auspiciis bellum geri dicitur; sed *auspicia* h. l. sunt exordia vrbis, initia: per haec prima initia vrbis et fundamenta a Romulo iacta. Eadem, quam memorabamus, varietas in versu Enniano: *his nata auspiciis illa incluta Roma*, quod aliis *En huius nate auspp.* apud Seru. ad VII, 678, vbi v. Burm. 783 *annos* coni. Heumannus; nempe quia aeterna Roma dicta. Sed parum suaue est illud: *annos aequare Olympo*, vt ne nisi cum ipso caelo pereat. *famamque* melius Io. Schrader. At *animos* celsos et diis virtute pares habere, qua ad caelum educant nomen, generosa res est. *animosque* Witt. *aequabit* Mentel. a m. pr. In Seruii nota subiungitur ad hunc versum: *De hoc autem loco et Trogus et Probus quaerunt.* Quid illud fuerit, quod quaererent, non assequor. *Trogus* autem esse videtur Pompeius historiarum Philippicarum conditor, quem in Virgilium, cuius fere aequalis fuisse debet, commentatum esse, nulla aliunde est suspicio. Laudatur quidem Trogus a Seruio ad Aen. III, 108. IV, 37, sed ex historiis. Forte leg. *Hyginus.* 784 *circumdedit* alter Hamb. 786 *Phr. itura* Zulich.

XVIII, 1. 783. quam magnifice pro, condetur Roma! Imperium ad terrarum fines proferet, virtute et magnanimitate superabit omnes mortales. Obuium hoc, et similia Romae praeconia apud veteres congessit multa Cerda; etiam de septem collibus (Docta Pomponii Sab. ad v. 784 nota ex Dionys. Halic., Plutarcho in Romulo et Festo in *Roma* descripta est). 785 — 788. Augusta imago Cybeles per Phrygiam inuectae (ex ritu sacrorum), quae est *deum Mater*. Assimulatur Roma, quae tot magnos ac diuinos viros tulit. Nam de diuinis honoribus in Caesares delatis non agitur. *supera alta tenentes*, Homericum: ὑπέρατα δώματ' ἔχοντες.

Huc geminas nunc flecte acies; hanc adſpice gentem,
Romanosque tuos. Hic Caeſar, et omnis Iuli
Progenies, magnum coeli ventura ſub axem.
Hic vir, hic eſt, tibi quem promitti ſaepius audis,
Auguſtus Caeſar, Diui genus: aurea condet
Saecula qui rurſus Latio, regnata per arua

789 *huc flecte* Ge. Fabricius malebat et Cerda, vt repetitione excitetur animus. Sed conſtantem librorum lectionem reuocauit Heinſius; niſi quod *modo fl.* qu. Moret. Mox *reſpice* Hugen. 792 *ibi* Menag. pr. *quem promitti ſibi* ſec. Moret. 793 *Diui g.* ex librorum conſenſu, ex numis et marmoribus copioſe firmarunt Ge. Fabric. Pier. et Heinſ. Quid ſollennius illo: *Caeſar Auguſtus Diui f.* Nonnulli vulgg. edd. et codd. *Diuum genus. condit* duo ap. Burm. 794 *quae* ap. Lactant. I, 13. *r. per annos* Rom. *regnataque paruo* Goth. tert., vtrumque lapſu, qui luſum habet.

789—791. Etiam ordinem rerum facit admirabilem: quod primo loco gentem Iuliam memorat, cum in Marcello oratio ſummi affectus plena ſubſtitura ſit. *Huc conuerte oculos* etc. omnia cum verborum dignitate extulit. *ventura ſub axem,* ſub caelum, in vitam, vt iam toties vidimus in hoc libro.

792 ſqq. In Auguſto vero repraeſentando ſe ipſum ſuperauit poeta. Pacem terrarum orbi redditam, prolatos imperii fines, vaticinia, quibus terris promiſſus fuit, expeditiones in terras longinquas, et itinera ad conſtituendas prouincias in iis ipſis annis, quibus haec ſcripſit Maro (V. C. 732 ſqq. v. Vita Virgilii h. a.), ſuſcepta; quam grauia haec omnia laudum argumenta, et quam ſplendide verbis et rerum phantaſmatibus declarata!

794. *Latio,* debebat ſequi per appoſitum: *aruis,* ſed variauit: *per arua regnata quondam Saturno;* quae ſunt ipſum Latium. v. inf. VIII, 319 ſqq.

Saturno quondam; ſuper et Garamantas et Indos
Proferet imperium; iacet extra ſidera tellus,
Extra anni Solisque vias, vbi coelifer Atlas

795 *Garamentes* male ſcribitur. *Garamantidas Indos* pr. Hamburg., item male. 796 *Profert* alter Hamb. a m. pr. *Perferet* duo Burm. 797 *extra annos* Franc., non male. *Lucifer* Montalb. a m. pr. *Altans* Rom.

795—798. Fines imperii in Africa et Aſia dilatatos intellige; etſi rebus in maius auctis. *ſuper* (vltra) *Garamantas*, victi hi ſunt a L. Cornelio Balbo, cuius triumphum Faſti Capitolini VI Kal. April. a. 735 memorant. cf. Plin. V, 5. Solin. c. 31. In extrema igitur vitae Virgilii et haec incidunt. *ſuper Indos*, ſpectat partim ad ſigna a Phraate reddita V. C. 734, partim ad Indorum legationem ad Auguſtum miſſam, cum in Syria verſaretur. v. Strabo XV, p. 719 C. D. adde Dion. LIV, 9, ſup. Vit. Virg. ad a. 734. Loci imitationem iam intpp. notarunt in Silio VIII, 409 ſqq. de Ciceronis laude. Iam debebat ſequi: *proferet imperium — et ſuper eam terram, quae iacet extra ſ.* Sed inuerſio facta enthuſiaſmum adiuuat. In ſqq. auſtrales Africae plagas deſignari manifeſtum eſt; ſed res ad τερατῶδες deflexa. *Solis viae* proprie ſunt intra Tropicos Cancri et Capricorni per eclipticam. Sic apud Aratum ἠελίοιο κέλευθοι et ἕλησις, Phaenom. 319. 321. Seruius laudat Lucani locum III, 253 ſq., in quo Aethiopes extra Zodiacum poſiti eſſe dicuntur. Iam Romani quidem vix ad Tropicum Cancri peruenerunt, multo minus arma vltra aequatorem protulerunt et alterum tropicum; ſed poetae licuit haec amplificare et *loca vltra tropicos* memorare, adeoque *vltra ſidera*, hoc eſt, Zodiacum, *vltra Solis vias et anni*, qui illo ſolis decurſu conficitur, ad eas Africae plagas deſignandas, quae vltra notas terras vsque ad Atlantem, et lineam ab hoc per Africam ductam, procurrentes, verſus auſtrum tum erant repertae. Similiter altera ex parte verſus

Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.
Huius in aduentum iam nunc et Caſpia regna
Reſponſis horrent diuom, et Maeotia tellus, 800

798 *humeris* pr. Hamb. 799 *in aduentum* ex Rom. et aliis iam Pierius approbauit lectori, et ſecundum eum Heinſ. e Medic. et aliis; vulgg. *in aduentu*. *Cuius in aduentu* ed. Ven. 800 *Maeotia* bene Heinſ. poſt Pier. ex caſtigatioribus. Vulgo *Maeotica*.

arcticum polum nauigantes *diem poſt terga ſolemque reliquiſſe* dicti ſunt ab Albinouano in fragm. de nauigatione a Germanico in Oceano tentata ex Amiſiae oſtio. Reſpici autem a Marone Candacen victam et Aethiopiam ſupra Aegyptum a C. Petronio copiis peragratam probabile ſit; qua de re v. Strabo XVII, p. 820 ſq. et Vita Virgilii ad a. 732. *vbi Atlas axem*, caelum, *humero torquet*, ſuſtinet torquentem ſe et vertentem, *ſtellis ardentibus aptum*, ex quo axe ſeu caelo ſtellae aptae ſunt, in eo fixae. Sed vid. ſup. IV, 481. 482 (Ex Gronouio ad Senec. Med. 10 fruſtra interpretationem loci exſpectes). Similem ſententiam ſine ornatu enuntiauit auctor carminis in Meſſalam (in Tibull. ed.) 148 ſq. *Oceanus ponto qua continet orbem, Nulla tibi aduerſis regio ſeſe offeret armis. Te manet inuictus Romano Marte Britannus; Teque interiecto mundi pars altera ſole.*

799—801. Splendide et hoc enuntiauit, quod futura Auguſti magnitudo multis ſignis ac praeſagiis fuit oſtenſa; quodque in remotiſſimis quoque terris eiusmodi ſigna animaduerſa fuerunt; nimirum populi circa mare Caſpium, inprimis Hyrcani et Bactriani ſub Parthis degentes, Scythae ad paludem Maeotidem et Aegyptii, *turbant*, trepidant; nam et ipſi turbas faciunt, qui perturbantur, vt ſaepe alibi. Fundum rei videbis apud Sueton. Octau. 94, vbi ex Iulio quoque Maratho fabula affertur de prodigio ante paucos, quam Auguſtus naſceretur, menſes Romae facto, *quo denuntiabatur, regem populi Romani Naturam par-*

Et ſeptemgemini turbant trepida oſtia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obiuit;
Fixerit aeripedem ceruam licet, aut Erymanthi

801 *tumida* legerunt nonnulli apud Cerdam: perperam. 802 *obibat* duo Heinſ. *obibit* Rom. 803 *Fixerat* Rom. et alii Pier. etiam Cariſius. Item Goth. tert., male. *aenipedes* praeferebat Heinſ. ad Ouid. Ep. 6, 32. 12, 93. *atque E.* emendabat Marklandus ad Statii Silu. pag. 261, haud dubie et hoc bene, nec tamen neceſſe: Nam mira eſt in his poetarum variatio, ſi quis longiore vſu ad haec attenderit; et rationem illa habet, poſſunt enim eiusmodi enumerationes pluribus modis conſtitui: ſequendum autem poetae eſt illud, quod a vulgari more recedit. Iam autem vulgare eſſet *atque — et*. At alterum, quod idem vir doctus proponit, vt, ſi *aut* retineatur, mox etiam *aut Lernam* ſcribendum ſit, multo minus ſequar.

turire. Scilicet ſtultiſſima ſuperſtitione laborabat Auguſtus. v. Sueton. c. 92. Vbi autem ſunt, qui tali ſuperſtitione ducantur, ibi nec deſunt, qui fraudem leuitati faciant, et modo rebus ſuo iam euentu manifeſtis, modo animis in incerto fluctuantibus, praedictiones egregie inuentas in medium proferant. Quod nunquam frequentius quam a bellis inde ciuilibus factum. v. argum. Ecl. IV. Adulationis genus iſto tempore non obſcurum erat, venditare imperatoribus vaticinia ac praeſagia, quibus ipſis iam olim imperium aut inſignis aliqua felicitas fuiſſet oſtenſa. Ipſe Ioſephus Veſpaſiani voluntatem tali commento captabat. Si quod aliud melioris philoſophiae bonum noſtra aetas videt, hoc inprimis memorandum eſſe arbitror, quod diuinationum vanitate liberati ſunt hominum animi.

802—806. Tandem expeditiones et itinera Auguſti commemorat. vid. ſup. ad v. 792, comparatione facta cum *vago* (ap. Horat. III Od. 3, 9) Hercule et Baccho. In Herculem paullo iniquior eſſe videtur poeta, quod ex eius erroribus tantum laudat eos, qui per Arcadiam facti ſunt; Auguſti comparati magnitudo eo ipſo attenuata eſſe videtur. Hoc idem video Schraderum obſeruaſſe ad Muſaeum p. 315. *Cerynitis*

Pacarit nemora, et Lernam tremefecerit arcu.
Nec, qui pampineis victor iuga flectit habenis,
Liber, agens celso Nysae de vertice tigris.
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

804 *Pacarit*, quod res exigebat, e libris Pier. et suis reposuit Heins., quem vide. Vulgo *placarit*. ed. Ven. *placaret*. Rom. *pacaret*. Mox *tremefecerat* aliquot Pier. cum Rom. 807 *dubitemus* Goth. tert. In altero hemistichio magna lectionis varietas. Receptam tuetur Medic. Sed quaeritur, quid sit, *virtutem extendere factis. vitam, aeuum, extendere*, et *nomen, memoriam, famam, extendere*, sollemnes loquendi modi sunt; sed non *virtutem*. In Rom. legitur: *virtute extendere vires;* item in tribus Moret. pr. Rottend. Montalb. altero Mentel. a m. pr. Erf. et in edit. Iunt. Etiam Pierius plerosque alios codd. id a m. pr. exhibuisse obseruauit, sed erasa scriptura fere superscriptum *virtutem* et *factis*. Ex Heinsianis pr. Mentel. *virtute e. factis*. Gudianus: *virtutem e. vires*, vel *factis*. tert. Rottend. *virtutem e. factis* vel *viribus*. alter Hamb. *factis e. vires*. Heinsio inter haec omnia se ea lectio probabat: *virtute extendere vires*. Nec tamen insolentem, et meo sensu exilem, loquendi modum (esset: omnes vires exerere fortiter agendo) illustrare satis potuit. Meo qualicunque

cerua etiam Graecis χαλκόπους, qua voce pedum robur et velocitatem prisci homines declarabant; sed melius poetae rei miraculum retinuerunt. Ad Arcadiam illa spectat, vti etiam Erymanthius aper et Hydra Lernaea. *Fixerit* haud dubie ad telum pertinet; atqui debuit cerua viua capta esse. vid. Apollodor. II, 5, 3; aut igitur alium auctorem sequutus aut loquutus est parum accurate: *figere* pro capere. 805. 806. De Bacchi ex India triumpho agit, in ea Nysa vrbs cum monte Mero, qui et ipse Nysa dictus. Infinitae de his fabulae, collectae a Nonno in Dionys. Praeter Diodor. II, 38, cf. Strab. XV, p. 687. *qui flectit iuga*, biinges tigres, ex v. seq. *pampineis habenis*, pampino circumvolutis et implexis.

807. 808. Bona Seruii nota: *dubitamus pro dubitas. Miscuit personam suam. Est autem sensus: cum tibi tanta sit praeparata posteritas, dubitas virtutem*

Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?

iudicio *vires* ex glossemate vocis *virtutem* subnatae sunt, easque equidem omnino respuam. Alio loco inf. X, 461 occurrit: *sed famam extendere factis, Hoc virtutis opus*, vnde facilis suspicio, vt et h. l. *virtute extendere famam* fuisse coniicias; et sic iam coniecerat Burmannus, vel *vitam;* vt *vitam extendere* alii dixere. Silius IX, 375 *breuis hoc aeui quodcunque relictum est Extendamus, ait:* probat prius *famam* etiam Io. Schrader. Bona haec sententia et sollenni mori loquendi accommodata. Enimuero eadem ex vulgari lectione non minus exit: *virtutem*, adeoque gloriam, virtute partam, *extendere factis*. Supereſt alia lectio, *virtutem extendere fatis*, ex Goth. sec. Sprot. Doruill. Ven. et Reg. a m. sec., vt sit *virtutem extendere*, ad ea, quae restant, discrimina et labores, *fatis*, ad fata explenda, vt sit tertius casus, in cuius gratiam. Habet et haec, quo se tueri possit. Est tamen forte nimis arguta; et auctoritas maior codicum adest vulgatae. 808 *terras* Goth. sec.

factis extendere? id est gloriam. In sententiam itaque poeta mutauit, quod ad solum Aeneam spectat: cuius obiurgatio est tacita et increpatio: cum tam clara tibi, o fili, subnascitura sit posteritas, quin tu fortiter labores toleras, et ad occupandam Italiam strenue pergis. Eodem iterum redit inf. 889 *Quae postquam Anchises natum per singula duxit, Incenditque animum famae venientis amore: Exin bella viro memorat* etc. De sententia dubitare non licet. Sed in verbis est obscuritas et ambiguitas: quae duplici modo expediri potest. Scilicet *virtus* dicta esse potest pro gloria virtute parta, vt contra κλέος pro virtute dicitur; ita pro simplici, strenue res gerere, poeta ornate dixit, *virtutem*, nominis gloriam, famam, κλέος *extendere factis*. Si vero *virtutem* proprie dictam malis, tum *extendere* exquisitiore modo dictum accipe, aut vt sit virtutem intendere, cum contentione, in futuros casus, *factis*, vel in facta vel per facta clara et fortia; aut vt sit *virtutem extendere* dictum pro vulgari, exerere, exercere, ea vti, adeoque *per facta*. *Extendere* enim modo ad *numerum*, modo ad *temporis interuallum*, modo ad *res* refertur. Amant itaque poetae hanc vocem, vt ornent notionem simpli-

Quis procul ille autem ramis insignis oliuae
Sacra ferens? nosco crinis incanaque menta
Regis Romani; primus qui legibus vrbem
Fundabit, Curibus paruis et paupere terra

811 *Romani Regis* alii ap. Pier. *primam qui* Rom. Medic. et potiores reliqui Pier. et Heins., itaque Heinsius receperat; sententia tamen vix idonea. Pierius videtur accipere, vt sit *primam*, nuper conditam, recentem; sed hoc latinum non est; Heinsius vero sic, vt sit positum eleganter pro, primum; ita vero *primis* dicendum erat, et cum *legibus* iungendum. *Primum*, id est, *in principio*, Medic. Pierii; at Seru. ed. Mediol. et aliae vett. inde ab Aldd. *primus*, quod recte reuocauit Burmannus. Sic quoque Goth. pr. 812 *Coribus* Gud. *prauis* Sprot. *p. regno* apud Priscian. lib. VII.

cem. Sic pro *exigere vitam, aetatem*, malunt *extendere*. Sic *vitam bona spe extendere*, exigere. Aeschyl. Prom. 537 Ἠδύ τι, θαρσαλέως τὸν μακρὸν τείνειν βίον Ἐλπίσιν, pro bonam inter spem vitam exigere. Quid? quod adeo in Plauto occurrit Bacch. III, 3, 26 *Ibi* (in palaestra) *suam aetatem extendebant*, exigebant. Conuenit cum hoc more loquendi nota forma: *noctem proferre, producere*, vino, sermonibus; et ipsum *tendere;* Horat. I, Ep. 5, 11. *impune licebit Aestivam sermone benigno tendere lucem:* exigere, quam longa illa est. Cum poetam nostrum, vt epicum, doctius loquutum esse probabile sit, postrema haec ratio verior esse videtur; expeditior est prima. Bene porro v. 808 firmatur Aeneae animus ad sedem in Latio figendam.

809 — 813. Numa Rex, pacis tutela religionumque cura insignis. *Quis procul.* Seruius: „mira autem vtitur phantasia; vt quasi ostendat, se non agnoscere eum, qui de gente Romana non fuerat;“ nescio an nimis subtiliter. Anchises et hanc et reliquas animas prospectabat e longinquo 754. *sacra ferens*, proprie de sacerdotibus v. ad Ge. II, 476, h. l. bene de sacrorum et religionum conditore. *crines incanaque menta.* Talis eius imago, vt fama sic acceptam

Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriae, residesque mouebit
Tullus in arma viros, et iam desueta triumphis
Agmina. Quem iuxta sequitur iactantior Ancus,
Nunc quoque iam nimium gaudens popularibus auris.

813 *quoi* libri Pier. *qui* Medic. 814 *rumpit* Menag. pr. 815 *disſueta* duo apud Burm. cum ed. Ven. *deuicta* Hugen. At Romanus: *et magnum deinde triumphum*, aut, vt a Bottario exhibitum: *virum magnis deinde triumphis.* 817 *Hunc q.* Franc. *gaudet* Hamb. pr. *aruis* Medic. a m. pr. *armis* sec. Moret. Seruium Tullium desiderat Burm., nec bene omitti potuisse censet; itaque Franciani, leuissimi codicis, lectionem probat: *Hunc quoque* sc. sequitur *iam nimium gaudens popularibus auris;* vt designetur Seru. Tullius, quem populo studuisse traditum vtique est a parte scriptorum: v. Dionys. IV, 8. At enim durum hoc est, vt nomen ita subintelligendum sit; tum vox *iactantior* superiore versu satis arguit versum hunc nec minus ad Ancum spectare: Seruium omittere licebat poetae; possit quoque caussa, si necesse sit, satis speciosa afferri, quod is alienigena et in seruitute natus erat, nec adeo ad Anchisae posteritatem referendus. Pompon. Sab. inter Tarquinios bene numerari potuisse Seruium putabat.

esse appareat, in numis gentis Calpurniae, Marciae, et Pomponiae occurrit. cf. Dionys. II, 58: ἀξιώσει μορφῆς βασιλικὸν fuisse narrat. venit *in imperium magnum*, certe fatorum decreto tale futurum aliquando.

813—815. Liu. I, 22 Tullus Hostilius: *Hic non solum proximo regi dissimilis, sed ferocior etiam Romulo fuit. desueta triumphis*, ornatius, quam, bellis.

816. 817. De Anco Marcio, quasi is fauorem populi captauerit, adeoque superbior in patres fuerit, alios auctores habuisse Maronem necesse est, quam quos Liuius et Dionysius ceterique sequuntur, qui ad nos peruenerunt. conf. Var. Lect. Ex Seruio seruatum videtur, quod Pomponius Sabinus adscripsit: Ancus Martius — *viuente Tullo aegre ferebat, cum e stirpe regia se*

Vis et Tarquinios reges, animamque superbam
Vltoris Bruti, fascisque videre receptos?
Consulis imperium hic primus saeuasque secu-
ris
Adcipiet; natosque pater, noua bella mouentis,
Ad poenam pulcra pro libertate vocabit,
Infelix! Vtcumque ferent ea facta minores;
Vincet amor patriae, laudumque immensa cupido.

818 *Vin'* Doruill. *Tarquinos* male legi obseruat Pier. et Dorvillius ap. Burm. *animam superbam* Seruius ad Tarquinium refert; hoc quoque male. 820 *primum* tres apud Burm. 821 *gnatosq.* plerique Pier. *patri* Vratisl. *b. gerentes* Zulich. a m. pr. 823 *ferant* Goth. sec. *ea fata* erat vulgata lectio, quam Pierius prae oculis habebat: sed in *facta* omnes eius et Heinsii libri consentiunt, binis exceptis, cum Doruill. et ed. Ven. *nepotes* Goth. sec., et sic Macrob. IV, 6, vbi et *facta* leguntur. Porro versu hoc ad superiora retracto aliquis sententiam absolutam habere possit: *Infelix, vtcumque ferent ea f. minores;* sc. quamtumuis posteri id facinus laudibus summis praedicent (vt *ferre* simpliciter sit, laudibus efferre). Verum *vincet amor p.* Et in hunc sensum interpretari videtur locum Augustinus de C. D. III a Pierio in medium productus. Sed praestat vulgaris ratio: vt disiungantur a superioribus postrema: *Vtcunque — minores: Vincet a.* 824 *Vincit* Witt. *laudumque immensa cupido;* malis hoc abesse, quippe quod

iactaret (erat Numae nepos ex filia), *praelatum sibi Tullum. Itaque statuerat, fauore populari, Tullum regem cum tota familia occidere.*

818. 819. *Vltor Brutus,* qui Tarquinii superbiam et Sexti libidinem vltus est. *fasces receptos,* regiam dignitatem et imperium a Regibus in Coss. translatum.

820—824. Vid. Liu. II, 3—5. Bruti factum qui reprehenderent, iam Virgilii tempore fuisse credendum est; itaque ab Anchise adiectum: in quamcunque partem hoc factum interpretaturi sint posteri, ipse in fumendo a filiis supplicio sequetur id, quod patriae amor et gloriae cupiditas suadebunt.

Quin Decios, Druſosque procul, ſaeuumque ſecuri
Adſpice Torquatum, et referentem ſigna Camillum.
Illae autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animae nunc, et dum nocte prementur,
Heu quantum inter ſe bellum, ſi lumina vitae

pulcerrimam laudem corrumpit: ſaltem ad noſtrum ſenſum. An vero ad Romanorum quoque iudicium? Etiam Io. Schraderus expunctum hemiſtichium eſſe malebat. 825 *Quin Decios Brutosque* Rom. 826 *et* deeſt Hamb. pr. et Goth. ſec. 827 *Illi quos* ſec. Moret. *fulgere* v. Seneca N. Q. II, 56. *in auris* pr. Hamb. 828 *et nunc dum* ed. Ven. *prementur* e Pier. et binis ſuis Heinſius recepit. Accedit Zulich. Vulgo *premuntur*, quod bene poterat locum tueri. 829 *limina* ſec. Rottend. Witt. Erf., perpetua varietate. vid. h. l. Heinſ. et Burm. ac Cerda. Sed h. l. *lumina* vnice vera; nam et plus dignitatis epicae ineſt, et praeceſſerat: *nocte* de ſtatu animae ante vitae ingreſſum. Nec vero Pompeius et Caeſar bellum ciuile mouerunt ſtatim *ſub vitae ingreſſum*, quod inferrent iſta: *ſi limina vitae attigerint.*

825. 826. *Decii*, pater et filius, qui ſe pro patria deuouerunt, alter bello Latino, alter Gallico. *Druſi*, Liuiae cauſſa laudati; ex iis M. Liuius Salinator b. Punico II clarus, et M. Liuius Druſus Trib. pl. At Druſum Liuiae f. eiusque victorias de Germanis male in tempora Virgilii aduocant Inttp. De T. Manlio Torquato Imperioſo v. Liu. VIII, 7. *referentem ſigna Camillum;* retulit, recepit ſigna a Gallis capta in pugna Allienſi. conf. Liu. V, 37 et 49.

827—836. De Caeſare et Pompeio. *paribus armis*, vtpote vterque Romanus. vt Georg. I, 488 *paribus concurrere telis* Romanos viderunt Philippi. Et Lucan. I, 7 *infeſtisque obuia ſignis Signa, pares aquilas et pila minantia pilis.* *nocte*, ante ingreſſum vitae, quae ſupra *lux* erat v. 761, et mox v. 829 *lumina vitae.*

Adtigerint, quantas acies ſtragemque ciebunt!
Aggeribus ſocer Alpinis atque arce Monoeci
Deſcendens; gener aduerſis inſtructus Eois.
Ne, pueri, ne tanta animis adſueſcite bella;
Neu patriae validas in viſcera vertite vires.

830 *Attigerunt* Goth. tert. *quantis* tert. Rottend. *ſtragesque* quinque Burm. 831 *Menoeci, Menoeti, Moneti, Moneci, Minoeci, Monete*, aberratt. codd. At eſt Μονοίκου λιμήν. 832 *Discedens* Puget. *auerſis* Medic. a m. pr. et Leid., in quo mireris Heinſium otium perdere. 833 *adnectite* Puget. 834 *Heu* Goth. pr., et *inualidas* idem. *vertere* Montalb.

831. Iulius Caeſar in Pompeium arma mouebat e Galliis. Etſi vero Rauennae tum ſubſiſtebat cum vna legione, tamen, cum ceterae legiones ex hibernis (v. de B. Ciu. I, 7), adeoque maior copiarum pars ex Gallia Transalpina eſſet arceſſenda, auguſta rerum ſpecie ab Alpibus deſcendere eum narrat. Alpes declarat per *aggeres Alpinos* et *arcem Monoeci*, h. e. promontorium cum templo et portu Herculis Monoeci, ſub Alpibus maritimis non longe a Nicaea ſitis, qui nunc *Monaco* eſt. Alienum itaque eſt non magis ab hiſtoriae veritate, quam a poetae conſilio, aut cogitare, Caeſarem ipſum per haec loca in Italiam deſcendiſſe, aut ad reditum Caeſaris ex Hiſpania haec referre. Nec melius rem expedit Burmannus. Videas tamen audacter haec in deſcriptionibus et hiſtoriis Italiae repeti (v. c. *Obſſ. ſur l' Italie* T. III, p. 282), et monſtrari turrim ſuper monte Turbia, qua transitu facto Caeſar iter in Italiam clauſerit; quam Tropaeorum Auguſti ruinas alii eſſe pronuntiant, vt ex Holdsworthio didici. Pompeium copias ex Oriente contraxiſſe quis neſcit? 833. *ne adſueſcite bella*, pro vulgari: adſueſcere bellis. Ante oculos fuiſſe credunt Iliad. η, 279 de Hectore et Aiace ſingulari certamine pugnantibus: Μηκέτι, παῖδε φίλω, πολεμίζετε, μηδὲ μάχεσθον. 834. Imitatio Lucani eſt I, pr. *populumque potentem In ſua victrici conuerſum viſcera ferro.* 835 Statius hinc petiit Theb.

Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo;
Proiice tela manu, sanguis meus.
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, caesis insignis Achiuis.

836 *sanguis pius* ex Rufiniano de Schem. Dian. p. 36 (ed. Ruhnk. p. 267) iam Ge. Fabricius laudauit; nec dubito vi ac poteſtate ſententiae eſſe praeferendum; etſi Rufinianus in interpretatione argutias captat, quaſi poeta tecte Caeſarem vituperare voluerit, cum dicere manifeſte parum tutum eſſet: *Nam ſimul cauſſam belli ciuilis oſtendit in Caeſare fuiſſe, dum dicit,* priorem *illum debere parcere; ſimul dolorem confeſſa* (an *re confeſſa?* nam ſenſus: vt ipſi Caeſari talis confeſſio exprimatur) *et in iudicio ſuo quaerit, tamquam ideo parcere* prior *debeat, quia ſit Anchiſae* pius ſanguis *et ab Olympo genus ducat.* Fatendum tamen, alterum *ſanguis meus* affectus plus habere et ad naturae veritatem melius eſſe comparatum. 838 *currus* multi ap. Heinſ. et Burm., minus bene. *currum* Medic. quoque agnoſcit, nec non Rom. cum Aruſiano Meſſo.

III, 239 *vos, o ſuperi, meus ordine ſanguis, Ne pugnate odiis.* Notata loca a Cerda. Verſus 835. 836 ad clementiam Caeſaris referuntur. Cur Caeſarem potiſſimum appellet, cauſſa allata eſt in hoc ipſo: *genus qui ducis Olympo,* ſc. per Iulum ſeu Aſcanium.

837 — 841. Duo verſus 837. 838 ad *L. Mummium Achaicum* pertinere, dubitari nequit; neque probari poſſe puto Harduini ad Plinium T. II, p. 646 ſententiam, qui totum locum v. 837—841 ad Caeſarem retrahebat. Repugnat *ille ille,* et *triumphata Corinthus,* et reliqua. Poetam ordinem temporum hiſtoricum ſtudio certo haud ſequi, iam multis exemplis vidimus. Liberius, prouti adſtant animae, eas excitat. Mummium autem potiſſimum commemorat non tam inſigniore aliquo inter ceteros magnos viros merito, quam quod *Achiuos,* Graecos, bello Achaico confecto, profligavit, re ad hominis Troiani ſenſum grata. At qui vſſ. ſequuntur, ad quem ex Romanis ducibus referendi ſint,

Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas,

obscurum videtur. Ad eundem Mummium ne referas, vel τὸ *Ille* intercedit, quod diuersum aliquem designat. Veteres Pyrrhum Epiri R. respici crediderunt, a Curio et Fabricio victum, qui in noto Ennii versu *Aeacides* dictus, nam genus ille ab Achille et Aeaco ducebat; sed reliqua in his verss. memorata in eum non cadunt; vnde vana Virgilii reprehensio nata apud Gell. X, 16. Iniquior est Grammaticorum strictura apud Pompon. Sab. *Hoc carmen putant e textu delendum esse; nam Virgilius procul dubio si correxisset, fuisset exemturus; nisi aliquid adspexerit nobis incognitum.* Minimae difficultates sunt, si cum viris doctis apud Cerdam et ad Gell. l. c. *L. Aemilium Paullum* Persei victorem Aeneae ab Anchise ostendi putes. Cogitandum autem, nos in vaticinio versari; neque adeo, quod in sacris Iudaeorum vatibus fere interpretes male faciunt, ad proprietatem orationis et historiae subtiliter omnia esse reuocanda. Quin poeta vaticiniorum ambiguitatem et obscuritatem studio affectasse videri debet. Graeciae opes iam ante Corinthum excisam fractas, Macedonia deuicta, indicaturus, *Argos* ac *Mycenas* nominat, in veterum historiarum memoriam iucundam simul et augustam: vt iam lib. I, 283 — 285 factum vidimus; quem locum cf., item Ouid. Fast. VI, 47, vbi Iuno: *Poeniteat Sparten Argosque measque Mycenas Et veterem Latio supposuisse Samon:* h. e. subiugasse. Quantopere autem victoria de Macedonum Rege Perseo afflixerit Graeciam, ex Liuio intelligas XLV, 31 seq. Ad tempora belli Troiani a poeta accommodata sunt reliqua, praeclare vtique, si haec Aeneae repraesentata memineris: itaque Perseum victum appellauit *Aeaciden*, ab Achille oriundum; quid enim ad Troianorum sensum laetius cogitari poterat, quam Achillis posteros aliquando Troianis esse poenas daturos calamitatis Troianis illatae et euersae vrbis adeoque templorum Troiae violatorum et direptorum; sed ingeniose

Ipſumque Aeaciden, genus armipotentis Achilli; 840
Vltus auos Troiae, templa et temerata Mineruae.

vnum aliquod facinus, vt poeta, et inprimis Aiacis impietatem in Caſſandram memorat, tamquam nefandum inprimis ſcelus, quo Achiui deorum irae et vindictae ſeſe obſtrinxerant. cf. ſup. I, 39 ſqq. Auguſtior adeo rerum ſpecies redditur etiam hic religione illata. Quod autem Perſei genus ad Achillem referri ſit ſolitum, ex Propertio illuſtratum eſt IV extr. 39: *Et* teſtor eum, *Qui Perſen, proaui ſimulantem pectus Achillis,* Et tumidas *proauo* (hoc nunc emendatius legitur meliore Santenii iudicio) *fregit, Achille, domos,* (ſic coniunge: h. e. Paullum teſtor, qui Perſen vicit et Macedoniam ſubegit, pro qua memorat gentem regiam ab Achille origines petentem) et ex Silio XV, 291. 292 de Philippo Perſei patre: *Hic gente egregius, veterisque ab origine regni Aeacidum ſceptris proauoque tumebat Achille.* Quomodo Macedonum reges ab Achille genus ducere potuerint, qui Heraclidae erant, in tanta commentariorum in vtrumque locum mole neminem vidi docere. Videtur ad maternam ſtirpem ab Olympiade eſſe redeundum, quae erat Neoptolemi, Epiri R., filia. vid. Iuſtin. VII, 6. Hac ratione vniuerſe ſeruata, de Perſe tamen, an ad eum v. 840 referendus ſit, adhuc quaeri poteſt. Cum enim multo magis obuium ſit, Ennii exemplo, *Aeaciden* de Pyrrho Epiri R. aut eius progenie accipere, quid ſi Regem pro regno, adeoque pro Epiro, dictum aut *Aeaciden* pro, *Aeacidas,* Epirotas, dictos habeas: *Eruet ille,* Paullus Aemilius, *Argos, Mycenas, ipſamque Epirum;* vt Paulli incredibilis immanitas reſpiciatur, qua vna die tota Epirus direpta et LXX oppidorum muri fuerunt diruti. vid. Liu. XLV, 34. Strabo VII, pag. 496. Plutarch. in Paullo pag. 271. Videtur ſic, tamquam ad excuſationem, ſubiectus eſſe v. 841 *Vltus auos Troiae, templa et temerata Mineruae.* Ineſt his argutum aliquid, quod placere poſſit. Minus bene per *Aeaciden* Theſſa-

Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Coſſe, relinquat?
Quis Gracchi genus, aut geminos, duo fulmina belli,
Scipiadas, cladem Libyae, paruoque potentem

842 *aut* deeſt Medic. a m. pr. *Conſe* Rom. *Quoſſe* Zulich. *Colſe* Goth. tert. Quam lectionem huius verſus Ge. Fabricius in Donato inuenerit, non aſſequi licet. 843 *bello* Gud. a m. pr. 844 *paruoque nepotem* Goth. tert., ridiculo ſtupore.

liam, tamquam Graeciae, iam per Argos et Mycenas deſignatae, partem tertiam, intelligas, cuius fortuna cum Macedoniae calamitate fuit ſatis coniuncta; etſi in ea erat *Phthia*, Achillis patria, qua cum Mycenis et Argis iunctim memorata Graeciam declarari iam lib. I, 284. 285 vidimus in ſimili loco: *Quum domus Aſſaraci Phthiam clarasque Mycenas Seruitio premet ac victis dominabitur Argis.* Sufficit per ſolitas vaticinii ambages vſſ. 839—841 hoc vnum declarari: Ille alter, Paullus Aemilius, Graeciae opes iam ante priorem illum, Mummium, franget. Si tamen, qui *Aeacides* ſit, definiendum eſt: ſimpliciſſimum eſt de Perſeo cogitare. In eo, quod poſt *Eruet Argos, Mycenas*, adiectum eſt, *Ipſum Aeaciden*, haerendum non eſt: ſit enim communi vſu, vno verbo accommodato ad plura ſubiecta: adeoque nunc eruet pro, proſternet, vincet Aeaciden.

842 — 845. Notiſſimi in rebus Romanis viri. *Cato* eſt maior, M. Porcius, qui et ab aliis inter magnos viros memoratus eſt: Vticenſis non bene inter Coſſum et Gracchos locum haberet; etſi in Auguſti gratiam hunc omiſiſſe videri non debet. v. Horat. I Carm. 12, 35 et inſ. VIII, 670. De A. Cornelio *Coſſo* ſpoliis opimis claro v. Liu. IV, 19. 20. *Gracchi genus;* reſpicit maxime Ti. Sempronium Gracchum, b. Punico II clarum. *Scipiadas*, int. Africanum maiorem et minorem; nam adiectum: *clades Libyae*, Carthaginis alter victor, alter euerſor. *fulmen belli* de Scipionibus proprio aliquo modo dictum fuiſſe, ex locis apparet a Cerda aliisque lau-

Fabricium, vel te sulco, Serrane, serentem? 845
Quo fessum rapitis, Fabii? tu Maximus ille es,
Vnus qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alii spirantia mollius aera,
Credo equidem, viuos ducent de marmore voltus;

845 *et te* Zulich. *nec te* Schol. Pers. *sulcos* emendabat Turnebus, sed *sulco* plus poeticae rationis habet pro, *sulcis*. *Serane* Mentel. Franc. Witt. Sed numi et marmora *Sarannus* vel *Serranus*. vid. Heins. et Perizon. Animadu. p. 24. 846 *Quo gressum r.* Rom. *capitis* Vratisl. *es* abest a Franc. 847 duplex Codd. familia: *restituis* Medic. cum al. *restitues* Rom. cum ceteris; non video cur hoc praeferam. Poetam decet, futura vt praesentia ante oculos ponere. *restituet* Leid. et ed. Ven. 848 *molibus* Witt. 849 *cedo* emendauit Markland. ad Stat. p. 5 sine idonea caussa. cf. Burm. *et viuos* aliquot apud Burm., haud dubie mollius. *viuos alicent* Menag. pr., librarii stupore.

datis. Praeiuit Lucret. III, 1047 *Scipiades belli fulmen, Carthaginis horror, Ossa dedit terrae proinde ac famul' infimus esset.* Spencius bene comparat locum de Caesare apud Lucan. I, 157 sqq. Ad versum hunc referri debet Silii locus XIII, 499. Fulmini assimulauit bellatorem iam Homerus Iliad. ν, 242. ἀστεροπῇ ἴκελος. atque inde Pindarus et alii. At illud tragicum, quod ipse heros ἀστεροπὴ πολέμου dictus. *paruo potentem Fabricium*, in parua re domestica diuitem; vti *contentus parvo* aliquis dicitur. De C. Atilio *Serrano* v. Plin. XVIII, 3, s. 4. Perizon. Animadu. Hist. c. 1.

846. 847. *fessum*, me longa oratione, cum de Fabiis tot dicenda restent. De Fabio *Maximo* Cunctatore versus debetur Ennio.

848—854. Locus haud dubie e nobilissimis, quo Romanorum ingenia et laudes cum Graecis, nam ad hos potissimum respicere videri debet, comparantur. Graeci praestabant artium elegantia; ex iis poeta aeris fundendi marmorisque sculpendi artem memorat; felix idem est in verborum dilectu: *aera spirantia* statuae, quae vivos viros reddere videntur;

Orabunt cauſſas melius, coelique meatus
Deſcribent radio, et ſurgentia ſidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento;

850 *Orabant* Gud. *Solisque* l. *Phoebique meatus* em. Io. Schrader., ſed *coeli m.* ſunt ſiderum meatus. 851 *Deſcribunt* ſec. Moret. *radios* Goth. tert. *lumina* Menag. pr. *ducent* Parrhaſ. cum Goth. tert., perpetuo lapſu.

et *mollius*, nam proprium in ſignis hoc. v. Quinctil. XII, 10, 7. Scilicet partim ad veritatem naturae, corpore et carne tamquam ad tactum molliter aere vel marmore reddita, partim extremitate formae caſte et molliter circumducta et circumlita. Non male autem Vrſinus praeclarum Pindari de Rhodiis locum comparat Olymp. VII, 91 — 99. Graeci porro praeſtabant eloquentia, et quidem forenſi, *Orabunt cauſſas melius*, et philoſophicis mathematicisque ſtudiis; at enim, id quod poetam decebat, ex iis vnum genus poſuit Maro, aſtrorum ſcientiam: *caeli meatus*, h. e. ſiderum curſus, *deſcribent*, definient in ſphaera caeleſti, *radio*, virga, petitum a geometricis figuris, quae in puluere ducebantur. vt Ecl. III, 41 *Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem.* At Romanis proprias artes eſſe contendit, vt imperent terrarum orbi, et aut in foederum aequas leges recipiant, qui ſe ad eorum amicitiam applicant, aut eos, qui arma ſumant, debellent. Tantum verba ſubiiciunt; *pacis morem imponere*, h. e. legem, foederum leges et conditiones; *parcere ſubiectis*; nam volebant Romani videri clementes et moderati erga victos, et erga ſocios benigni et liberales; ſcilicet ſi nihil ab iis metuerent et ab opibus eorum auctis vtilitatem ſibi ipſis promittere poſſent. Ad Auguſtum transtulit Horat. C. S. 51 *bellante prior, iacentem Lenis in hoſtem.* At viri docti in his verſſ. ſcientiam ciuilem, ſeu politicam, legum ferendarum et militarem, expreſſam a poeta, verbo, ſtudia pacis et belli Romanis tributa tamquam propria, volunt; ſatis argute, ſi modo vere. Sal-

Hae tibi erunt artes; pacisque inponere morem,
Parcere ſubiectis, et debellare ſuperbos.
Sic pater Anchiſes, atque haec mirantibus addit:
Adſpice, vt inſignis ſpoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros ſupereminet omnis!

853 *Haec* tres Burm. *pacique* multi ſcripti et editi inde ab Aldd. cum Rom. et Medic. Sed bene Burm. praetulit *pacisque* ex codicum parte Pier. Heinſ. et ſuorum non contemnenda; nam eſt, *morem pacis imponere*, h. e. leges pacis ponere, ferre, vt lib. I, 264; verba tamen vir doctiſſimus minus bene interpretatur. *pacisque i. amorem* Zulich. *pacique i. curam* pr. Hamb. *mores* Doruill. 855 *hoc* Ven. *his* alter Hamb. 857 *viris* alter Hamb.

tem ſic *pacis imponere morem* erit leges ponere, ſcribere, per pacem, in pace: ſere vt Aen. I, 264 *populosque feroces Contundet moresque viris et moenia ponet.*

855 ſqq. Sequitur locus ſumma cum arte et ingenii venuſtate elaboratus de C. Marcello, Octauiae f., ad quem vt deduceretur oratio, M. Claudium Marcellum bello Punico II clarum induxit. Narrationem de loco hoc coram Octauia lecto vide in Vita Virgilii §. 47 et Seru. ad v. 862. Reſpiciunt narrationem Senecae verba in Conſolat. ad Marciam 2. vbi de pertinacia doloris Octauiae: *carmina celebrandae Marcelli memoriae compoſita aliosque ſtudiorum honores reiecit.* Videri poteſt totus locus reliquo iam carmine abſoluto inſertus eſſe; nec tamen video, vnde viri docti hoc tamquam exploratum ſatis tradere poſſint.

856–860. *Spoliis opimis*, occiſo Inſubrium Gallorum duce Virdomaro. Liu. Epit. XX. vid. Perizon. Animadu. c. VII. Eadem ſunt v. 860 *tertia arma capta*, h. e. tertia ſpolia opima poſt Romulum et Coſſum, *ſuſpendet Quirino*, h. e. Romulo. Atqui ex Romuli inſtituto Ioui Feretrio ferebantur ſpolia opima. vid. Liu. I, 10. Sed potuit ſerioris aeui religio Romulum Ioui adiungere;

Hic rem Romanam, magno turbante tumultu,
Siſtet, eques ſternet Poenos, Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri ſuſpendet capta Quirino. 860
Atque hic Aeneas; vna namque ire videbat

859 Alii diſtinguunt poſt *Siſtet eques;* nil refert. *equis* Rom., quod male probat Pierius; eſt enim vulgare pro altero poetico. 860 *Triſtia* Rom. *patris* fragm. Vatic. a m. pr. *ſuſpendent* Franc. *rapta* malebat Markland. ad Stat. p. 277, vt iam Paſſeratius apud Guellium; ſic Ge. III, 32. Sed nec minus alterum bene dictum.

poteſt quoque dictum eſſe, quia conditori vrbis omnia praeclara poſterorum facta in laudem cedunt. Rem tamen alio modo expedit Seruius: *Poſſumus et, quod eſt melius, ſecundum legem Numae hunc locum accipere, qui praecepit, prima opima ſpolia Ioui Feretrio debere ſuſpendi, quod iam Romulus fecerat; ſecunda Marti, quod Coſſus fecit; tertia Quirino, quod fecit Marcellus.* Nec perperam haec tradita eſſe, intelliges, ſi Plutarchum euolueris in Marcello p. 302 C et locum Feſti apud Perizon. l. c. pag. 255 ſq., vnde conſtat vulgarem eam Romanorum opinionem fuiſſe et interpretationem Legis Numae, quae de tribus diuerſis ſpoliorum generibus erat lata. Poetam autem ſequi vulgarem opinionem fas eſt. Poſt haec omnia tamen manet hoc, ſpolia opima in eodem Iouis Feretrii templo fuiſſe repoſita. Propert. III, 10 f. *Nunc ſpolia in templo tria condita.* Nobilitata quoque eſt memoria Marcelli denario gentis Claudiae, in quo templum quatuor columnis in fronte ornatum ipſe ingreditur tropaeum geſtans. *tumultu* poteſt proprie dictum videri, imminente bello Gallico in Italia. vid. Cic. Phil. VIII, 1. Seru. inf. ad VIII, 4. *eques* v. 859 ex poetico ſermone ad maiorem dignitatem pro, bellator, dux. Occurrit et alibi.

861 — 867. Imitationem vide apud Silium XIII, 778 ſeqq., vbi de Homeri vmbra. Comparari quoque poteſt recenſus ſimilis apud Eurip. Phoeniſſ. 120 ſqq. 147 ſq. Summa populi R. de M. Marcelli, Auguſto ex ſorore ne-

Egregium forma iuuenem et fulgentibus armis,
Sed frons laeta parum, et deiecto lumina voltu:
Quis, pater, ille, virum qui sic comitatur euntem?
Filius, anne aliquis magna de stirpe nepotum? 865
Qui strepitus circa comitum! quantum instar in
ipso est!

862 *Egregiam formam* fragm. Vatic., felici lapsu. *et* deest binis Burm. 863 *fraus* fragm. Vatic. a pr. m. *d. lumine vultus* sec. Moret. *lumine vultu* tert. Rottend. 865 *an* ed. Iunt. 866 *Qui* Heins. recepit tamquam elegantius ex Gud. a m. pr., nonnullisque aliis. In fragm. Vatic. *Quistrepidus. est* abest a Medic. Rom. et plerisque vetust.; itaque Heins. expunxerat.

potis, virtutibus suscepta erat expectatio. vid. Dio Cass. L. III, 30 et Vita Virgilii ad a. 731. Est idem, de quo Horatius: *Crescit occulto velut arbor aeuo Fama Marcelli.* Elogia alia Interpp. notarunt ex Velleio II, 93 et Seneca Consol. ad Marciam c. 2. *frons laeta parum*, omen mortis immaturae. Volebant tamen viri docti frontem Marcelli tristem agnoscere in gemma artificis Epitynchani nomine per fraudem, quod suspicor, inscripta apud Vrsin. Imagg. n. 87, vbi v. Io. Fabri Comment., ad cuius similitudinem plures gemmas passim in idem nomen interpretati sunt: tres apud Lippert. Dactyl. et Capita Augusti et Marcelli iugata et velata Ficoronius edidit (*Vestigi di Roma antica ad* pag. 145). Auctoritatem tamen idoneam vbique desidero. Deprehendere quoque Marcellum sibi visi sunt viri docti in Achate Tiberiana et in numo Seguini, etiam a Spanhemio repetito de Vsu Numism. Tom. II, p. 316, in quo tamen caput iuuenile nullo cum argumento ad Marcellum trahi dudum docuere viri docti, et nuper monuit Eckhel. Catal. Mus. Caes. Vindob. P. II, p. 47. et nunc duo numos Marcelli caput praeferre dictos palam damnauit in Notit. Numor. vet. Vol. VI, p. 162. *quantum instar in ipso est*: verisimile fit, si id cogites, quod sententiae vis postulare vide-

Sed Nox atra caput triſti circumuolat vmbra.
Tum pater Anchiſes, lacrimis ingreſſus obortis:
O nate, ingentem luctum ne quaere tuorum;
Oſtendent terris hunc tantum fata, neque vltra

867 *Seu* Goth. tert. *volat triſti circum caput vmbra* Bigot. 868 *abortis* et hic eſſe lectum e Pierio apparet. 869 *O gnate* Medic. et al. *ſuorum* Oudart. pro Var. Lect. 870 *Oſtendunt* et *finunt* Schol. Statii, Theb. I, 586, prius etiam Gud. a m. pr. et Leid., et arridebat Heinſio. *hunc natum* Goth. ſec., ſed perperam;

tur, noue h. l. *inſtar* poſitum eſſe pro exemplo magnae dignitatis, ſpecie auguſta corporis. Nam, etſi non ignorem, quae disputata ſint a viris doctis, nuper repetita a Doruillio ad Charit. p. 333, non tamen ſatis acquieſcit legentis animus, ſi nihil aliud aſſumas quam: quanta ſimilitudo eius eſt ſc. cum patre; inprimis cum praeceſſerit: *Qui ſtrepitus circa comitum!* quod ſine dubio ad popularem fauorem referendum; expectas nunc aliquid, quod dignitatem oris et maieſtatem corporis commendet. Vs. 867 *Sed Nox* haud dubie pulcerrimi phantaſmatis. Grauiter dictum erat ab Homero Od. υ, 351 Ἆ δειλοὶ τί κακὸν τόδε πάσχετε; νυκτὶ μὲν ὑμέων Εἰλύαται κεφαλαί τε, πρόσωπά τε νέρθε τε γοῦνα. At ornatius Nox (pro Morte) circumuolat caput. Nocti, Somno, Morti, alas tribui, nunc nota res eſt. cf. Guell. Cerda, et ad Tibull. II, 1, 89.

868 — 887. Quantopere omnia haec ad affectum accommodata et dicta ſint, monere neceſſe non eſt. Sed fatendum eſt, feliciſſime haec a Voltario translata eſſe ad Burgundiae Ducem in Henriade Cant. VII *Quel eſt ce jeune Prince, en qui la majeſté* etc. *propria*, perpetua; vt iam alibi vidimus. cf. Cerda. 868. *ingreſſus*, infit. *Campus aget gemitus virorum*, noto more pro, in campo agetur, erit gemitus (vt ἄγεσθαι pro ἔχεσθαι, εἶναι) in funere Marcelli. Sed *funus* ſeorſum memorauit, et praeclare ad Tiberim retulit: quanto cum luctu funus factum videbis, cum ille tumu-

Esse sinent. Nimium vobis Romana propago
Visa potens, superi, propria haec si dona fuissent.
Quantos ille virum magnam Mauortis ad vrbem
Campus aget gemitus! vel quae, Tiberine, videbis
Funera, quum tumulum praeterlabere recentem!
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet auos; nec Romula quondam
Vllo se tantum tellus iactabit alumno.
Heu pietas, heu prisca fides, inuictaque bello
Dextera! non illi se quisquam inpune tulisset

nam ad virilem aetatem peruenerat, vt vel ex disputationibus virorum doctorum ad Propertium notum. *neque* reuocauit Burmann., Heinsius secundum potiores: *nec.* 871 *nobis* vnus c. Exc. Burm. 872 *Superis* Rom. et Doruill. a m. pr. *haec* abest ab Oudart. 874 *vel quot T. videres* ed. Ven. 875 *Funera* post *gemitus* et *tumulum* improbabat acutus iudex Schrader. in Mss. et coni. *munera:* vt 885 — 887. Conf. Not. *praeterlabare* Medic. a m. pr. cum aliquot aliis Heins. 877 *in tantam spem* ed. Ven. *in tanta spe* Witt. *in tantum spes* Rom. 880 *quisquam se* alii; et sic ante Heins. lectum.

labitur! De publico hoc in Marcelli funere luctu v. Dio l. c. et Seru. ad v. 862; funus autem in Campo Martio factum est ingenti cum apparatu. v. ibid. *tumulum recentem*, Mausoleum Augusti in Campo Martio ad ripam Tiberis, quod sexto suo Consulatu (V. C. 726) exstruxerat. Sueton. c. 100. cf. Strabo V, p. 236. Nunc 876. 877 pro vulgari: in tantam spem tollet eos; tantam de se spem faciet. vt et Gr. ἐλπίσιν ἐπαίρειν. 879. 880. egregia inuersio, dum post illa, neminem Romanorum cum ipso posse comparari, pergendum erat: *non iactabit se tantum vllo alio alumno Roma* nec pietate,

Obuius armato, seu quum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu, miserande puer! si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis:
Purpureos spargam flores, animamque nepotis
His saltem adcumulem donis, et fungar inani
Munere. Sic tota passim regione vagantur
Aeris in campis latis, atque omnia lustrant.

886 *Hic salt.* alii. Sed Heins. e codd. *His* reposuit, aut potius reuocauit; sic enim iam inde ab Aldo editum. *donis effungar* Mentel. pr. *inanis* Medic. et fragm. Vatic., vterque a m. pr. 887 *Munera* Menag. sec. 888 *Aeriis* Rom. et Mentel. duo, alter etiam sine *in*. *Aereis* Regius. Vulgatam etiam ap. Schol. Lucani legi notat Burm. Malim Virum doctum docuisse, quomodo *Aeris campi* accipiendi sint.

nec fide, nec virtute. 881. 882. Comparari solet Odyss. ι, 49. 50, sed ornatior Virgilius. 883. *Si qua* via ac ratione, *fata rumpas*, fatorum ordinem dissoluere, tam durum fatum effugere tibi liceat, tu ad M. Marcelli, b. Punico II clari, nomen ac gloriam es peruenturus. Nomen autem non nisi in fine demum memoratum, pleno iam erumpente animi affectu. Illa 884 — 886. *Manibus date lilia* etc. molliora forte sunt, quam pro Anchisae herois persona et temporibus; Virgiliani potius aeui habenda talis luctus testandi elegantia. Sunt tamen per se pulcerrima. 885. *animam accumulem donis* nota elegantia pro vulgari, dona, flores, in animam cumulem. *inani munere*, eo sensu, quo lib. XI, 51. 52. Duxit hinc versum pulcerrimum Statius Epiced. Patris V. Silu. 3, 285 *Ite* (Venite) *pii Manes, Graiumque examina vatum, Illustremque animam Lethaeis spargite sertis.*

887 — 893. *Aeris in campis.* Etsi aerem in Elysio spirare non dubito: conf. sup. Var. Lect. ad v. 704; cum tamen *aeris campi* insolente modo dicantur, spretis Grammaticorum apud Seruium et Cerdam argutiis putare ma-

Quae posiquam Anchises natum per singula duxit,
Incenditque animum famae venientis amore: 890
Exin bella viro memorat quae deinde gerenda,
Laurentisque docet populos, vrbemque Latini;
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
Sunt geminae Somni portae: quarum altera fertur

889 *Quem* Montalb. 890 *famae melioris* Medic. ex Colot., quod ex aliis locis translatum esse bene monet Heins. 891 *Exhinc* multi hic, vt et alibi solent. *Bella exinde* Franc. 893 *quocunque* ed. Ven. et Goth. pr. 894 *Somni* pro *Somnii* dictum esse cum aliis contendit Burm., quasi non elegantius poeta Somnum subsituat Somniis, vt toties alibi. *gemini* Goth. pr.

lebam graece dictum, pro locis caliginosis h. e. inferis. Sic ἀήρ, ἠερόεις saepe. et sup. 828 *noctem* de his locis haud refugerat. Sentio tamen et hoc molestiam habere: cum a campis Elysiis caligo abesse debeat; et sup. 640 lectum esset: *Largior hic campos aether et lumine vestit Purpureo, solemque suum, sua sidera norunt.* Scilicet ereptum iis est *caelum* nostrum; nam in inferis sunt; at habent *aerem* suum: aetherem illum purum et apertum. Dicamus ergo *Campos aeris* esse dictos locorum, qui tali aere, pro caelo, fruuntur. Pro interpretatione esse potest locus Statii sup. ad v. 637 adscriptus: nemus — *in quo falsa dies caeloque simillimus aether.* Dicta eodem modo *loca lucis,* fere vt 761. *viro* pro, ei. *Laurentesque docet populos,* nota inversam orationem, pro, quae bella gerenda cum Laurentibus h. e. Latinis ad Latini vrbem. Ad vaticinia igitur revocat poeta etiam ea, quae ab Aenea in Italia gerenda sunt. cf. Disquis. II, s. 6.

894—902. Cum emittendus esset Aeneas e locis inferis alia porta, quam qua ingressus erat; incidit Maro in duplices Somni portas, quibus veteres Somnia prodire luserant. vid. Excurs. XV. Fundus Odyss. τ, 562 seqq.

Cornea; qua veris facilis datur exitus Vmbris: 895
Altera candenti perfecta nitens elephanto;
Sed falsa ad coelum mittunt insomnia Manes.
His vbi tum natum Anchises vnaque Sibyllam
Prosequitur dictis, portaque emittit eburna:


895 *Cornua* Rom. et Doruill. *datus* alter Hamb. Totus versus Goth. tertio deerat. 897 Insolens videtur Trappio voc. *Sed*, et coni. *Quae*. Scilicet: altera meliore materia quidem et *candenti perfecta n. e.* Sed *falsa* etc. 898 *ibi* irrepsisse videtur in Burm. edit. Nam Heins. praetulit *vbi* cum Medic. et al.

Somnia sedem habere in Orci vestibulo, supra vidimus v. 274. 282 sq. *veris Vmbris*, pro Somniis; vi oppositi; scilicet somniorum genus est, quo mortuorum Vmbrae somniantibus offerunt se, interdum vt Furiarum loco poenas expetant. v. ad Propert. IV, 7, 87 et al. Altera porta meliore quidem est materia, scilicet eburna, sed ex ea non ipsae Vmbrae, sed earum phantasmata seu Laruae, procedunt: Horatii *vana imago, quae porta fugit eburna, somnium ducens:* III, 27, 41. *nitens*, ornat; *perfecta*, τετυγμένη, vel vt Hom. αἱ δ' ἐλέφαντι τετεύχαται. *Manes*, h. e. inferi mittunt; ex inferis ad homines (namque id est, *ad caelum*) procedunt hac altera porta Laruae; haec, vi oppositi, esse debent *falsa insomnia;* vt sup. ad 888 e Statio memorabam *falsum* diem de Elysio: *In quo falsa dies:* non verus, sed similis huic nostro diei, nostro caelo, assimulatus; Non autem *falsa insomnia* sunt fallentia, somnia, quae falsa rerum specie illudunt. Interpretatur locum Statius l. c. 288 Epicedii in patrem: precatur, vt se patris vmbra per somnum inuisat: *Inde tamen* (ex Elysio) *venias, melior qua porta malignum Cornea vincit ebur* (vult ergo patrem ipsum, veram eius vmbram se per somnum inuisere) *somnique in imagine monstra, Quae solitus* (sc. eras monstrare, dum vivebas.) Nec vero ad poetae consilium vllo modo referenda sunt, quae hic, mythici

Ille viam secat ad nauis, sociosque reuisit;
Tum se ad Caietae recto fert limite portum.
Ancora de prora iacitur; stant litore puppes.

901 *recto limite* Ven. Montalb. pro Var. Lect. Bigot. et Witt., h. e. recta via, quod cur Heins. et Burm. non receperint miror, cum alibi minus graui auctoritate vulgatam mutauerint. Lapsus librarii in promtu est, in vulgata, *litore*.

tantum ornatus caussa, de somniis s. vmbris veris ac falsis, adiecit: ac si falsis ac fictis accenseri velit ipse ea, quae adhuc narrauerat. *viam secat*, τέμνειν ὁδὸν, nota res; quasi sulco pedum ducto. *recto limite*, vt recta via, v. Var. Lect. Tandem Pomponius Sab. „*Sic finit Homerus lib. XI* (Odyss. λ) *et Silius XIV*.“





EXCVRSVS I

Necyiae in poetarum carminibus frequentatae.

Conſentiunt in hoc, quos vidimus, omnes, rerum argumentis ornamentisque nullum facile alium Aeneidis librum tantopere tenere legentis animum, quam hunc ſextum. Quanto magis ille delectare debuit aut omnino veterum, qui ex poetarum lectione et puerili inſtitutione his mythis innutriti erant, aut Romanorum animos, qui extrema libri parte annales quodammodo ſuae gentis conditos, clariſſimorumque virorum recenſum factum, agnoſcerent? Iidem porro loca circa Cumas frequentabant, et iisdem religionibus, quae hic expoſitae ſunt, imbutos habebant animos. Sane quidem cum Homerus Necyomantiam ſuam in his ipſis locis Italiae exponeret, quandoquidem illa tum Graeciae inter ignotas, ſaltem parum cognitas, terras erat, maior vtique rerum narratarum nouitas et inſolentia, maiorque ad Graecorum animos admiratione mouendos vis eſſe

debuit; habet etiam maiorem auctoritatem narratio ex Vlyssis persona instituta; Virgilius tamen non minimum auxilii et praesidii ad suauitatem et delectationem hac ipsa recordatione, amplificatione et exornatione veterum fabularum, ex Homero aliisque notarum habuisse videri debet (Odyss. λ). Non enim vno loco seu superstitio illa seu fraus ludificata est hominum animos antiquioribus aetatibus, vt Manium euocationem fieri posse crederent; quod etiamnum inter feros et barbaros populos passim hominibus persuasum esse narrant qui eos adierunt. Procliuis enim esse solet rudium hominum animus, vt animas post mortem superstites esse easque iterum in vitam redire opinetur, quia interdum mortuorum species sibi per somnum obiectas viderat. Possunt etiam mentes fanaticorum aut morbo aut errore ita de statu deiici, vt videre et audire ea, quae non sunt, sibi videantur; adeo ante subtiliorem doctrinam de animarum immortalitate dudum similis aliqua persuasio hominum indoctorum animos tenuit. Facile itaque existere potuit, qui inter alia diuinationum genera etiam hoc vteretur, vt mortuos consuleret et ab iis responsa ferre videretur; contra, in hac, animae nostrae natura quae sit, ignoratione, difficile esse debuit, ista persuasione et fraude animum liberare. Obtinuit ea iam olim in Oriente, vt e sacris vatibus constat, tum in Graecia, Italia, aliis locis. Hinc poetarum ingenia materiam et ornatum carminum inde petierunt. Nec Homeri modo mythica sollertia in his se exercuerat; sed, Νεκυίας condere, res videtur fuisse veteribus poetis pluribus frequentata; vti plura etiam per Graeciam fuere Necromantia, antiquiore certe aeuo; nam talem superstitionem melior vitae cultura statim tollere debuit. In Minyade et in Νόστοις res inferas Orcique terrores fuisse tractatos, testatur Pausanias X, 28, et inter Hesiodea Thesei fuit cum Pirithoo ad inferos descensus, ibid. IX, 31, alius Herculis in Heracliis: quo factum, vt hic ipse Herculis descensus variis modis narraretur: conf.

Apollod. II, 5, 12 et Notas pag. 428 sqq. Platonis de inferis mythi, quos e teletis repetunt nonnulli, non aliunde forte erant petiti, quam ex poetis antiquioribus. Nec improbabile est, a Tragicis Graecis Romanisque in fabulis, quae de Hercule Theseoque agerent, passim de rebus inferis intextas fuisse narrationes, cum descensum ad inferos exponerent. Ita a veterum imitatore, Seneca, factum vides in Hercule furente. Plura eius generis occurrisse videntur in Theseo Euripidis, si compares Schol. Aristoph. ad Ran. 476 et al., qua ipsa in fabula Bacchi ad inferos descensus exhibetur. Rerum inferarum frequens quoque mentio in euocationibus vmbrarum, vti Tiresiae, et in Manium apparitionibus, vt in Euripidis Hecuba; vnde latine conuersum ab Ennio de Acheronte locum seruauit Cicero Tusc. Qu. I, 16 in Ennii fragm. Column. p. 242 *Adsum atque aduenio Acherunte vix via alta atque ardua, Per speluncas saxeis structas aspereis pendentibus Maxumeis; vbi rigida consistat crassa caligo inferum; Vnde animae excitantur obscura vmbra, aperto ostio Alti Acheruntis, falso sanguine mortuorum imagines.* Quid? quod etiam pictura attigit illa: est descriptio tabulae a Polygnoto factae Delphis in leschae pariete, in qua Necyia exhibita: Paus. X, 28, vbi verus Vlyssis ad inferos descensus sit. Alia Niciae tabula apud Plinium XXXV, 11 s. 28. Fertur tandem in teletis aliquando rerum inferarum adumbratio dramatica facta esse. Inter haec obseruatione dignum illud, a quam paruis initiis commenta haec et figmenta de conditione animarum post mortem profecta sint: condonanda vtique illa cupiditati mentis humanae, et mira aliqua iucunditate se commendantia, nec indigna, quibus immoretur ingenium erectius. Apud Homerum est *Tartarus* Titanum sedes et carcer; neque aliter apud Hesiodum res se habet, nisi quod Vranidae in iisdem collocantur: conf. inf. Excurs. VIII. Alius apud Homerum locus est *Elysium*, heroibus destinatus; alius *Hades*, s.

Orcus, h. e. omnino loca infera: in quibus promiscue habitant animae cum piorum tum impiorum: conf. Not. ad v. 608 huius libri. Exornauit Elysium Hesiodus, inde Pindarus Ol. II, 123 seqq.: de quibus alio loco dictum (Opusc. Tom. I, pag. 397 seqq. 400). At in Orco nouis fabulis exornando inprimis hominum ingenia se exercuere, cum in carminibus, tum in picturis, vt paullo ante dictum est.

Non igitur rem nouam et inauditam commentus videri debet poeta, cum descensum Aeneae ad inferos carmini intexeret. Enimuero ingenii sui diuini felicitatem declarauit in hoc, quod, cum eo aeuo viueret, quo Graeciae doctrina et sapientia satis iam vulgata erat, non in fabulis Homericae aetatis acquieuit, sed nouum suae Necyiae ornatum, eumque eximium, parauit ex philosophiae inprimis Platonicae placitis; ex quibus, etsi omnino inter magnorum poetarum inuenta etiam hoc est, vt vulgares et indoctas opiniones ad philosophicam aliquam doctrinam accommodent: hoc tamen inprimis consequutus est, vt non modo, Homeri exemplo, eos, qui iam ante Aeneam obiissent, verum posteritatem quoque in Aeneidem inferre, reique nouitate tantorumque virorum nominibus, auctoritatem carmini et suauitatem comparare posset. Sequuti idem inuentum sunt recentiores poetae epici; de quibus infra suo loco (Excurs. XIII) videbimus. Intellectu itaque facile est, varia et multa eruditione hunc librum esse refertum. Bene Seruius ad v. 1 *Totus quidem Virgilius scientia plenus est, in qua hic liber possidet principatum, cuius ex Homero pars maior sumta est. Et dicuntur aliqua simpliciter, multa de historia, multa per altam scientiam Philosophorum Theologicorum Aegyptiorum, adeo vt plerique de his singulis huius libri integras scripserint* πραγματείας. Forte ex his nonnulla inter grammaticas quisquilias Seruii sunt seruata, etsi ex iis pleraque poetae et

sententiam et elegantiam offuscant potius, quam illustrant. Ad poetae artem et ingenium referendum mihi videtur et hoc, quod, cum a vaticiniorum et praedictionum ambagibus maximum sibi epicae narrationis, quae animos rerum mirarum exspectatione detineret, praesidium petiisset, nunc quoque primum Troianorum ad Italiam accessum sacrorum et oraculorum religione quasi consecrauit, reique adeo summae miram dignitatem, et satis ad exitum iam spectantibus nouam tamen ex nouis Sibyllae responsis exspectationem parauit.



EXCVRSVS II

Locorum circa Auernum descriptio, seu topographia agri Cumani.

Libri huius vix satis magna esse potest suauitas, nisi locorum descriptionem oculis animoque subiectam habeas. Quam cum multi dederint, nuper tamen diligentius ea litteris caeloque expressa est a Paullo (Ant. *Paoli* in *Puteolanis Antiqq.*) et coloribus viuide reddita ab Ill. Equ. de Hamilton in *Campis Phlegraeis* Tom. I, tab. XVII sqq. Nam illam chorographiam, quae in Mazzella et hinc apud alios conspicitur, nonnulla parum accurate delineata habere vsu facile deprehenditur. Procurrit inter Puteolos et Cumas angustus ager in promontorium Misenum desinens. Puteolano s. Baiano sinui imminet lacus Auernus, adeoque Cumis ille a tergo situs. Facies lacus nunc quidem talis est, vt circumcirca colle leuiter accliui et, praeter eam partem, qua ad mare (sinus Baiani) prospectus patet, fere perpetuo ambiente in orbem ille rotundetur. Stadiorum

quinque ambitum iam olim Diodorus edidit lib. IV, c. 22. Altitudine est ad CCXXXVIII et CCLIII passus (secundum Mazzellam l. c. c. 15), aucta olim in immensum: vid. Diodor. l. c. add. Aristot. Mirab. Audit. pag. 727 E. ed. du Vall. decrescere tamen et temporum vicissitudinibus imminui illa potuit. Colles, qui ambiunt, silua olim inaccessa consiti erant ad conualles decurrente, et hi sunt *luci Auerni* (VI, 118. 138. 201), in quibus aureae frondis arbor (v. 138 sqq. 186). Siluam immensam, Ὀμβριμοῦς ἄλσος οὐδαίας Κόρης, Lycophron 698 quoque memorat, et multo distertius Homerus: ἔνθ' ἀκτή τε λάχεια καὶ ἄλσεα Περσεφονείης, Μακραί τ' αἴγειροι καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι. Cupressos altissimas etiamnum lacum Auernum cingentes tristissimam loco faciem adiicere narrari video a Flachato (*Observations sur le Commerce et sur les Arts* T. I, p. 111), etsi ab Italis nihil tale prodi memini. Ita tamen Petronius naturae veritatem expressisse videri debet, qui saxa *ferali circumtumulata cupressu* narrat. Sacer autem lucus ille Hecatae (v. 13) seu Proserpinae, vt Homerus ait: Promiscue enim in rebus inferis Hecate, Proserpina, Diana, Luna nominari solet. Proserpinae sacram paludem Auernam videas apud Diodor. IV, 22, et templi Hecatae ruinas esse eas, quas vulgo Apollinis aiunt, ad Auernum lacum, non male coniectat Paolus fol. XXVIII. Sed siluae istae inclusum aeris lacum pestilentia infecerant; etsi ipsi antro exhalationem tribuit Virgilius (VI, 237—241) et imitator loci Petronius; quod et ipsum accedere potuit ad alterum, cum eandem naturam sulphurariae aliaeque in iis locis speluncae habeant. Contagium tetri aeris fama olim in miraculum auxerat, vt aues adeo superuolitantes foetore enectas decidere affirmarent. vid. Strabo V, p. 244 B. Colles, quos diximus, variis perfossi specubus vias habuerunt subterraneas, caliginosas et tetras hospitibusque imperuias, quarum binae, sed et hae fere obstructae, supersunt, de quibus infra videbimus. Locus igitur apprime idoneus ad hominum animos religionum terroribus sollicitandos.

Specus olim fuisse in his locis plures, modo diximus, etsi terrae motibus ipsaque aetate multi corruerunt, vt adiri nequeant. Habet etiam littus circa Misenum cautes passim excauatas, quas a Lycophrone vss. 1278 — 1280 Ζωστηρίου τε κλιτὺν etc. innui puto. Admodum itaque probabile est, et opinioni fidem facit apud Strabonem lib. V, p. 244 D. Ephorus, cuius magna hac in re auctoritas est, cum ipse Cumanus diligensque scriptor fuerit, prisca aetate eas cauernas hominibus pro domibus fuisse (Troglodytis itaque illi accensendi), donec ad meliorem vitae cultum procederent, natamque hinc esse de *Cimmeriis* fabulam Odyss. λ, 13 sqq.; etsi tenebris illis perpetuis siluae quoque continuae, quibus conualles montium obsitae erant, maiorem horrorem addere debuerunt.

Succedentibus temporibus locorum naturam superstitio suis vsibus accommodauit, et *necyomantion* ibi institutum est, vt Manes euocati sciscitantibus fata praedicere crederentur, idque Homeri adhuc aetate auctoritatem habuit, qui Vlyssem ea loca adiisse narrat. Erant sacerdotes, qui sacra monstrarent, quibus Manes essent placandi (v. Strabo V, p. 244 C, vbi εἰς ἔπλεον parum accurate ex sua aetate dixisse videtur, vt Maximum Tyr. Diss. XIV aliosque omittam). Ex maiorum vita seruauerant sacerdotes morem, vt religioni ducerent solem videre, nec nisi noctu speluncis prodirent, vt Ephorus apud Strabonem l. c. D auctor est.

Tandem Manium sedes et ipsi inferi, quibus euocandis sacra in his locis fiebant, hic esse vel crediti sunt vel a poetis narrati. Conf. Strabon. l. c. et Eustath. ad Odyss. ϰ pr., qui eum exscripsit. Habebat autem locorum situs et natura multa, quae ad fabulam hanc seu fidem accommodari possent, quae vnum in locum congesta videbis ap. Lycophr. 695 sqq. Silium XII, 120 sqq., sicut omnino vetustiorum fabularum magna pars ad insolita aliqua naturae phaenomena, ad motus inprimis hiatusque terrae, ignesque montium continuos, aliaque naturae miracula spectant. Cogitandum porro, loca haec antiquiore aeuo a paucis Graecorum fuisse adita, rerumque adeo miracula

nauigantium sermonibus insigniter fuisse aucta. Quis ferat adhuc in Lycophrone l. c. ad Acherontem montis iugum memorari, vnde omnes Italiae fluuii prodeant? Fuit autem totus hic tractus ignibus subterraneis, passim erumpentibus, aliquando infestus: cuius rei vestigia sunt manifesta plurima: specus, colliculi, crateres, lacus, alia: v. Hamilton. in *Campis Phlegraeis* cum aliis, qui de locis Vulcaniis scripsere. Scatet totus ager inter Cumas et Baias bitumine, sulphure et calidis aquis (v. Strabo l. c. p. 245 C. quod bene Silius expressit verss. suis lib. X, 134 sqq.). Super Puteolos campus est sulphure abundans, collibus inclusus, quibus passim soli spiraculis fumus et calor prodit. Notum est nomen inter veteres *forum* et *olla Vulcani*, nunc *Solfatara* seu Sulphuraria. Vide vel Mazzellam *Antichità di Pozzuolo* c. 7. Itaque mirum non est, modo Cyclopas modo Gigantas fulminibus percussos passim ad haec loca referri, inprimisque campos Phlegraeos, Gigantumque in iis pugnam. His ignis subterranei vestigiis accensendus ipse lacus Auernus, olim crater Vulcani (Hamilt. l. c. pl. XXIX). Non longe a Cumis *palus* est *Acherusia* (Plin. III, 6 *Acherusia palus Cumis vicina)*, quam Silius X, 126 — 129 et XIII, 397 aditum ad inferos esse prodidit, aquas habens ferrugineas, in solo sterili populis passim consito. Omnino *loca foeta palustribus vluis, Littora Cumarum* pronuntiat Ouidius Met. XIV, 103. Phlegethontis et Cocyti notionem animis attulere calidi passim fontes. cf. Strabo l. c. p. 244 C, qui Stygis quoque aquam, ad quam oraculum conditum erat (καὶ τὸ μαντεῖον ἐνταῦθά που ἵδρυται), ibi fuisse ex Ephoro tradit. cf. Odyss. κ, 513. 514. 515. Accedebat specus ab Auerno per collem demissus, quem qui emensus erat, in vallem prodibat, in qua lacus erat, Acheron dictus *); ex hoc iter ducebat ad *Campos Elysios*, amoenissimum locum, sepulcris passim consitum.

*) *Acherontem* alii eum esse volunt, qui nunc *Laco di Fusaro* est. Alii ad *Mare mortuum* nomen transferunt.

Tota loci facies nunc quidem quam maxime est mutata (cf. *Addison's Remarks* p. 167). Nam primum cum Agrippa portum Iulium efficere vellet, vt Auernum Lucrino lacui iungeret, siluam excidere iussit. cf. Strab. V, p. 245 A. Tum anno a C. N. MDXXXVIII motu terrae, medio fere inter Lucrinum et Auernum spatio, extitit *nouus mons cineritius*, de quo v. Capacc. *Antich. di Pozzuolo* c. 20. Olim, vt ex Strabone cognoscitur lib. V, p. 244 A, ora maritima ita his lacubus erat intercepta, vt Misenum in peninsulae formam esset redactum. Plures tum cauernae sunt oppletae; aliae vlterius ductae, inter quas nobilissima a Cocceio. v. ibidem. cf. Hamilton. *Campi Phlegraei* T. II pl. 28. 29, idemque in *Philos. Transact.* Vol. LXI, 1, p. 15 sqq.

EXCVRSVS III

Eadem topographia ad mentem Maronis.

Videamus nunc locorum situm, qualis a poeta proditus et exhibitus est, in quo ab Interpp. passim multae magnaeque turbae fiunt.

Infra Cumas, sub promontorium Misenum appellunt Troiani. Eo enim ducunt omnia, vt non in Baiano, quod vulgo creditur, quodque alias narratum ex Aurelio Victor. O. G. R. c. 9 intelligitur, sed *in Cumano littore* Troianorum classis stationem habuerit. Nec aliter Ouidius Met. XIV, 107 sq. tradit, vbi Virgilii vestigiis insistit. Procedit inde Aeneas ad *Apollinis templum* et *Sibyllae antrum*.

Templum in monte esse debuit (v. 9 ARCES, *quibus* ALTVS *Apollo praesidet*); nec longe a Cumis; itaque falsa est vulgaris opinio, dum ruinas templi Apollinis ad lacum Auernum ostentant hospitibus loci accolae. Sed, si in monte Cumano fuit templum, iterum dubitari potest, an Cumarum colli impositum fuerit, et in ipsa vrbe, quod Seruius putauit. Silii quidem auctoritas pa-

rum me monet, lib. XII, 86, vbi Annibal Cumas oppugnans, adeoque vrbe nondum receptus, dum perluſtrat aditus, *fulgentia cernit Arcis templa iugo;* nam nihil impedit, quo minus templum in ſummo arcis vertice poſitum etiam extra moenia conſpici potuerit. At grauiorem dubitationem facit, quod in vrbe media lucus et ſecreta religio Sibyllae, quae contigua erat templo, vix eſſe potuit, et quod, ſi id ponas, ceterorum locorum, inprimisque ſpeluncarum, ſitus non ſatis conuenit. Itaque Paolus, Vir doctiſſimus, in *Puteol. Antiqq.* fol. XXIX templi locum in montium iugo ad Cumas quaerendum arbitratus, eius ruinas *arcum felicem*, quem vocant, eſſe contendit. Ita *lucus Triuiae*, per quem via ad eum erat, in ſiluis, quarum reliquias ille locus habet, et ſpeluncae in propinquo ſunt. Ex iis tamen locis, in quibus de Apollinis Cumani templo agitur, in arce ſeu acropoli Cumarum illud fuiſſe manifeſtum fit. Scilicet cogitandum erat, Aeneae aetate vrbem Cumarum nondum fuiſſe, nec extitiſſe tum niſi templum in monte; viam adeo per loca parum habitata et per lucum ad illud duxiſſe, et in latere montis horridos ſpecus occurriſſe.


Fuit autem hoc Apollinis templum ex antiquiſſimis, Daedali illud opus habitum (v. 14 ſqq.) ſtatuaque dei coloſſea nobilitatum. Seruius ad v. 9 h. libri: *Caelius* enim (L. Caelius Antipater, qui belli Punici II hiſtoriam ſcripſit) *de Cumano Apolline ait: Eſt in fano ſignum Apollinis ligneum, altum non minus pedes XV, cuius meminiſſe putatur Virgilius* (v. 9 *altus Apollo;* ſed hoc a ſitu templi petitum. Altitudinem tamen non vulgarem habuiſſe templum neceſſe eſt, cum in eo ſignum tantae magnitudinis collocatum eſſe potuerit, et cum v. 19 *immania templa* appellentur). De eo Cic. de Diu. I, 43 *quid? cum Cumis Apollo ſudauit?* et Obſequens c. 114 *Cumis in arce Apollinis ſimulacrum ſudauit* ſub a. 662, ergo tum adhuc ſupererat. Alia de eo Apolline prodigia narrant Liu. XLIII, 15, Auguſtin. C. D. III, 11.

In aſcenſu ad templum *lucus Triuiae* fuit (v. 13), in quo ipſo templum illud Apollinis videtur fuiſſe conditum. Dum Aeneas argumentum in foribus templi ſculptum contemplatur, arceſſita ab Achate Deiphobe, Phoebi Triuiaeque ſacerdos (v. 35), Teucros vocat *alta in templa*, v. 40. Haec de Apollinis templo ſi accipias, totus rerum ordo turbatur; ſed Sibyllae antrum, μαντεῖον, intelligendum eſſe, manifeſtum ſit; et ſubiicitur ſtatim: *Excifum Euboicae latus ingens rupis* (h. e. montis, cui templum impoſitum erat) *in antrum*. cf. v. 9. 10 et ſup. III, 443. Abeſt autem palmis CCXX ab *Arcu felici*, quas Apollinis templi ruinas eſſe diximus, crypta, communi opinione pro Sibyllae antro habita. v. Mazzella de Situ Puteol. et Cum. c. 29. In interiore antri parte adytum, in quo Deiphobe dei afflatum excipiebat; ipſe Aeneas ad ingreſſum antri ſubſtiterat: vide v. 45 *Ventum erat ad limen* et 81 *Oſtia iamque domus patuere* — et 98 *Talibus ex adyto dictis* —

Iam, ſi Strabonis locum ex Ephoro, lib. V, p. 244 C, conferas, non vno loco olim τὸ μαντεῖον fuiſſe intelligas. Erat primum non longe a Styge ſitum, et διά τινων ὀρυγμάτων — τοὺς ξένους εἰς τὸ μαντεῖον δέχεσθαι narrat ſacerdotes, πολὺ ὑπὸ γῆς ἱδρυμένον. Mox a rege aliquo interfectos ſacerdotes, τὸ δὲ μαντεῖον ἔτι (Ephori tempore, qui Philippi Macedonis tempore vixit) συμμένειν μεθεστηκὸς εἰς ἕτερον τόπον. Poeta noſter itaque ad antiquius illud oraculum reſpicere putandus.

Edoctus a Sibylla Aeneas, aureo ramo opus eſſe, ſi loca infera ingredi velit, reuerſus ad littus, et Miſeni corpore conſpecto, vt illud cremaret lignis conuectis, ſilvam verſus Auernum pererrat, inuentoque ramo apportatoque ad Sibyllam, illa duce ad *ſpeluncam* accedit, *diuerſam a priore illa*; etenim circa Auernum aditus ad eam v. 238. In huius ſpeluncae aditu ſacrum faciunt v. 242 ſqq., a media nocte iter per eam ad inferos inſtituunt, 255. 262. Poſtrema haec ad vnam eandemque

ſpeluncam ſpectare videntur, quae eſt *Baianæ*, quam nunc appellant, quoniam verſus Baias ſpectat. Nec probo Paolum, qui deſcenſum quidem per hanc, ſacra autem ad tertiam ſpeluncam, *Cumanam*, facta eſſe (v. 237) contendit. Baiana illa ſuperiore adhuc ſaeculo multo profundius et latius iter praebuiſſe videtur, ſi Mazzella (l. c. c. 15) et Mormile (*Antich. di Pozzuolo* c. 17) vera narrant.



EXCVRSVS IV

De Aeneae accessu ad Italiam.

Aeneas ex Sicilia per Tyrrhenum mare profectus, primo *ad Italiam appulsu* portum Palinurum *subiit, qui* a quodam Aeneae gubernatore *ibi defuncto nomen accepisse fertur.* Haec Dionysius ex communi scriptorum narratione tradit lib. I, 53. Virgilius nec hanc famae veteris fidem praetermisit; ne tamen frequentiore appulsus commemoratione molestus esset lectori, alterum ad Cumas accessum attigit, Palinurum vero naui excussum ad littus Lucaniae enatasse, sed a barbaris occisum piaculo finitimos obligasse narrat. *Mox vero Lucanis pestilentia laborantibus* (verba Seruii sunt ad VI, 378) *respondit oraculum, Manes Palinuri esse placandos: ob quam rem non longe a Velia et lucum et cenotaphium ei dederunt.* Vide ipsum poetam v. 378—381, qui etiam oraculi fidem de Palinuri accessu ad Italiam olim editi in fabulam adsumsit. Veliam (Ἐλέαν) illo tempore nondum fuisse, bene obseruat Seruius ad v. 359 *portusque Velinos;* nam condita ea fuit a Phocaeensibus sub Cyro profugis, vt ex Strabone lib. VI pr. satis constat, nec tamen prolepsis talis tam insolens erat, vt viri docti post grammaticos apud Gellium l. c. X, 16 in defendendo vel accusando poeta tantum operae ponere deberent. Operosus quoque in refellendo Quwens Noct. Hag. lib. I, c. 2. Sufficit tenere, ipsam necessitatem has prolepses tueri, quoties narratio versatur in iis temporibus, in quibus nulla locorum appellatio est, aut vbi molestus foret poeta, obsoleta et a carminis suauitate aliena ac barbara nomina excitando. Quis dubitet, hanc defensionem esse satis iustam! Verum ne *Lucani* quidem, quod Seruius ait, illo tempore in his locis fuisse videntur. Fuerunt enim Lucani a Samnitibus, qui Sabinorum progenies erant, oriundi, neque in haec loca venerunt, nisi postquam Graecorum coloniae Italiam inferiorem occupare coeperant, id quod post Troiana demum tempora contigit; temporibus vero Troianis *Chonas*

et *Oenotros*, h. e. Pelasgos, e Graecia cum Ausonibus priscis Italiae colonis permixtos coluisse, ex iis manifestum est, quae Strabo lib. VI pr. exponit. Circa has enim partes a Lao inde fl. primo accessu Oenotros habitasse, hancque primam Italiam fuisse appellatam, alio loco vidimus. (Excurs. XXI ad lib. I. Excurs. IV ad lib. VII.)

Pergit Dionysius l. c. in vulgari, quam proponere volebat, narratione: *Troianos, a Palinuro prouectos, ad insulam appulisse, cui a quadam Aeneae consobrina, quae ibi obierat*, Leucasiae, *seu*, vt fere scribi solet, Leucosiae *nomen impositum sit*. Communior fama ab vna Sirenum, Leucosia, nomen repetit. Sed famam nauigationis Troianorum in mari Tyrrheno sequi maluerunt alii. Itaque etiam fuere, qui Troianos ad Sardiniam adhaesisse traderent. vid. Pausan. X, 17.

Hinc euecti Troiani (Dionys. ib.) *in pulcrum ac profundum portum in Opicis* (qui Ausonum in his locis populus erat) *delati sunt; extinctoque ibi Miseno, nobili quodam viro, portum ab eo* Misenum *denominarunt.*

De *Miseno* fabulam Virgilius magna cum arte intexuit carmini suo; sed ornatam et variatam, lib. VI, 149 sqq — 235. Discessit ab aliorum, inter quos Caesar fuit Pontificalium primo apud Victor. O. G. R. 9, fide etiam in hoc, quod non in sinu Baiano sed vltra Misenum versus Cumas classem appulsam esse voluit. Gubernatorem fuisse Aeneae Misenum tradidisse videntur nonnulli apud Victorem, falsa remi tumulo infixi interpretatione, qui tamen nautae tantum significationem haberet. Monumentum autem vetus tumuli, infixo remo cum tuba, ad istud promontorium esse debuit; etsi video hoc quoque a nonnullis tradi, ipsum promontorium nauigantibus in alto speciem sepulcri praebere.


Cum Aeneas ad loca haec semel adductus esset a poeta, ingenii ad conuertendas in rem suam veterum poetarum fabulas praeclari, *Necyiae* ille *Homericae* in his ipsis locis tractatae memor, vt narrationem tamen variaret, non Ma-

nium enocationem sed ad eos descensum Aeneae comminisci maluit; *Homerico* tamen *exemplo* praelucente quodam modo etiam in his Odyss. ω. Atque hic commode in *Platonicam doctrinam* incidit; de quo alio Excursu expositum est.

Quod autem ad *Sibyllam* spectat, hanc poeta ex antiquioribus, quae tum vigebant, fabulis petiit, non primus excogitauit. En locum ex Victore de O. G. R. c. 10 *Addunt praeterea quidam Aeneam in littore* (Baiano) *Euxini cuiusdam comitis matrem vltimo aetatis affectam, circa stagnum, quod est inter Misenon Auernumque, extulisse, atque inde loco nomen inditum, qui etiam nunc Euxinus sinus dicitur* (nomen hoc a quopiam alio memorari nondum vidi; forte ab aliquo auctore proditum, qui Cimmerios, quorum sedem in his locis traditam viderat, a Bosporo et mari Euxino huc vocauerat): *cumque comperisset, ibidem Sibyllam mortalibus futura praecinere in oppido, quod vocatur Cimbarionis (Cumarum* non male emendat Arnzenius; an latet *Cimmerion?* Ita apud Tibull. IV, 1, 64 multi: *Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces) venisse eo sciscitatum de statu fortunarum suarum: auditisque fatis, vetitum, ne is cognitam* (vltimas duas voces, *is cognitam*, aut ex *incognitam* natas, aut aliunde irrepsisse puto, cum *cognatione coniunctam* interpretatus esset aliquis *cognatam) in Italia sepeliret Prochytam, cognatione sibi coniunctam, quam incolumem reliquerat; et, postquam ad classem rediit, reperitque mortuam, in insula proxima sepelisse, quae nunc quoque eodem est nomine; vt scribunt Vulcatius et Acilius Piso.* Sed episodium hoc de Sibylla, vt reliqua, ex priscis fabulis sumtum esse, multo magis declarat narratio apud Dionys. I, 55 de Sibylla Erythris ab Aenea conuenta, et Sibyllae vaticinium ad Aeneam a Troia soluentem apud Tibull. II, 5, 19. conf. Disquis. II, s. VII.

Quod modo de *Prochyta* contra Misenum insula ex Victore memorauimus, etiam a Dionysio Halic. I, 53 in

medium prolatum est. *A Miseno*, inquit, *vlterius nauigantes ad insulam* Prochytam *et ad promontorium* (recte enim emendata sunt Graeca a Casaubono) Caietam *appulerunt iisque locis simili modo ac superioribus nomina imposuerunt, quod mulierum defunctarum seruari per ea vellent memoriam. Harum vero alteram Aeneae cognatam fuisse ferunt, alteram nutricem.* Et Prochytam *de cognata Aeneae nomen accepisse* etiam *Naeuius in primo belli Punici dixerat:* Seru. ad IX, 715. A Plinio Prochytam *non ab Aeneae nutrice, sed quia profusa ab Aenaria erat*, dictam lib. III, 13 recte moneri putamus. Adde Strab. I, p. 60 A. et alia loca apud Cluver. Ital. ant. IV, 4, sed hic tantum de fama quaerimus, quae de Aeneae erroribus in his locis fuerit; materia tam copiosa, vt etiam omittere nonnulla poetae necesse fuerit, vti hoc *de Prochyta;* nam alterum de *Caieta* sub f. lib. VI et pr. VII meminit. De qua quae varie a veteribus tradita erant, diligenter congesta video a Cluuer. III, 10, p. 1065.



EXCVRSVS V

Deiphobe Sibylla et ſacerdos.

VI, 35. 36 *Phoebi Triuiaeque ſacerdos Deiphobe Glauci.* Sibyllam ab hac ſacerdote diuerſam eſſe habendam, monent Holdsworthus et Spencius; nam vsque ad v. 55 de Deiphobe ſacerdote agi; tum Sibyllam, eſſe enim hanc *Phoebi vatem* v. 77, vaticinari v. 82 — 155, hinc iterum ſuccedere ſacerdotem v. 244, eamque excipi a Sibylla a v. 258 ſqq. ad f. Ad tam incommodam rationem deducti eſſe videntur viri docti inter alia maxime v. 258 *aduentante dea*, quod de Sibylla acceperant. Quod ſi nonnulla ſatis commode in iſtam virorum doctorum ſententiam accipi poſſunt, tamen alia in multo duriorem, quam vulgaris eſt, rationem deflectuntur, vt vix ita videatur poeta obſcuritatis reprehenſione liberari poſſe. Nam v. 45 ſeqq. ſatis manifeſtum fit, ipſam ſacerdotem a deo afflari et agitari: *cum* VIRGO, — CVI *talia fanti Ante fores ſubito non vultus non color idem.* Continuatur de

ea narratio; neceſſeque adeo eſt v. 77 nullam aliam intelligi poſſe quam illam ipſam a deo furore percitam Deiphoben. Quis itaque dubitet eius eſſe vaticinium v. 83 ſqq., neque aliam et diuerſam ab ipſa Sibyllam Cumanam eſſe v. 98! Nec in ſeqq. quicquam occurrit, quod noſtris rationibus aduerſetur v. 102 ſqq. 115 ſqq. 125. Editur a ſacerdote Sibylla reſponſum vt Delphis a Pythia furore correpta, poſtquam adytum ingreſſa eſt. Etiam apud Ouidium Met. XIV, 104. 106 ſqq., qui locum hunc Virgilii expreſſit, ad vnam feminam omnia referuntur. Quod autem inter Sibyllas ex Varronis recenſu apud Lactant. Inſt. Diu. I, 6 Deiphobes nomen non legitur, nolim aduerſus poetam vrgere, qui alios auctores, quam quos Varro legerat, habere potuit, quos ſequeretur; vt ſaepe factum vidimus in aliis, dum reconditam aliquam expromeret doctrinam Maro. Summa quoque omnino in nominibus Sibyllarum recitandis inter veteres eſt diuerſitas, vt ex iis ipſis, quae ab Holdswortho congeſta ſunt, et iam olim a Salmaſio Exercit. Plin. p. 52 et ab aliis, ſatis apparet; et in Sibylla Cumana parum ſibi veterum hiſtoriarum fides conſtat. Vulgari errore illa *Cumis* Aeolidis oriunda dicebatur; at Aeolidis *Cume* eſt, Κύμη, non Cumae: cum contra Italiae Cumae hae etiam *Cyme*, *Cume*, poetis dicantur. Erythris eam Cumas Italiae veniſſe, vnde etiam *Erythraea* eſt appellata, in libro de admir. §. 90. (c. 97) traditum eſt. Apud Tibull. II, 5, 19 ea Aeneae, *ante quam a littore Troiano ſolueret*, vaticinatur. Quod ſi cum iis, qui in coloniam exierant, ad Italiam acceſſit, multo vtique ſerior illa Troianis eſt temporibus; vt recte Liuius I, 7 dixerit *fatiloquam Carmentam ante Sibyllae in Italiam aduentum.* Itaque Erythraea ſeriorem Cumanam fecere alii, Demo vero nomine dictam apud Pauſ. X, 12, p. 828. Poetae tamen omnia haec, temporibus adeo remota, in vnum cogere licuit; vt etiam, relicta omnino defunctorum euocatione, ad Delphici oraculi exemplum Sibyllam templi ſacerdotem et vatem conſtitueret. Quid? quod praeterea tertia aliqua muneris parte eam impertiit, dum *luco circa Auernum,*

quem *Triuiae* dixerat, tum *ipsi Auerno* et *aditui* ad loca infera eam *praefecit*, ita vt pro duce descensus ad ea loca esse posset Aeneae v. 109. 117. 118 et 564 *sed, me quum lucis Hecate praefecit Auernis, Ipsa deum poenas docuit perque omnia duxit.* Constans saltem erat in Italia vetere narratio de Sibylla Cumana, et θάλαμος κατάγειος eius Cumis monstrabatur, h. e. antrum, quod pro domo fuerat, apud Auct. de mirab. Audit. l. c., vbi et nomen eius editum ab aliis Melachraena f. μελάγχλαινα. Hydriam, s. vrnam, in qua eius ossa condita essent, seruatam Cumis in Apollinis templo, memorat l. c. Pausanias.

EXCVRSVS VI

Ramus aureus.

VI, 136 sqq. Rami huius aurei causas varias, mysticas quoque, veteres et recentiores excogitarunt. v. Seruianam notam ad h. l. Metalli mutandi rationes hic quaesiuere nonnulli, Borrichius et alii, inter quos Wedelius a Burmanno laudatur. Χρυσοῦ ὄζος — ἀδάμας, qui in Timaeo Platonis (pag. 1066 B. ed. Frf.) memoratur, poetae ad talem rei imaginem nihil prodesse potuit: ex aqua condensata metalla et primo loco aurum, tum adamantem, porro aes, tum cetera genera enasci narrat philosophus. A Dianae Aricinae sacris res repetitur apud Seruium, ante cuius templum fuisse arbor narratur, vnde si fugitiuus potuisset ramum decerpere, sacerdoti cum homine pugnare necesse esset. Ritus pugnae notissimus, vel ex Ouidii Fast. III, 263 sqq. At de arbore solum Seruium tradere memini. Nec tamen id quicquam commune cum Auernalibus locis et ramo aureo Proserpinae habere videtur. Latere aliquid occultae religionis ex initiis Eleusiniis, si cum Warburtono coniectare velis, saltem ad sacrum ramum, quem mysta praefert, aut ad ramum lustralem, non ad myrteam coronam referri res debet; nam, vbi ad Proserpinae domum accessit, Aeneas *corpus recenti Spargit aqua ramumque aduerso in limine figit* v. 635. 636, vt suspicari liceat, ad

lustrationem in sacris deorum inferorum et Manium faciendam eum respexisse. Enimuero, ramo eodem aureo aquam sparsam et lustrationem factam, poeta non narrat; narrat tantum hoc: *ramum in limine figi, et eum Proserpinae munus ferri* ex arbore ipsi sacra: v. 137. 142. 408. Qui poma aurea in Iunonis nuptiis cum Ioue memorata (v. Not. ad Apollod. p. 410) meminerit, intercedere in his seu cognationem seu similitudinem aliquam intelliget, vt Proserpinae, tamquam Iunoni inferae, pro dono ramus aureus feratur, vt Iunoni malum aureum. In Heracliis hoc ipsum malum forte eduxerat arborem Hesperidum, vnde poma aurea decerpenda et ad Eurystheum, Iunonis iussu, ab Hercule erant asserenda. Altera ex parte in Proserpinae fabulis est comestio mali Punici, qua illa commisit, vt in Plutonis contubernio sibi manendum esset: v. c. Ouid. Met. V, 535 sqq. Hymn. in Cer. 371. Ceterum, nisi poeta noster ipse doni Proserpinae ferendi mentionem expressam fecisset, alia esset eaque expeditior ratio, si *ramum ἱκετείας* sollenne insigne ad animum reuoces (vide v. c. inf. XI, 101), vt adeo *aureum ramum* praeferens Aeneas ad Proserpinam supplex accedat; aut, si Mercurii caduceum, *virgam auream*, memineris, qua alii poetae ad inferos animas deduci narrant, v. c. Od. ω, 3 ἔχε δὲ ῥάβδον μετὰ χερσὶν Καλὴν, χρυσείην; cum Mercurium adhibere huius descensus ducem non posset, auream virgam Aeneae assignare maluit. Ita facile intelligas, quomodo poeta ad hanc rei φαντασίαν deuenerit. Vt *aureum* ramum in siluis inuentum esse proderet, in mentem venire potuit ex Apollonii Rhodii lectione de vellere aureo in silua media lib. IV, 122 sqq.; nam et is sacer Hecates lucus erat. Deorum autem omnia sunt aurea, etiam in Delo χρύσειον-γενέθλιον ἔρνος ἐλαίης. Callim. in Del. 262. Ex vetustiore tamen seu Heracleae seu Theseidis carmine ramum aureum petitum esse ex illo versu suspicor: 409, quo Charon miratur: *donum fatalis virgae longo post tempore visum.* Igitur iam Hercules seu Theseus ramum aureum praetulerant manibus, cum ad

Inferos descenderent. Ceterum hoc inuento bene vsus est Claudianus ad arborem auream in inferis locis floreſcentem, quae inter alia inferorum bona Proserpinae a Plutone ostenditur de R. Pros. II, 290. Exornauit hoc arboris aureae, quae Proserpinae sacra est, phantasma Spencerus *Fairy Queen* B. II Cant. VII. LIII sqq.

EXCVRSVS VII

De Miseno.

VI, 162 sqq. De *Miseno* narrationem intexuit propter fabulae apud Italos auctoritatem. v. Excurs. IV ad h. lib., et habuit etiam Elpenoris exemplum, quod sequeretur, apud Hom. Odyss. λ, 51 sqq. Molestum tamen hoc, quod duo commemorandi erant, qui eodem fato perierant. Quod eum *tubicinem* nobilem fuisse tradit, cf. III, 239, in hoc Homeri sui auctoritatem deserit; cum Troianis temporibus nec tubam nec lituum inuentum fuisse satis constet. Maluit itaque et hic tragicos sequi, v. c. Aeschylum Eumen. v. 570, Sophocl. Ai. 17 et al. Mox v. 172 Tritonem cantu prouocat Misenus. Hoc elegantissimo poetae ingenio deberi videtur, adumbratum ex similibus narrationibus apud veteres poetas, inprimis Homerum; cum in vulgari quoque priscorum hominum sermone, vt quisque in arte sua excelleret, ita modo artem a diis accepisse, modo ea arte cum diis contendere diceretur. Sic Thamyris cum Musis Iliad. β, 595 sqq., sic Pierides, sic Sirenes cum Musis, Marsyas cum Apolline, Eurytus arcu cum eodem Odyss. ϑ, 224 sqq. certarunt. Passim hoc monitum ad Apollodorum.

EXCVRSVS VIII

Chorographia locorum inferorum ex poetae mente.

Non iniucundum esse potest, vno loco propositam habere animo totam locorum inferorum descriptionem, qua-

lis illa a Virgilio hoc libro est expositа. Quae alii seu imitando seu noua fingendo variarint, vt Seneca Herc. fur. 658 sqq., Valer. Fl. lib. I sub f. 827 sq. nunc non curamus. Tentauit iam idem Spencius et Iortinus Disс. VI, p. 258 praeter alios Intpp. Nonnulla iterum tractauit Wernsdorf. Poet. min. Tom. II Excurs. XVIII. Res cum per se non inutilis esse possit ad poetae interpretationem, tum vero etiam iis grata esse debet, qui Dantis Infernum, partim ex Marone, quo is duce vtitur, expressum, tum etiam aliorum poetarum loca comparare volunt. Ita Silius XIII, 526 sqq. totam inferorum descriptionem variauit, decem portis, et septis, puto, in iis constitutis; vt Platonis circuli ante oculos fuisse videantur; vnde etiam Seruius ad v. 426 suos nouem circulos duxisse videtur, etsi alieno a Virgilii mente commento. Certe nouem Dantis anfractus ad Platonis Virgiliique ductum iunctim adumbrati sunt. Nam Silium ab eo lectum esse dubito.

Via quidem prima per spelunсam, mox immensas per siluas, caliginoso caelo, ducebat ad amnem.

In *primo Orci aditu* (προάστειον dixeris, poetae *vestibulum* est), citraque Acherontem, *Luctus*, *Curae*, *Morbi*, *Senectus*, *Metus*, *Fames*, *Egestas*, *Letum*, *Labor*, *Sopor*, *mala Gaudia*, *Bellum*, *Eumenides*, *Discordiae* sedem habere dicuntur v. 273 — 281 elegante mytho; quis enim non intelligat esse haec mala, quibus Mors arcessitur, quaeque illam vel antecedunt vel comitantur!

In medio *Somnia* in vlmo nidulantia, ad Homeri ductum. v. Not. ad 282 — 284. Quae cum nocte coniuncta sunt, eadem cum locis inferis, vti cum ipsa morte, coniuncta sunt. Cum autem Hades Ἀΐδης, proprie, *qui cerni nequit*, locum faciat iis, quae mentis vana fingendi vi excogitari possunt: monstra antiquissimorum vatum hic collocantur. Itaque hinc inde haec loca tenent *Centauri*, *Scyllae*, *Briareus*, *Hydra*, *Chimaera*, *Gorgones*, *Harpyiae*, *Geryon*, v. 282 — 289, vbi v. Not. ad 285. Omnino hoc proclive fuit, poetarum seu sapientum animos in hoc

phantaſma incurrere, vt in aditu ad Vmbrarum loca phantaſmata iſta et monſtra collocarent.

Peruentum eſt ad *amnem:* quem 384 *Stygem*, 295 *Acherontem* vocat. De hoc mox ſigillatim diſpiciemus, Excurſ. IX. Petitum eſt phantaſma hoc a regnis ac prouinciis, quarum fines per magna flumina reguntur. Ex priſcorum poetarum opinione Oceanus terrarum orbem more amnis ambiens in occidentali parte, Solis occidentis, Noctis, Somni, aedes, tum Elyſium, tandem aditum ad loca infera continebat (cf. Opuſc. T. I, p. 397 ſqq.): Flumine autem circa Orcum ducto, aditus non erat niſi naui traiiceres; ad hanc regendam inuentus portitor. Praetermittimus de Charonte monere nondum ab Homero memorato, cf. ſup. ad v. 417, et de inſepultorum vmbris ab amnis traiectu prohibitis. conf. ad v. 325.

Trans amnem, aduerſo littore *Cerberi antrum* eſt 415 ſqq., quod praetergreſſus Aeneas ad *prima loca* deuenit; Inhabitant haec loca *infantes* v. 426—429 et qui *inſontes* aut *mortem illatam accepere* aut *ſibi ipſi intulere* 430—439. Quid in his ſequutus ſit poeta, v. Not. ad v. 430.

Non procul hinc *Campi Lugentes*, ſeu lugentium ſedes: quas tenent illi, *qui luctuoſa morte interiere:* 430—476. Ex his inprimis memorantur *heroinae et feminae clarae veteris aeui*, interque eas etiam *miſere amantes*. Vulgo quidem ab Intpp. *miſere amantium* ſedes eſſe traduntur Lugentes Campi. Enimuero ſic magna difficultas oritur, quomodo Eriphyle et Caenis inter miſere amantes referri poſſint; Sed iniqui in poetam videntur eſſe viri docti: v. Notam ad v. 440 ſqq. Ita ſcilicet dispeſcenda eſt oratio v. 439 ſqq. *Hic — Lugentes Campi —: Hic* primum, *quos durus amor* etc. Tum *his Phaedram Procrinque locis* etc.

Contigua illis et, ſi recte intelligo, in extrema Camporum, quos Lugentes tenent, parte ſita eſt ſedes *virorum bello clarorum* et inter pugnandum caeſorum: *Arua vltima* v. 477—539. Ita excipiunt ſe loca eorum, qui

morte haud matura interiere, infantum, heroinarum, heroum: Commune omnibus hoc, quod debitum vitae tempus non exegerunt.

Itaque trina illa loca citeriora omnino eorum animas continent, qui immatura morte obierunt; etsi poeta non satis subtiliter haec tractauit, nec adiecit, sintne illi aliquando, expletis fatalibus annis, quos anteuerterunt, ad Elysium peruenturi; sed in hoc tantum laborauit, vt, quae passim apud Graecos poetas de locis inferis memorata videbat, in haec loca conferret, inprimisque Homeri exemplo heroum heroinarumque clara nomina intexeret. Hactenus igitur Haden vidimus mythicum ac poeticum. Ad statum aliquem medium inter poenas et praemia haec redigere allaborat Trappius cum aliis; nec tamen rem ad Virgilii quidem mentem expediunt.

Hinc *duae viae* (natae forte ex τριόδοις Platonis in Gorgia pag. 357 A. Frf. Steph. p. 524 A.), altera ad *Plutonis regiam*, eamque praetergressos ad *Elysium*, ducit, sinistra vero ad *Tartarum* 540—543.

Dum ad Plutonis regiam procedunt, a sinistra *Tartarum* ostentat et describit Deiphobe, 548 — 627. non autem intrat: v. ad vs. 573. In hunc transtulit omnia poeta, quae veteres de Tartaro, in quem Titanes fuerant detrusi, fabulati erant; v. Hesiod. Theog. 720 sqq. cf. Iliad. Θ, 14 sqq.: porro nonnulla ex Platonica Tartari descriptione, in Phaed. p. 83, atque etiam ex sulphurariis circa Cumas, quas latius ornauit Petron. c. 67. v. 120. Fatendum tamen, multo inferiora esse haec omnia terroribus Tartari, quem Miltonus descripsit lib. I et II, et Teutonum Miltonus, Messiadis conditor, lib. II, varietate autem rerum ac specie haud dubie Dantes admirabilis in Inferno suo, Cant. III sqq. In vestibulo Tartari Tisiphone sedet. v. ad 573 — 579. Subiecit haec Miltoni ingenio praeclarum phantasma de custodibus Orci, Peccato ac Morte, lib. II, 650 sqq.

Ceterum quod Tartarum suppliciorum locum prodidit poeta, hoc philosophis, inprimis Platoni, debuit. Nam

apud Heſiodum et Homerum Tartarus eſt carcer Titanum et Centimanorum cum Cyclopibus, qui Vranidis accenſentur. cf. Apollod. pr. At loca infera, Hades, Erebus, continent animas piorum et impiorum promiſcue: vt ex Necyia Homeri conſtat: in qua iisdem locis heroes habentur et ſimul Orion, Tityus, Tantalus, Siſyphus, et cum iis Hercules. Multo magis mirum in modum miſcuit ea, quae in Orco collocauerat, Polygnotus in tabula Delphica ap. Pauſan. X, 28 ſq. Idem v. c. Eurynomum Genium appoſuerat, qui mortuorum carnes ad oſſa vsque arroderet: vt adeo ex eius opinione non vmbrae ſed carne veſtitae animae ad inferos deſcenderent. Etiam Ocnum cum aſino ille iisdem in locis pinxerat. Tam parum ſubtilioris iudicii antiquiores in fingendis rebus hisce adhibuerunt, quibus ſatis erat, monſtrorum terrores cumulare. Mireris ipſum Horatium, vbi loca infera omnino nominanda erant, ad quae omnibus migrandum eſt, memorare Cocytum, Danaides, Siſyphum, et paullo ante Geryonem cum Tityo: Carm. II, 14. in quorum conſortium venire nemo optet. Nunc diuerſa loca videmus eſſe Elyſium et Tartarum. Etiam in ſcelerum recenſu diſertior eſt poeta, quam antiquiores: qua de re vid. Not. ad VI, 608. Omnino, quo magis expoliti philoſophia fuere animi, eo melius dispeſcuere narrata de rebus inferis. Accommodari enim haec ſolent ac debent populorum, aetatum et ſingulorum hominum ingeniis.

Iam ad *Plutonis regiam* peruentum eſt. Sapienter hanc omnino praetermiſit poeta, nec in illam ſiue ornatus ſiue narrationis quicquam conſumſit praeter paucos verſus v. 630 ſq. Nam rem a conſilio alienam tractaſſet et in ſummas anguſtias ſeſe immiſiſſet poeta, ſi Iouem inferum exhibere voluiſſet; nec maieſtatem dei quomodo ſatis tueretur, in promtu habuiſſet. Integrum itaque reliquit hoc argumentum Claudiano, Taſſo, Miltono Meſſiadisque auctori. Intrat tamen Aeneas *veſtibulum regiae*, luſtrat ſe et ramum aureum in foribus figit v. 634 — 636, vbi cf. Not.

Praeter regiam Plutonis via ad *Elysium* ducit. Apud Aristophanem Ran. 162. 163 de initiatis: Οὗτοι γὰρ ἐγγύτατα παρ' αὐτὴν τὴν ὁδὸν Ἐπὶ ταῖσι τοῦ Πλούτωνος οἰκοῦσιν θύραις. Sunt autem initiatorum sedes nullae aliae quam Elysium. Hoc itaque non longe a Plutonis regia abesse traditum forte in Eleusiniis, vt colligere licet ex scurrili Aristophanis infectatione initiorum. Hesiodus Plutonis regiam in vicinia Tartari collocauerat. Nam ante Tartarum Atlas stat caelum sustentans; ibidem Diei et Noctis aedes, circa quam Noctis liberi habitant, Somnus et Mors. Ἔνθα, pergit, θεοῦ χθονίου πρόσθεν δόμοι ἠχήεντες Ἰφθίμου τ' Ἄϊδεω καὶ ἐπαινῆς Περσεφονείης Ἑστᾶσιν, ante has Plutonis et Proserpinae aedes excubat Cerberus. Nec procul hinc antrum incolit Styx. Theogon. 767 sqq.

De *Elysio* satis dictum est ad ipsum poetam v. 637 sqq. In eius conualle *Lethe* est, ad quam conuocantur animae nouum corpus ingressurae v. 675. 679 sqq.

Secundum ea, quae poeta v. 739 sqq. de purgatione animarum narrat, *locum* aliquem in inferis requiras, *quo illa purgatio instituatur*. Sed de hoc nihil commemorauit Maro.

Aditum ad *inferos* supra vidimus. *Exitum* per *Somni portas* monstrat Aeneae Sibylla sub f. lib., vbi de eo vide.

EXCVRSVS IX

De fluminibus inferorum.

VI, 296. 298 *Hinc via Tartarei quae fert Acherontis ad vndas; Turbidus hic coeno vastaque voragine gurges Aestuat atque omnem Cocyto eructat arenam.* Mox in eadem re 323 *Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem.* Et *vnda Stygia* 385. 391. Et sup. v. 107 *quando hic inferni ianua regis Dicitur et tenebrosa palus Acheronte refuso.* 132 *Tenent media omnia siluae, Cocytusque sinu labens circumuenit atro. Quod si tantus amor, si tanta cupido est, Bis Stygios innare lacus.*

Mire seu turbant seu variant in fluminibus inferis poetae. Etsi non facile aliquis ad historicam veritatem haec, quae ingenii poetici commenta et narrationis ornamenta sunt, exigat; de Virgilio tamen videndum, temerene ille fluminum nomina posuerit; an certam rationem sequutus sit. Iam Cerdae aliqua hanc in rem nota est non indocta, ad v. 295; sed in plerisque argutias captat.

Duo omnino duces hoc in loco habuit Virgilius, Homerum et Platonem: qui *traiecto Oceano* Haden adiri narrant; cum aliis *descensus per specum* profundum ad loca infera narretur, ita vt in primo e specu egressu amnis obiectus sit. Alter Odyss. *κ*, 513—515 *Phlegethontem* cum *Cocyto*, quorum hunc quidem *Stygis* facit *partem*, in *Acherontem* deferri narrat, et esse petram eo loco, quo duo fluuii committantur. Platoni autem in Phaedone vetustiorum Theologorum exemplo (vid. Hesiod. Theog. 740 sqq. 807 sqq.) *Tartarus* vorago est, in quam omnia flumina aquarum confluunt et inde rursus effluunt. Sed tamen quatuor inprimis orbem terrarum circumfluunt, *Oceanus* vnus in extima parte; huic ex aduerso *Acheron*, qui in paludem Acherusiam defertur, interque duo illos interfluit *Pyriphlegethon*, qui paludem igneam emensus post multos flexus, vbi Acherusiam paludem et ipse ambiit, infra Tartarum demittitur; et alter, huic ex aduerso fluens, *Cocytus*, qui primum in Stygiam paludem ingressus, mox, vbi post multos flexus ad Acherusiam paludem peruenit, hanc et ipse ambit et in Tartarum se praecipitat. Ita *Acherusia palus*, quam Acheron facit, in medio est, in quam impii deferuntur, et sic porro. Notionem me non satis claram talis locorum situs habere, lubens fateor. Commentum, a Socrate expositum, ab antiquioribus haud dubie acceptum erat; nam in initiis simile dogma seu mythus frequentatus esse debuit. Nempe quod eorum, qui initiati non essent, animae ἐν βορβόρῳ κεῖσθαι apud Platonem et alios (conf. Menag. ad Diog. Laert. VI, 39) dicuntur, ad hanc ipsam paludem, cui innatant animae, erat referendum a Moshemio ad Cudworth. p. 1049. Ex Platonicis

autem istis fluminum anfractibus natum videtur, vt loca infera, in regni et prouinciae formam redacta, fluuiis ambita et inclusa esse vellent poetae pluribus; etsi Homerus id non habet. In altero Socratico dialogo, Axiocho, qui Aeschini tribui solet, sub f. Plutonis regnum adeunti primo loco obiicitur fluuius *Acheron*, tum *Cocytus*, quibus traiectis ad Minoem et Rhadamanthum via ducit.

Ad hoc itaque aut simile exemplum poeta, etsi alias nomina ab eo temere poni non negem, hac tamen in narratione, in qua descriptionem locorum edit, primo loco videtur *Acherontem* ponere adeundum, vorticosum fluuium, qui ex imo fundo erutam aestu suo *arenam omnem Cocyto eructat*, ita vt in Cocytum egeratur illa, *Acheronte in Cocytum se* exonerante. Verba Virgilii imitatur Silius XIII, 571, 572 *Tristior his Acheron sanie nigroque veneno Aestuat et gelidam eructans cum murmure arenam Descendit;* sed in summa rei a Virgilio discedens. Alter igitur fluuius *Cocytus* est, qui et ipse ambit regna infera; vnde sup. 132 de aditu ad infera loca: *tenent media* (inter illa et has superas oras) *omnia siluae, Cocytusque sinu labens circumuenit atro;* tertia et interior *Styx* est, tarda et paludi similis; vnde passim *palus, lacus.* vide VI, 134. 369, item 416; etsi omnes illi amnes, quatenus multos errores faciunt, et in orbem regna infera circumfluunt, etiam hactenus stagna et lacus facere videri possunt. Styx autem *nouies* h. e. saepius flexus suos repetere dicitur VI, 438. 439. Georg. IV, 478—480, vbi Cocytus cum Styge memoratur.

Ternos hos fluuiorum anfractus traiectu opus, antequam ad vlteriora peruenias; etsi, vbi de Charontis transvectione agitur, non facile poetae de triplici amni terras inferas ambiente cogitant, et melius vnum tantum fluuium nominant: plerumque Stygem aut Acherontem. Nec aliter ipse Maro VI, 107 et al. 374. 391. Sic et vnus in Polygnoti tabula Acheron apud Pausan. X, 28. Vectorem autem Charontem, etsi post Homerum, facile commenta est antiquitas, cum semel hoc probasset, vt flumina traii-

cienda essent adeuntibus loca infera. Neque adeo ex Aegyptia religione et lacu Moeride illum adumbratum esse necesse est; quin potius Graeculi seriores Aegyptiam priscam religionem in hanc partem interpretati esse videntur.

Ceterum in Acheronte ad loca circa Cumas respexisse poeta recte existimatur et spelunca Cumana duxisse fertur ad *paludem Acherusiam* sub Miseni promontorii extrema ora. Eius paludis vulgo vestigia habere creditur *Lacus Coluccius*, sed probabilior est Paoli sententia, qui ad *Mare mortuum* refert *paludem Acherusiam* fol. 28. Alii poetae Virgilium auctorem in his inferorum amnibus deseruerunt. Conf. v. c. Senecam Herc. fur. 680. 686. 709 sqq. Silium X, 116—121, qui Cocytum in Lucrino et Stygem in Auerno quaerit, viam autem ad inferos per Acherusiam paludem. De fluuiis inferorum locus etiam praeclarus est Miltoni lib. II, 574 sqq., dignus qui comparetur; at de etymologia nominum, quae his amnibus indita sunt, v. loc. Apollodori apud Stobaeum: in Fragmentis Apollod. pag. 1047 sqq., vbi p. 1050 locus Sophoclis e Polyxena sic videtur constituendus, vt pro ὦ τὰς legatur Ἀκτὰς et altero versu λιποῦσα λίμνης ἦλθον ἠχούσης γόους Ἀχέροντος ὀξυπλῆγας ἄρσενας χόας. p. 1051 ἀπὸ τοῦ γοργῶς Φαίνεσθαι leg. γοργὰ Φ., et pag. 1053 l. 3. στερεμνώδη, et l. 5 καμόντων; vltima e Cod. Stobaei Escur. suppeditauit doctiss. Tychsen.



EXCVRSVS X

Descensus ad inferos an ex initiis Eleusiniis sit adumbratus.

Dum in loco hoc nobilissimo de descensu Aeneae ad inferos versamur, etsi, vnde poeta materiam eius ornatumque petierit, satis declaratum esse videtur; tamen Warburtoni, Viri Summi, Gleui seu Glocestriae Episcopi, sententia praetermittenda a nobis non est, quae in Commentariis *de Mosis diuina legatione* (Tom. I, lib. II, S. 4) olim exposita, praefixa quoque est Tom. III Virgilii Wartoniani. Redit autem illa huc, nihil vt aliud hoc ad inferos descensu repraesentari a poeta contendat, quam *initia Aeneae* et *descriptionem pompae* (θεᾶς) *Eleusiniae* eorum, qui initiarentur, oculis exhiberi solitae. Placere poterat doctrina haec vel nouitate sua, vel ingeniosa viri doctissimi exornatione, vel ipsa veri fiducia, cum qua ab eo exposita est. Neque id negari velim, nihil omnino narrationi

Virgilianae cum Eleuſiniis initiis eſſe commune. Illud enim ex multis paſſim veterum locis, maxime ex Ariſtophanis Ranis, loco, quo Bacchi ad inferos deſcenſus exhibitus eſt, Claudiano de R. Proſerp. lib. I, 619, Pauſania lib. X, p. 876, Luciano in Cataplo, Themiſtio apud Io. Stobaeum et al. ſatis conſtare videtur, iis, qui initiarentur, ſymbolica aliqua repraeſentatione piorum impiorumque praemia ac poenas poſt hanc vitam fuiſſe propoſitas, resque inferas, Tartarum cum Elyſio, monſtratas, eadem fere ſpecie, qua in ſexto Aeneidis libro exhibentur. Etſi vero hoc manifeſtum eſt, cum tamen repraeſentatio illa Eleuſinia, vt ex iisdem locis intelligas, ad vulgares fabulas, philoſophorum vetuſtiorum doctrina primum in Graeciam illatas, attemperata fuerit; non minus demonſtrari poſſe velis quoque hoc, Virgilium non aliunde ſuam inferorum locorum deſcriptionem petiiſſe, eumque Eleuſinias ceremonias vulgare aut voluiſſe aut potuiſſe, cum nec ipſum iisdem ſacris initiatum eſſe conſtet, nec, ſi hoc conſtaret, talis impietas in caſtiſſimum poetam cadat, vt arcana, quod nefas erat, ad profanos efferre voluerit. Sed ne in ingenioſa hac Summi Viri hypotheſi retexenda immorandum ſit, otium fecit vir doctus, *) qui eam in ſingulari libello (*Critical Obſervations on the ſixth Book of the Aeneid*, Lond. 1770.), paullo acrius quam velis, perſtrinxit. Hoc equidem inter cetera doctiſſimum Praeſulem poſuiſſe nolim, quandoquidem id alieniſſimum eſt ab Aeneidis, omnisque carminis epici, natura et conſilio, poetam, Platonis ac Ciceronis exemplo, rempublicam carmine epico condere, Aeneamque legumlatoris perfecti exemplar proponere voluiſſe; quoque modo Homerus ethicum, ac Miltonus religioſum ediderint, ita a Virgilio ciuile ſeu politicum epos conditum eſſe. Nec minus leue et infirmum eſt, quod altero loco poſuit, nullum legibus ferendis idoneum virum olim fuiſſe,

*) Fuit is, clariſſimus hiſtoriae Romanae ſeriorum temporum conditor, *Ed. Gibbon*, quod ipſe profeſſus eſt, cum memoratione huius cenſurae noſtrae. v. *Miſcellaneous Works* of Ed. Gibbon, 1796. Vol. II.

quin arcanis sacris initiatus esset. Quotus enim quisque inter Minoes, Charondas, Zaleucos est, quem Eleusiniis initiis imbutum esse quisquam tradiderit? Quae omnia cum sine auctore prodita sint, tum Eleusinia initia ab Aeneae temporibus et aetate aliquantum sunt remota, ad Auernum autem Necyomantium quidem aliquando inclaruisse narratum est, initia autem vlla in his locis fuisse, nec traditur, nec probabile sit. Perit tandem omnis epica vis et poetica suauitas, si res a poeta narrata ad allegoriam reuocetur.

EXCVRSVS XI

De iudicibus apud inferos.

VI, 431—433 *Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes. Quaesitor Minos vrnam mouet: ille silentum Conciliumque vocat vitasque et crimina discit.* Minos itaque, e Maronis mente, in primo statim ad inferos aditu, cognoscit de aduenientium animarum caussa, sorte ac sede assignanda: fere vt apud Platonem in Gorgia est is, qui ceterorum iudicia inspicit ac regit: v. paullo post dicenda. In iudicibus seu quaesitoribus locorum inferorum poeta peculiarem rationem sequitur, quod non omnes in vno loco constituit, sed singulos in diuersis partibus: in primo septo Minoem v. 432, at Rhadamanthum in Tartaro v. 566. Mythus hic omnino aliter post Homerum tractari coepit, aliter ab ipso Homero. Nam is Minoem obiter inter ceteras ab inferis excitatas animas nominat; Θεμιστεύοντα tamen νεκύεσσιν ἥμενον, adeoque iudicem; eo scilicet, vt id agat apud inferos, quod in hac vita persequi erat solitus: vt alii heroes alia: dum equos agitant, armis certant et sic porro. At Rhadamanthus in Elysio versatur, tamquam pius heros, Odyss. δ, 564. Apud Pindarum autem idem est Κρόνου πάρεδρος Olymp. II, 137 sq., et quidem, vt ex loco apparet, assessor iuris dicundi caussa; scilicet heroico aeuo ipsi reges ius dicebant. Itaque Homerus in locis inferis vnum Plutonem exhibuit, cum Proserpina, vt Iouem et Iunonem e superis aemularetur. Poenas

infligunt regis iussu Erinnyes, v. c. Iliad. *ι*, 565 — 567. Fabula adeo de trinis iudicibus inferorum post Homerum, forte et post Pindarum inuenta est; eo aeuo adoptata, cum reges non amplius ipsi ius dicerent, sed darent iudices; aut cum in ciuitatibus Graeciae iudices selecti constituerentur. Si Minoem et Rhadamanthum Creta esse oriundos reputes, a Cretensibus vel a poeta aliquo, qui Creticas fabulas sectatus erat, primum eos in Plutonis regno iudices constitutos esse suspicari licet. Aeacus vero vltimus accessit, forte ab Homerico aliquo poeta surrogatus, in Achillis honorem, cuius auus erat Aeacus. In Axiocho duo tantum in Campo Veritatis sedent iudices, Minos et Rhadamanthus; at in Gorgia (p. 357 A. Frf. Steph. p. 524 D.) tres: Asianos quidem iudicat Rhadamanthus, Europaeos Aeacus, Minos autem ἐπιδιακρίνει, recognoscit et regit iudicia istorum; et in Apolog. Socr. sub f. cum tribus illis Triptolemus et alii heroes, qui iuste vixerunt, iudicia inter animas exercent.

Post hos omnes noua ratione Virgilius iudicium hoc ex Romano iudiciorum more ordinat. In caussa capitali *iudex quaestionis* sedet seu praetor, quaesitor, cui ea quaestio sorte obtigit (nam de quaestione extra ordinem mandata hic non agitur), siue is, cui ille delegauit quaestionem. Adsident ei *iudices selecti*, qui, sortitione nominum ex decuriis a iudice quaestionis facta, caussae cuique contigerunt. Fit *iudicium* et de caussa cognoscitur. Audit Quaesitor dicentes caussam, interrogantur testes *(vitasque et crimina discit;* nam *docere, discere, nosse caussas*, vocabula iuris propria sunt); mittuntur iudices in consilium, feruntque sententiam.

Ad hunc itaque modum poeta faciem iudicii constituit. Videamus de singulis. *Nec vero hae sine sorte datae, sine iudice, sedes*, sed potius iudicum sortito datorum sententiis. Hinc *Quaesitor Minos vrnam mouet*, sortitur iudices. Male hoc ad caussarum sortitionem referunt Servius, Pompon. Sab. et alii. Poterat vel Senecae imitatio errantes reuocare Herc. fur. 731 *Non vnus alta sede*

quaesitor sedens Iudicia *trepidis sera* sortitur *reis. Aditur illo Gnossius Minos foro, Rhadamanthus illo, Thetidis hoc audit socer.* Ad sortitionem caussarum, quo ordine inducendae sint, respicit idem Agam. 24 quos — *Quaesitor vrna Gnossius versat reos.* Idem alio loco: 578 *et qui fronte nimis crimina tetrica Quaerunt ac veteres excutiunt reos, Flentes Eurydicen iuridici sedent.* Sic quoque apud Propertium Aeacus sedet quaesitor et sortitur iudices: IV, 11, 19 *Det pater hic vmbrae mollia iura meae* (Pluto mitem de me sententiam ferat): *Aut si quis posita iuxta sedet Aeacus vrna, In mea sortita vindicet ossa pila* (h. aut quaesitor ab eo extra ordinem datus cognoscat de me: *pila sortita* de sortitione iudicum facta, pilis in vrnam coniectis. *Vindicare in ossa* insolenter dictum, vt alia a Propertio). *Assideant fratres; iuxta Minoia sella; et Eumenidum intento turba seuera foro.* (Sint assessores fratres Rhadamanthus et Minos: s. fuit: *Assideat frater, iuxta et Minoia sella*, sc. sit, stet, pro ipso Minoe). Porro Quaesitor Minos, sortitione iudicum facta, *silentum Concilium vocat*, die dicto citat reos ad iudicium (conf. Var. Lect.), *vitasque et crimina discit*, audita vtriusque partis oratione.

Iam *Rhadamanthus* longe alio loco ac modo constitutus est in Tartaro; non tam iudex aut magistratus, qui quaestionem exercet, et caussas capitales persequitur: vt Minos; sed qui Triumuirorum capitalium more sententias iudicum exsequitur, supplicium sumit, et idem de inferioris ordinis hominibus, furti, grassationis, sacrilegii, reis cognoscit; itaque idem tormenta adhibet, scelerum convictos quaestione admota fateri cogit occulto perpetrata: v. 566 *Gnossius haec Rhadamanthus habet durissima regna, Castigatque auditque dolos, subigitque fateri, Quae quis apud superos, furto laetatus inani, Distulit in seram commissa piacula mortem.*

Iisdem iudicibus apud inferos alii aliter vsi sunt; nemo liberius Luciano in Cataplo et alibi. Proxime ad Maronem, vt tamen *Principis Romani cognitionem* adumbret,

Statius Theb. VIII, 21 sq. *Forte sedens media regni infelicis in arce Dux Erebi populos poscebat crimina vitae. — Stant Furiae circum variaeque ex ordine Mortes, Saeuaque miltisonas exercet Poena catenas* (tamquam apparitores, carnifices, serui publici). *Fata ferunt animas et eodem pollice damnant* (Parcae s. Μοῖραι accusant et rapiunt animas ad tribunal Plutonis, et accusatione sua mouent iudicem, vt reos condemnet: *pollex* referendus ad gestum dicentis. Notus, *infestus pollex*). *Vincit opus* (incredibilis est caussarum multitudo). *Iuxta Minos cum fratre verendo Iura bonus meliora monet* (tamquam Iureconsultus aliquis, qui Principi cognoscenti adest seu assidet in consilio) *regemque cruentum Temperat.*

EXCVRSVS XI*

Orgia Bacchica poetarum vsibus inseruientia.

VI, 517 — 519. *Illa*, (Helena) *chorum simulans, euantes orgia circum Ducebat Phrygias; flammam media ipsa tenebat Ingentem, et summa Danaos ex arce vocabat.* Commendaui in Nota hoc, seu antiquioris seu nostri poetae, inuentum, quod probabilem aliquam rationem apponit, quomodo fieri potuerit, vt Helena face ex arce sublata Achiuis signum daret vrbis capiendae. Inter orgia enim noctu habita facibus accensis inter discursitationes bacchantium facile latere potuit perfida mulier facem exitiosam tollens. Nec male Bacchicus thiasus conuenit nocti inter tripudia et cantus exactae, cum obsidionem solutam esse crederent Troiani. v. Quint. lib. XIII pr. cum omnino sollenne sit poetis, gaudia et choreas in laetitia publica cum thiasis Bacchi aut comparare aut confundere; arripiuntque illi haec tanto cupidius, quia nec in poesi nec in caelatura quicquam est, quod plura magisque variata ornamenta suppeditet. Poetam ad phantasma hoc

adducere potuit, vel vnus Euripidis locus in Troad. 542 ad 554. Enimuero est alia obseruatio, quam adiungam ad inuentum Maronis tanto melius perspiciendum. Tragicorum mos fuit, tum etiam aliorum poetarum, vtendi orgiis Bacchicis ad exsequendas res occulta fraude peragendas. Sic apud Euripidem in Antiope Dirce, discursitatione per siluas inter orgia, potita erat Antiopa (qua de re disputata vide ad signum Tauri Farnesii quod vocant (*Antiquar. Aufsätze* II St. p. 206 seqq.) Sic in Ino Euripidis Athamas, superinducta altera vxore Themistene, resciscit Inonem in Parnasso bacchationi interesse, et ea sic deprehenditur: cf. Hygin. f. 4. Etiam in Athamante et Phrixo Sophoclis orgia Bacchi ad furorem iniiciendum fuisse adhibita intelligitur ex iis quae apud Hygin. et alios leguntur. Fuit quoque Helena a Paride inter orgia Bacchica rapta apud Lycophr. 106, vbi v. Schol. ad 93. Etiam in fabulis, quae Λήναια inscriptae erant, qualis Sophoclis fuit, Thoantem patrem Hypsipyle inter orgia Bacchi incolumem abduxerat: narrat rem ornate Valer. Fl. I, 264 sqq. Et in insula Scyro Achilles inter feminas latitans deprehenditur ab Vlysse tripudiis inter orgia: v. Statius Achill. I, 593. 608. II, 152. Ne Proetidum sanationem per orgia institutam a Melampode commemorem apud Apollodor. II, 2. extr. Manifestum sit, e Tragicis profeciſse poetam in loco praeclaro inf. VII, de Amata, quae Lauiniam filiam Turno promissam nuptiis cum Aenea subducere volens: 385 *Quin etiam in siluas simulato numine Bacchi — Eumat, et natam frondosis montibus abdit, Quo thalamum eripiat Teucris taedasque moretur, Euoe Bacche! fremens; solum te virgine dignum Vociferans* etc.

EXCVRSVS XI**

Tempora descensus Aeneae ad Elysium.

VI, 535—539. *Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis Iam medium aetherio cursu traiecerat axem: Et fors omne datum traherent per talia tempus; Sed*

comes admonuit, breuiterque adfata Sibylla eſt: Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas. Obſcura eſt in his temporis notatio; multoque magis, ſi ſuperiora et totum rerum narratarum ordinem expenderis. Scilicet difficultatem facit hoc, quod tempora deſcenſus ac reditus ex inferis a poeta non diſerte ſatis conſtituta ſunt. Sumere licet duo: alterum, vna eademque nocte haec geri, alterum noctibus diuerſis; atqui vtrumcumque ponas, ſunt, quae parum conueniant. Ex notionibus veterum ſatis conſtat, quicquid ad deos inferos, ad Manes, ad ſacra magica, ſpectaret, *ad noctem* referri; die orto omnia huius generis finiri ſolent. Cum ortu ſolis Manes ad loca infera redeunt, v. c. ſup. lib. V, 738. 739. 537. cf. ad VI, 255 Homericos verſus compara Odyſſ. π, 220. φ, 226. Ad communes itaque notiones etiam interpretatio eſt moderanda.

Ipſe poeta temporum notas dedit has, ſacrum fieri *noctu:* 252 *nocturnas inchoat aras.* Tum litatur, ſacrum fit ratum, preces exaudiuntur, aditus ad loca infera patet: *primi ſub lumina ſolis et ortus* 255 — et confeſtim viam ingrediuntur Aeneas et Sibylla *ante diem ortum.* Peragrata ſunt loca inde a primo ingreſſu ad Plutonis regiam quae proſpicitur, et a laeua Tartarus: tum interponitur 536 *Hac vice ſermonum* (inter Aeneam et Deiphobum) *roſeis Aurora quadrigis Iam medium aetherio curſu traiecerat axem.* Itaque Sibylla affatur eos: *Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas.*

Si verba poetae interpretando ſequeris, non niſi de *eadem illa nocte* accipi haec poſſunt, *qua ſacra, cum ipſo deſcenſu, facta ſunt.* Exigunt hoc rationes grammaticae. Aurora facit decurſum ſuum quadrigis ab oriente euecta non alio modo quam Sol, qui eam ſubſequitur. Ergo ea *quadrigis roſeis curſu aetherio traiicit caelum.* Nunc ea *traiecerat iam axem medium:* eſſe *axem* caelum, dubitari nequit; *medium axem* Romano more non praeciſe ad mediam caeli partem reuocari, ſed omnia dici media, quae ſunt intra extremos fines, multis virorum

doctorum notis ad multos auctores monitum est; intelligenda adeo poetae verba erunt de die orto post diluculum iam depulsum. Et si subiungitur: *Nox ruit, Aenea*, hoc ex ipsa re, quod bona interpretatio postulat, erit accipiendum, verbis non seuere exactis: *Nox abiit*, dies iam exortus est; etsi sensus facile vnumquemque doceat, duriter hoc dictum esse. Ita sane grammatice expedita sunt omnia. Enimuero ita ad miraculum adducta res est, si, cum iter ingressi essent iam sub diluculi tempus: *primi sub lumina solis et ortus* v. 255, nunc *Aurora iam in caelum altius* euecta, die certo ac claro exorta, intra tam breue temporis interuallum tantum viae spatium fuit peractum.

Videamus nunc alteram rationem, vt non eadem nocte peracta esse omnia dicantur. Est ea a Cerda proposita, e qua alii petiere; peragi iter intra XXIV horas, sacrificium noctu inchoatum; statim inde sub ortum Solis iter initum, consumtum in eo *diem posterum cum nocte insequente vsque ad alteram Auroram*. Verum nunc in versibus 535 sq. aut ad eosdem scopulos adhaeresci mus, vt iter, sub ortum solis initum, sole orto per tot loca iam continuatum sit; aut dicendum est, iter per totum diem insequentem iam continuatum esse vsque ad alteram noctem: *Nox ruit, Aenea*. Habet haec interpretatio primo eam statim difficultatem, quod communi veterum mori et opinioni repugnat, qua, quae ad sacra magica et res inferas spectant, referuntur omnia ad noctem. Condonemus tamen haec. *Aurora* iam *medium axem cursu traiecerat*, esto Aurora ipse dies, Ἠώς, eritque, iam *dies medius*: satis magnum nunc quidem itineri per loca infera datum est tempus Aeneae; verum nunc statim post diem medium *Nox ruit*, Aenea: h. e. aduesperascit. Sane quidem *nox* quoque *ruere* dici potest: de quo nemo dubitet; sic sup. II, 250 *Vertitur interea caelum et ruit oceano nox*. VIII, 369 *Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis*. Ita etiam *dies* oriens *ruit* inf. X, 256. Verum *Sol* quoque *occidens ruit* (lib. III, 508) *et montes vmbrantur opaci*; et de vere iam exacto Georg. I, 313 *cum ruit im-*

briferum ver, Spicea iam campis cum meſſis inhorruit etc. *Ruunt* enim et ea, quae imminent, et ea, quae in exitu ſunt. Itaque in verſu Baſilii (Anthol. Lat. Tom. II. p. 306) *noxque peracta fuit* viri docti ex Virgilio emendant *ruit*. Non male itaque Seruius: „ſi per diem ſacra celebrabantur, *ruit* eſt, imminet; ſi per noctem, finitur. In voce *Nox ruit* adeo non laboramus: conſtituendus eſt ſenſus e ceteris. Enimuero quam bene die medio nox ruere dicatur, videant alii.

Hac igitur via non magis expeditum vides iter, quam altera. Reſtat itaque, vt fateamur, aut nos non ſatis commodam interpretandi poetae rationem tenere, aut poetam ſibi ipſi haud conſtare, aut poetam omnino temporum rationes haud curaſſe. Et vltimum hoc praeſtare ceteris videri dixi, nec certas temporum notas eum apponere voluiſſe. Ita nec infra in reditu ad ſuperos certas temporis notas adiecit. Itaque de eo nec eſſe laborandum dixi; aut ſaltem licebit cuiuis ſtatuere pro ſenſu et ingenio ſuo.


EXCVRSVS XII

De Salmoneo.

VI, 585—594. De Salmoneo conſulendi Apollodorus et Hyginus. Etiam haec fabula, dum a multis tractata eſt, a tenuibus initiis latiora deinceps incrementa accepit. Homerus quidem Odyſſ. λ, 235 Salmoneum ἀμύμονα, *clarum*, ſimpliciter memorat, tamquam heroem. Celebratus ille fuit propter opes et natam inde magnificentiam et arrogantiam: vti Aloidae vaſti corporis robore ferocientes. Nunc ille ſecundum nonnullos ſuperbia elatus *quadrigis*, tamquam deus aliquis, *inuectus* per Elidem honores diuinos affectabat. Pro ferro priſci homines aere vtebantur; itaque *currum* eius *aereum* exhibuiſſe debet antiquus poeta. Solum ex aere factum ſubiecere alii. Equi χαλκόποδες vulgari poetarum vſu frequentantur; iidem χαλκόκροτοι. Facile haec poetas ad mythum deducere potuere. Cum aeris ſtrepitu *fulminis et tonitruum* imitationem

affinxerunt alii; quod ſequutus eſt Virgilius. Aliter rem tractarunt alii. v. Apollodor. I, 9, 7, vbi *pelles induratas*, βύρσας ἐξηραμμένας, *cum lebetibus* ex curru ſuſpenſas per ſolum tractat. Agnoſcis luxurians poetarum veteres fabulas ornantium ingenium. Aliter ornatur fabula apud Servium ad h. l. Adde Diodor. in Exc. Virt. p. 546. Acceſſit tandem et illud, vrbem Salmoneam ab eo conditam fulmine conflagraſſe ap. Apollod. l. c. et Notas p. 146. Notabile tamen hoc, quod Virgilius maluit Salmoneum laudare, quam Remulum, Albanorum regem, ſimilis impietatis reum. v. Victor O. G. R. 18 et ibi Not. Dionyſ. I, 71. Scilicet obſcurioris hic erat nominis; et poeta fabulas melius laudat e Graeca antiquitate, quam ex Romana: quippe quae nec parem auctoritatem nec gratiam aut venuſtatem habent.

Ceterum diuinis honoribus, quos imperatoribus adulandi ſtudium detulit, obtrectare his verſibus poetam *ſine dubio* pronuntiat Ioſ. Wartonus. Infinitum eſſet, ſi ſimiles Interpretum argutias enumerare vellem omnes; itaque praetermittere plerumque ſoleo. Sed, ſi ſemel ad haec deſcendere velis, non tam hoc, quod a Maronis aetate adhuc alienum erat, quam potius illud monendum erat: vel ex hoc loco ſatis patere, diuini honoris conferendi morem nihil commune habuiſſe cum opinionibus de diuina natura, deorumque numine; quod vulgo putant. Ciuilis ſeu politica erat inſtitutio, cum ſummis aliquem honoribus afficere vellent, quandoquidem ille ſummo inter mortales erat loco adeoque nihil, quod quidem humanum eſſet, addi poterat, niſi vt honorem modo ab heroum ordine modo a deorum loco et nomine ei peterent; nihil amplius ea re quaeſitum. De huius igitur honoris, qui nobis adeo inſolens videtur eſſe, vi et ſignificatu nemo facile dubitare aut philoſophicas et theologicas notiones cum eo honore coniungere potuit. Iidem illi, qui honores diuinos magnis viris vel potentibus deferebant, agnouerunt impietatem in eo, qui Ioui ſe aſſimulare vellet, vt in hac ipſa de Salmoneo fabula patet.



EXCVRSVS XIII

Animarum origines et fata.

VI, 724—751. Hic iam manifeſte poeta veterum philoſophorum, inprimis Pythagoreorum et Platonicorum doctrinam (Indoctum enim eſt commentum, quod ex Seruio afferunt, ab Epicuro haec eſſe petita. cf. Not. ad v. 265), ſed ſuo ingenio et ad poetices naturam accommodate, exponit. Sed ne Maroni inferamus aliena, ante omnia eius mentem exquiramus, quamquam id interpretatione maxime factum iam eſt.*)

In vſſ. 724—727 *animam mundi* omnia permeantem deſcribit; quam aethereae et igneae naturae credidiſſe videtur (certe τὸ νοητὸν aethereo corpore tamquam vehiculo indutum alienum a Maronis mente eſt) cum Stoicorum parte; nam v. 730 ſubiicit: *Igneus eſt illis vigor et*

*) Diſputatum eſt de his a Wyttenbach in Diſs. quae fuerit veterum philoſophorum doctrina de vita et ſtatu animarum poſt mortem. 1787.

caeleſtis origo (Eadem opinio expoſita in So. Scip. ap. Cicer. c. 3 *hisque animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus, quae ſidera et ſtellas vocatis — quae diuinis animatae mentibus* etc.). *Ductae* ex hac mundi anima *vitae animantum hominumque* v. 728. 729 (tamquam particulae decerptae: *diuinae particula aurae;* vt adeo per hanc ipſam ex diuina natura *emanaſſe* videri debeant). *Ab hac origine animae vitales* (multoque adeo magis animae hominum ratione praeditae; quibus purioris aetheris pars ineſſe debet) *habent naturam aetheream* (conf. Ge. IV, 218 ſqq., vbi idem dogma, ſed aliter deflexum in illam ſententiam, vt animae corpore ſeiunctae heroum, puta, ſapientum et bonorum virorum, tamquam ex huius vitae ſanctitate iam ſatis purae, in ſidera ac caelum recipiantur; quae iam Aegyptiorum fuit doctrina de puris animabus, ſecundum ſollennia verba ex Euphanto apud Porphyr. de Abstin. IV, 10; ea enim in hanc ſententiam accipi debere probabiliter Iablonskium docuiſſe video Panth. p. 32 ſqq.), *ſed corporis contubernio aetherea vis obtunditur* ac debilitatur v. 720. 722, *vnde animorum perturbationes et cupiditates* v. 733. 734. *Vitia* vero haec a corporis contagio contracta *animae ſeſe tam alte inſinuant, vt ne tum quidem, cum a corpore morte ſeiuncta eſt* (et hoc genuinum Platonis dogma. v. Phaedon. p. 61 C. D.), *ex anima excedant* (nam illud poeta non attingit, quod iam in hac vita purgatio expleri, ſaltem inchoari, poteſt, cum per philoſophiam tum per teletas) v. 735—738; *Itaque in inferis locis purgatione opus eſt, qua vitia iſta* (animorum cupiditates et perturbationes, curae, irae, libidines) *eluantur* et eximantur 739. 740 (neque enim parti rationali plenam et perfectam felicitatem contingere poſſe videbant, niſi ab iſtis morbis ac vitiis liberatae: cf. Brucker. T. I, p. 713—719). *Fit purgatio aere, aqua, igni* v. 740. 741. 742 et ibi v. Not. (nec definit poeta, qua in inferorum parte. Scilicet is *Hades* eſt, Aegyptiis iam olim *Amenthes*, v. Plutarch. de Iſ. et Oſir. p. 362 D., vbi interpretatio, eſſe eum τὸν

λαβόντα καὶ διδόντα, referenda videtur ad descensum animarum et reditum in noua corpora). *Purgatio porro subeunda est omnibus* v. 743. Nam, de heroum, philosophorum, et bonorum animabus quae Plato addit, poeta tacet; nec adiicit, quid de iis fiat, quibus tam alte labes ista insidet, vt elui nequeat, qui tamen plures numero esse debent; scilicet hi iam ante in Tartarum erant detrusi. Hoc vero, si modo a poeta est, addit: a crassioribus sordibus liberati, ad Elysium mittuntur, sed *pauci*, ii scilicet, quibus inusta vitia elui possunt, *eo perueniunt*. 743. 744. *Absoluitur hic*, si poetae versus hi sunt, *purgatio, animaeque in pristinam puritatem aethereae naturae restituuntur*. 745. 746. 747. *Post mille annos* (non definitur, purgationisne, an, ea peracta, mille annis inter Elysii delicias exactis) *animabus his omnibus* (748) *noua corpora sunt ingredienda; quod antequam fiat, Lethe bibenda est*, 748 — 751, qui amnis Elysii fines praeterlabitur (705). Illud igitur non declarat poeta, si, post reditum hunc in corpora, iterum in infera loca descenderint, iterumque purgatae fuerint, semperne idem rerum orbis, eaedem vices subeundae sint, an, quod commune fuit Platoni (v. inpr. Timaeum; tum in Phaedro p. 1222. Phaedon. p. 84 D. de Rep. p. 761 D. E.) cum Aegyptiis et Pythagoreis placitum, etsi variis modis passim illustratum, animae illae post satis multas migrationes in corpora, et repetitas purgationes, tandem ita omni labe absterſa niteant, vt diuinae naturae iterum assimulentur, in hanc reuoluantur, dii seu daemones fiant, saltem in eorum commercium admittantur; aut, vt alii exprimunt, in solem, in sidera, in caelum, in beatam sedem traducantur, h. e. ad animam mundi cognatam, tamquam ad fontem suum, redeant. Hoc idem Pindarus dixit Olymp. II, 123 sqq., post trinas migrationes eum, qui iuste vixerit, in Elysium peruenire; aut, vt in fragmento ap. Plat. in Menone T. II, p. 81 Opp. est, inter heroes referri; quod idem Empedocles sequutus erat, vt ex eius fragmento intelligitur ap. Clement. Alex. Strom. IV, p. 633 Oxon.

Totum hunc locum non tam ex philosophis quam ex vulgaribus opinionibus esse concinnatum, contendebat Moshemius ad Cudworth. p. 1043 §. 9. Illud quidem satis liquere puto, ex vulgari vetustiorum theologia, ab Aegyptiis, vt probabile sit, primo petita, et symbolice, vt prisco aeuo fieri necesse erat, expressa, Pythagoricorum Platonicorumque non minus quam mysteriorum Eleusiniorum placita de inferis esse ducta; nec tamen intelligo, quomodo *mille anni* et *Lethe pota* inter vulgi mythos referri possint, quae quidem manifeste sunt Platonica commenta. Sed omnino vir ille summus, in subtilibus quaestionibus soluendis sagacissimus, poetarum interpres erat parum idoneus, vt ex tota illa disputatione Homerica satis intelligas; item in quaestione de stigmatibus animorum (v. Not. ad v. 735 — 739). Hoc sibi omnino persuasum habeant, necesse est, vetustiores philosophiae interpretes, fieri plane non posse, vt quicquam proficiant in antiquissimorum et eorum, qui eos sequuntur, philosophorum dogmatibus intelligendis et eruendis, nisi vim et rationem poeticam antiquissimam, mythica et symbolica eorum, quae excogitauerant, ad sensum expositione et repraesentatione omnia enuntiantem, familiarem sibi reddiderint. Cum ea aetate sermonis nondum esset subtilitas ea, vt proprie efferre possent res intelligibiles, vtque adeo ne cogitarent quidem sine symbolica aliqua repraesentatione, fieri aliter non poterat, quam vt mythicis inuolucris, non *arcanae doctrinae studio*, quod vanum est credere, sed necessitate coacti, philosophemata sua obscurarent. Habuit profecto ea res plurimum molestiae et incommodi; accurate satis, subtiliter, et definite potuit vix tradi quicquam; verum, si ad intelligentiae subtilitatem parum accommodata fuit illa ratio, tanto potentior et efficacior ea credenda est fuisse ad animos mouendos, ad phantasmata praeclara mentibus obiicienda, ad voluntates tenendas et inclinandas, adeoque ad imbuenda religionis et pietatis sensu pectora. Ita enim attemperatae sunt ab aeterna et summa Mente

res, vt in omni aetate et generis humani conditione, siue rudis aetas sit, seu magis magisque expolita, praesidia in promtu sint ad recte feliciterque agendum, modo a solo corporis animique sensu, modo ab intelligendi acriore et subtiliore vi, a rerum multarum cognitione, ab artibus et scientiis, profecta; vtque cum his ipsis bonorum malorumque noua genera succedant, quibus animi et corpora exerceantur. Illa tamen antiquiora philosophemata accipere velle proprie et subtiliter et ad sequioris Graeciae vsum, forte adeo ad nostri sermonis genium; id vero est, Pythagorae, Empedoclis, Heracliti, Platonis Manibus iniuriam facere *).

Saepe ad hanc cogitationem deductus est animus, cum in hoc libro interpretando Cudworthum, cum doctiss. commentatore, Bruckerumque inspicerem. Ita Cudworthus, qui, praeter crassius, aliud tenuius corpus animae indui a Platonicis viderat, hoc interius aerium et spirituale corpus in Virgilium inferebat, vt crassius illud integumentum esset id, quod admissorum scelerum poenas post mortem luat, purgata vero anima desluat, vt anima nunc corpus aethereum illud et αὐγοειδὲς ostentet. Subtilitatem hanc recte retudit Moshemius, pag. 1031. 1045. At idem alia non minus subtiliter super εἰδώλῳ in inferis locis argutatur ad v. 292 h. l., dum corpus illud subtile et tenue, quod animae manet implicitum, etiam a corpore seiunctae, per *animum sentientem* interpretatur. Atqui apud poetas, multo magis apud Homerum, vltra corpus tenue, ex vetere et poetica ratione nihil est cogitandum, quoties εἴδωλον, *vmbram*, audias. Multo melius haec Iortinus exposuit (*Six Dissertations upon different Subjects* pag. 216 sqq.), qui nihil ipse ab initio statim ponit, sed annumeratis locis Homericis, quid inde

*) Meliorem viam ingressi sunt, qui post ista seculi LXX anno scripta veterem philosophiam subtilius exposuere, inprimis VV. CC. *Meiners* et *Tiedeman*.

efficiatur, docet. Animum incorporeum aut corpus, quod animis pro vehiculo sit, cogitare, eorum temporum hominumque inuentum est, qui de animorum naturis iam ab aliquo inde tempore subtilius disputare, et ad maiorem verborum subtilitatem orationem acuere didicerant. At veteres istis contenti erant, res ad sensum reuocare, sensui oculorum et animorum subiicere, mythis pro dogmatibus vti. Multo minus, per sermonis, quo vtebantur, rationem et naturam, in illam doctrinam incidere potuit vetere aeuo quisquam, vt animum incorporeum cogitatione conciperet. Expeditior et facilior fuit via post ideas Platonicas illatas. Quandoquidem autem ii, qui post principes illos sapientes philosophati sunt, etiam cum subtiliore et sermone et cogitatione vterentur, tamen vel secundum antiquos illos vel aduersus eos disputabant, mirum non est in Socratis sermone, in Platonicis et reliquis libris philosophicis tot supereſſe poetici alicuius sermonis aut mythicae vel allegoricae narrationis pro demonstratione vel illustratione vestigia ac fragmenta *). Quod multo magis in loco de rebus inferis accidere debuit, cum a sequioribus philosophis de sede, sorte ac conditione animorum post mortem, nihil subtilius, exploratius, ac distertius afferri posset. Rerum enim in alio orbe et vita futurarum speciem et conditionem nemo mortalium aliter constituere potuit aut potest, quam ex vitae suae notionibus rerumque conditione. Nec aliter a vatibus Hebraeis de iis rebus actum est; nec aliter vnquam agi poterit.

Exemplum huius rei esse poterat ipse Plato in hoc de inferis rebus loco. Ter vel quater hunc sermonem instituit, diuersis quidem modis, at vbique *mythum* se

*) Ab hoc principio vbi profecta fuerit oratio, tum illa deduci tandem potest ad ea quoque, quae Garnerius exsequutus est (*Memoires de Litterat.* Tom. XXXI, p. 164), cum ostendere vellet, quo consilio Plato fabula vsus sit.

afferre profitetur. Mirationem sane haec res facere poterat ac debebat. Non modo hoc ita sit in notissimo Phaedonis loco p. 80 sqq. de mundo aethereo, bonorum sede, et, terrae voragine, Tartaro; vbi sub f. adiicit: „haec ita se habere, nemo sanus asserat, tamen vt vel „sic vel alio modo res se habitura sit cum nostris animis „eorumque sedibus, cum illi immortales sint, hoc dignum „et consentaneum est, ita sentire.“ Verum hoc idem prae se ferre videas philosophum, vt *mythos ac veteres fabulas* apponat, de Rep. X, sub f., vbi de animarum accessu ac discessu, ascensu ac descensu, praemiis ac poenis decuplis, Eris Armenii fabulam afferre se fatetur; et in Gorgia sub fin. de tribus iudicibus a Ioue constitutis, deque animis nudis inspiciendis, veterem fabulam se memorare velle monet. Quo etiam mythus de animarum alis pertinet in Phaedro p. 1223 Frf. Sic et in Axiocho sub f. ex Hyperboreorum tabulis in Delo seruatis petita dicitur afferri narratio.

Etsi vero Virgilii animo Platonica placita insedisse supra haud negauerim, non tamen ille putandus est Platonis philosophiam nobis tamquam trutina appendisse aut annumerasse, vt adeo ad illam omnia reuocari possint; verum miscuit ille Pythagorea Platonicis, tum tenendum est, philosophemata illum cum dilectu et poetica lege tractasse, et ad vulgares opiniones et popularem philosophiam deflexisse, tum alia ex superstitione vulgari, cum qua conuenisse videntur nonnulla in teletis, immiscuisse, quod poetam epicum facere fas erat. Eo purgationum modos, quos supplicia appellat, refero, v. 739 — 742, vbi v. Not. Eosdem in vasis pictis, Etrusca vulgo vocabant, expressos esse suspicio erat Gorii Mus. Etrusc. T. II, p. 148. 132 sqq. et Passerii Paralip. p. 139 Vas. Etrusc. T. I, p. 50. Aliter de his suppliciis disputatum a Platone in Gorgia p. 357 E., qui sedes doctrinae est. Alia, admodum variata, occurrunt in scriptoribus post Virgilii tempora, quae ad nos non spectant. In his est Plutar-

chus aliquot locis; inprimis in libello de ſera num. vind. T. II, 564. vbi Theſpeſius aliquis Solenſis, qui iam mortuus in vitam redierat, ſomnia fabuloſa narrat: ad quem locum ſeriorum philoſophorum commenta docte expoſuit Wyttenbach. De millenario annorum numero v. Not. ad v. 745.



EXCVRSVS XIV

Futurarum rerum praedictiones in epico carmine.

VI, 752 sqq. Ita fere hominum ingenium fert, vt futurarum rerum obscuritate multo magis moueantur, quam praesentis status perspicacitate et euidentia; vti ea, quae praeter naturae morem fiunt, vulgus hominum multo magis percellunt, quam quae ex praeclaro naturae ordine procedunt, qui tamen animis nostris multo clariores ac potentiores admirandae et adorandae diuinae naturae ac prouidentiae causas suppeditare poterat ac debebat. Sed caecutire malumus in incertis quam in certis perspiciendis acquiescere. Itaque poetae, qui humanae naturae morem et indolem in suos vsus trahunt, rem viderunt esse accommodatissimam ad animos tenendos et delectandos, vt ex rerum gestarum memoria ea, quae argumenti epici tempore essent seriora, per vaticinii modum intexerent; quo artificio ipsi tragici copias dramaticas amplificare non dedignati sunt. Vt enim taceam vmbras euocatas, vatumque effata, vel oracula, quae passim in tragicis occurrunt, Aeschyli Prometheus vinctus Ius fata diserto et ornato vaticinio exponit; fata vero Troiae resque post Troiam expugnatam doctissimo dramate Lycophronis Cassandra; maiore vtique cum vi, quam si eaedem res iam gestae et ad euentum perductae narratae essent. Sed epicae narrationi variandae et locupletandae talis vaticinii expositio inprimis accommodata sit necesse est, cum ex futurarum rerum praedictione tantum voluptatis cum admiratione capiant mortales. Quo magis tale episodium optandum fuit Virgilio, cuius tota Aeneis ex oraculis, somniis, et vaticiniis pendet.

Praedicendi autem res futuras modi non adeo multi sunt; nec enim, nisi *a vatibus*, aut *a viso* seu *vigilantibus* seu *somniantibus*, modo *a daemonibus* seu geniis,

modo *magicis* hominum *artibus*, obiecto, aut *ab ipsa diuina natura*, proficisci posse videtur vlla futurarum rerum praedictio. Nullum ex his genus est, quod intactum a poetis relictum sit. Omnium primus *Homerus* euocandis Tiresiae Manibus Vlyssis reditum et fata declarauit. Phinei vaticinio rerum successum *Argonauticorum scriptores* exponunt omnes. Quam insigne *Maronis* inuentum sit, recensu animarum in corpora transiturarum substituto, mox videbimus. Homericam Manium euocationem retinere maluit *Silius* XIII, 400 sqq., qui tamen idem Iouem Veneri futuram Romanorum fortunam interpretantem inducit lib. III, 570 sqq. (Virgilii fere exemplo Aen. I, 257 sqq.). Manibus Tiresiae euocatis vtitur *Statius* in Theb. IV, 406 sqq. *Lucanus* sagae Thessalae veneficio, in membra reuocato spiritu cadauer animat et pugnae Pharsalicae euentum praenuntiat lib. VI, 750 sqq.

Nihil in his occurrit, quod magnopere mireris. In vno vel altero genere substiterunt veteres omnes. At recentiores poetae epici, quorum incredibilis est numerus, varietati et nouitati primo loco studendum esse arbitrati sunt. Itaque omnes rationes ac vias circumspexerunt, quibus futurae res possent praedici, iisque exponendis carmina suaui episodio ornari. Cum vero rationes illae ac modi sint pauci admodum numero, nouique adeo inuenti laus non omnibus esset parata, plerisque in ornamentis et pigmentis opera fuit consumenda. Itaque in varietate quamvis magna, si plures contuleris, taedium tamen facit idem vbique reuertens rerum ordo, eadem phantasmatum species, et in rerum parum probabilium et absurdarum operosa conquisitione confessa ingeniorum infecunditas.

Ea quidem carmina, quibus ex prisca *re equestri* petitum est argumentum, qualia Italorum inprimis sunt et Britannorum, communes fere inter se futurarum rerum exponendarum habent rationes; nam, dum *magorum* et *daemonum* partes in iis tam praecipuae sunt, facile per

eorum miniſteria etiam haec carminis pars expeditur. Eadem argumenti indoles magnam comminiſcendi licentiam affert, vt adeo inſolentia etiam et abſurda rerum miracula tamen, quomodo improbes, non habeas; nam in iſto rerum genere ea probabilitate ſua non deſtituuntur. Simpliciſſima eſt *Spenceri (Fairy Queen* Cant. III, VI, XXV ſqq.) ratio; exponitur Britomarti puellae a Merlino mago ac vate non modo amoris ſucceſſus, verum etiam domus et poſteritatis fortuna; et *Arioſti (Orlando furioſo* Canto III); nam caſu ad Merlini ſepulcrum et ſarcophagum delata Bradamantis partim ex Merlini ore, partim Meliſſae magae arte euocatis vmbris, ſtirpis Ateſtinae ex ſe et Rogerio oriturae ſeriem cognoſcit. Apud *Taſſum (Gieruſal. liber.* Cant. XVII, LXVI ſqq.) Rinaldo progenies fortunaque domus Ateſtinae clipeo inſculpta ab eremita exhibetur; quae adumbrata forte ſunt ex Aeneae clipeo lib. VIII Aen. Nec multum abludit *Arioſti* alio in loco *(Orlando furioſo* Cant. XXXIII) ratio, nam bella a Gallis in Italia gerenda in pariete Merlini arte magica depicta Bradamantis heroina adſpicit; eiusdem Merlini arte in Fontis marmorei ſculptura (Canto XXVI, XXX) Franciſci I, Galliarum Regis, in Italiam expeditio efficta eſt; et alio loco (ſub f. Cant. XXXIV, et Cant. XXXV), dum Parcarum manibus tractata vellera in Lethen ſparguntur, de Hippolyto Ateſtino praedictio ſatis ingenioſe ſubiungitur. *Triſſinus (Italia liberata da' Goti)* etiam binis locis hiſtorias ſequentium temporum intexuit carmini; primum (lib. IX) Beliſarius eremitam in Monte Caſinenſi adit, a quo ſpeluncae incluſus nouo viſi genere in collem rapi ſibi videtur, in quo vtrinque ſpeculum ſole maius, a laeua res praeteritas, a dextra futuras, oculis ſubiicit; Angelo Herminio ac patris vmbra interpretibus. Exornata ſunt omnia per *perſonas ſymbolicas;* quarum ſtudium ſummum erat ſaeculis ſuperioribus, inprimis inter Italos, Platonicae philoſophiae amore et Dantis exemplo; Itaque ſub vitae futurae ingreſſum Error, Ignorantia, Veritas, Ratio, aliaeque multae Virtutes et Vitia, Bona et Mala, excubant. Ad res praeteritas aditum faciunt tres

portae, quarum vnam Cadmi filii tenent cum Poesi et Historia, alteram Fabula, tertiam Sculptura et Pictura. Ad res futuras autem patent portae sex, quas custodiunt Prophetia, Somnium, Mania, Astrologia, Necromantia et Sortes. Alio loco (lib. XXIV) Narses dum Nursiae moratur, quae in Sabinis fuit, nunc Ducatus Spoletani vrbs est, Sibyllam adit. Est vero in vicinis vrbis locis inter Montis Victoris iuga Lacus Sibyllae dictus cum specu. Viam, quae ad Sibyllam ducit, ornauit poeta symbolica vitae humanae repraesentatione secundum planetarum circulos et signorum caelestium XII rationem. Habitat Sibylla sub Capricorno et Aquario; in eius palatio plures sunt oeci seu coenacula satis spatiosa; quorum parietes depictas exhibent res futuras per periodum nongentorum et sexaginta annorum certis rationibus astrologicis exactam; succedentibus nouis figuris prioribus, quae iam euentum rerum habuerant.

Cum Italorum vetustiorum inuentis figmenta, quae in epicis poetis Hispanis et Lusitanis occurrunt, admodum conspirare, ex Ceruante (in *Don Quixote*) suspicari licuit, et vero etiam a Diezio, viro doctissimo et amicissimo, accepi. Inter alios nobilissimi e recentioribus Lusitanis poetae, *Comitis de Ericeira*, in *Henriqueide*, qua Regni Lusitani per Henricum primum Comitem Lusitaniae exordia exponuntur, episodium meo rogatu interpretatus est, quod lib. I et II continetur: Henricus ingressus antrum fatidicum, cuius aditum obsident monstra ad visum et auditum horrenda, prospicit vestibulum templi seu palatii, cuius porta variis hieroglyphis et emblematibus exsculpta est, quorum argumentum faciunt res futurae. Interiora aedis exornant primum statuae ex aere XXIV regum, qui in Lusitanis regnaturi sunt, vsque ad Ioannem quintum, subiecto cuique titulo et carmine, tum aliarum statuarum magnus numerus, tabulae pictae aliaque multa, quibus regum Lusitanorum futura soboles, viri illustres, et facta praeclara repraesentantur. Sub egressum ex spelunca in Sibyllam incidit Henricus, quae, vbi preces eum facere

iussit, tripodi aureo insidens, tribus voluminibus, quae scilicet ex nouem Tarquinio olim oblatis supererant, explicitis, lyraque triangulari tacta, suos casus narrat, tum res exponit deinceps a Lusitanis gerendas, Indiam inprimis vtramque nauigatione patefaciendam. Sub discessum tria talenta a Tarquinio olim pro libris accepta Henrico in manus tradit, vt inde B. Virgini sacram aedem exstruat.

Nec minus mirum et a solita rerum natura recedens est *Camoesii* inuentum. Nam Vasco da Gama *(Cant. X)* a Thetide in altum montem euectus omnia terrarum regna, inprimis Indiae, in globo descripta prospicit, et Lusitanorum fata a dea monitus addiscit. Idem paullo ante *(Cant. V)* ex Adamastore, genio Promontorium Bonae Spei obsidente calamitates nauigationis audierat, et Cantu II ad Virgilii exemplum Aen. I, 223 seqq. Iupiter Veneri Lusitanorum res secundas praedixerat.

Quod primo loco e Camoesio narraui, commentum comparari aliquo modo potest cum *Miltoni* notissimo episodio (lib. XI), etsi hoc ad probabiliorem rationem attemperatum est. Deductus in cliuum a Michaele Adamus prospectum habet orbis terrarum et a comite rerum futurarum expositionem discit. Vestigiis eius satis obsequiose institit *Noachidis* auctor.

A magicis praestigiis et incantamentis retraxit et ad veterum vestigia legenda reuocauit alios ipsa argumenti, in quo versabantur, interdum temporum quoque et hominum, inter quos viuebant, natura. Hi fere ad *visa* ac *somnia* delapsi sunt, quibus futuros casus praedictos exhiberent, aut *Palatium Fatorum* commenti sunt, rem ad exornandum satis obuiam. Intra idem commune multorum inuentum substitit auctor *Henriadis*. Nam emota a S. Ludouico mente Henricus abreptus peragrat caelum ac sidera, regiam dei, Tartarum et Elysium, tandem, vbi

ad Fatorum palatium peruenit, eorum, qui naſcentur, ſimulacra et εἴδωλα diſpicit; omnia tractata ſunt arte ſatis vulgari, et argutius multo repetita in Aurelianenſi puella; niſi quod praeclarus locus ſequitur, vbi Henrici poſteritatem enarrare orditur. Inuenti nouitatem vt in reliquis carminis partibus ita et in hac deſideres in Columbiade (*Colombiade de M^me^ du Boccage* Chant IX). Zamae anima ad Columbum de caelo delapſa non modo futuros Columbi caſus ſed totius Europae fata ſatis ab argumento aliena exponit. *Puella Aurelianenſis Capellani* non minus laborat in eo episodio (Lib. VIII), quo in antro Marculphi eremitae, per viſum precibus et nouendiali ſacro efflagitatum, Regi Carolo cum ſociis futura fata angeli voce enarrantur. Miris modis Veritatis ſeu Fatorum verius Templum deſcripſit exploſus a plerisque poeta Gallus (*Desmarets Clovis* Chant IV). Clotildis a S. Virgine eo deducta in cryſtallinis parietibus futura diſerte ſatis cognoſcit. Necromantia vti bonus *Ronſardus* (in *Franciade* Liv. IV) non refugit; et ad Silii fere exemplum Alarico, dum per ea loca copias ducit, antrum Cumanum ingreſſo Sibylla in conſpectum prodiens futura fata aperit (*Alaric ou Rome vaincue* Liv. X).

Eſt *Melita*, carmen epicum, auctore Gallo (*Privat de Fontanilles, Malthe,* ou *L'Isle-Adam* etc. Par. 1749), qui ſibi egregie in eo placet, quod in Pandaemonio aliquo Equitum Rhodiorum fata a Satana aperiuntur, qui Inſuladamum ſe arbitrum orationis habere ignorat. Neminem tamen vidi inter Gallos ingenio magis luxuriante, quam, quem nunc commemorabo (*Le Moine, S. Louis,* ou *la Ste Couronne reconquiſe*). Apud hunc primo (lib. IV) Necromantes Aegyptius Manes euocat, vt Sultano praedicant belli exitum; quod vero in eo nouitate ſua placet, eſt, quod circa Memphim ad Pyramides et inter Regum ſepulcra iſta ſacra parantur; tum (lib. VIII) S. Ludouico viſum obiicitur, quo in caelum abreptus munitiones caeleſtes, non male verſibus aliquot deſcriptas,

intrat, per plures sphaeras ac caelum crystallinum tandem ad sedem beatam peruenit, cuius (secundum Dantis exemplum) diuersa septa sunt; primo infantes, altero viri sancti, tertio heroes belli pacisque artibus et generosiore aliqua virtute insignes versantur. Subter dei throno vox exit, quae Ludouici fata praemonet; alia eius fata throno insculpta sunt, qui eum aliquando in caelo excepturus est; tandem posteritatis series ac fortuna in lumine, intra caliginem explicito, elucet.

An poeta aliquis Platonis ἰδέαν et exemplar rerum aeternum ad futura adumbranda adhibuerit, ignoro; nec hoc nunc succurrit, num praeter Messiadis auctorem alius poeta propheticas et mysticas futurae vitae repraesentationes in suum carmen intulerit, aut aeones et alia in certis Christianorum libris ac sectis ad hanc rem obuia ad poeticum ornatum adhibuerit; nam ita aberrare nolim quemquam, vt pro doctrinarum placitis haec aut similia nobis impertiat; quid? quod nec memini, cuiquam in mentem venire conatum, vt Apocalypsin Ioannis carmine latino, aut alio, redderet. Brachmanum quoque et Indorum somnia, etsi vana et absurda, multa tamen habent, quibus magnus aliquis poeta egregie vti possit.

Sed video me paullo longius processisse. Reuocanda igitur disputatio in viam. Scilicet si commenta haec omnia cum Virgiliana ratione compares, hanc facile omnium felicissimam esse deprehendas. Transmigratione animarum in noua corpora semel posita, quid opportunius, quam earum ante ingressum in vitam nouam recensus; sed recensus hic sub Lethen iamiam potandam, vel inter potandum; et posteritatis tam clarae; et factus a progenitore stirpis; et expositus filio ac stirpis eiusdem auctori; et vulgari de Iulia gente opinioni consentaneus Augustoque adeo populoque Romano tam commendabilis; descensu quoque ad inferos facto in loco tam accommodato

ex vulgari opinione de Auerno; omnia tam praeclare conſpirant ad probabilem aliquam rerum rationem, vt, quid in ceteris poetis cum hoc comparandum eſſe putem, habeam nihil. Virgilio ſane omnino maior laus inventa aliorum ornandi quam noua excogitandi conuenit; inuentis tamen alienis tam ſollerter interdum vſus eſt, vt aequalem cum primo inuentore laudem mereatur. Inter haec ponemus deſcenſum Aeneae ad inferos. Homerum haud dubie ante oculos habuit; at ab Homerica Necyia quantus artis et ingenii progreſſus ad Aeneidis librum ſextum!

EXCVRSVS XV

Portae Somni.

VI, 894 *Sunt geminae Somni portae* etc. Cum non facile eadem via, qua ad inferos deduxerat, reducere Aeneam poeta posset, ingeniose satis exitum reperit per *portas Somni*, hoc est, *Somniorum* in noto loco Homeri Odyss. τ, 562 sqq. Penelope ibi somnia admodum diuersae naturae esse pronuntiat, alia *vera* exire per *portam corneam*, alia *falsa* per *eburneam*: Δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν (leuium) εἰσιν ὀνείρων· Αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχαται, αἱ δ' ἐλέφαντι. Τῶν οἱ μέν κ' ἔλθωσι διὰ πριστοῦ ἐλέφαντος (per fores ex sectili ebore factas), οἱ δ' ἐλεφαίρονται, ἔπε' (*res;* male reddunt *verba*, vt innumeris Homeri locis) ἀκράαντα φέροντες (ita declaratur, quid sint *falsa somnia*)· Οἱ δὲ διὰ ξεστῶν κεράων (h. e. fores ex sectili cornu factas) ἔλθωσι θύραζε, Οἵ ῥ' ἔτυμα κραίνουσι (h. e. ferunt, nuntiant res, quae vere euentum erunt habiturae) βροτῶν ὅτε κέν τις ἴδηται. Phantasma hoc *forium eburnearum* et *cornearum* ductum haud dubie ex prisca vita et hominum sermone per rerum adumbrationes explicato, quo etiam sapientibus erat vtendum, vt symbolicis rerum assimulationibus animorum sensa exponerent, rerum similitudine aliqua vel animaduersa vel excogitata. In eadem illa prisca vita eboris et cornu vsus erat celebrior quam sequentibus temporibus; itaque fores quoque ebore vel cornu induebant. De ratione eiusdem eboris et cornu ad portas Somni translati variae sunt veterum et recentiorum interpretum ad Homericum et Virgilianum locum somnia. Verisimilior ex iis forte interpretatio est haec, *quod ebur, etsi candore suo lucem promittit, tamen non transmittit visum adeoque fallit, cornu contra pellucidum est.* Nolo enim suspicioni locum dare, in quam, fateor, in-

cidi, totum hoc commentum petitum esse a lusu verborum: sunt Ὄνειροι, quorum est τὸ ἐλεφαίρεσθαι, itaque veniunt διὰ ἐλέφαντος; alii sunt, qui κραίνουσι, iique veniunt διὰ κεράων.

Vsus est his *Somniorum portis* Virgilius ad dimittendum ex inferis heroem suum, quatenus Somniis in iisdem inferis locis sedes sua assignata est. vid. Not. ad h. v. et supra ad 282. Quod inuentum, si ex animi sententia dicendum est, omnino parum felix et idoneum esse videtur, cum ne ad mythicam quidem veri probabilitatem quidquam in eo sit, vt Aeneas cum Sibylla eadem via exeat ex inferis, qua Somnia euolant. Felicius Ouidius Met. XIV, 120, vbi h. l. expressit, Aeneam auersa porta redeuntem prodidit: *Inde ferens lassos auerso cardine gressus.* Ferrem tamen, si satis habuisset, per Somni portas emittere. Enimuero, dum exornauit commentum suum, ea adiecit, quibus sua vineta ipse cecidisse dicendus est. Postquam enim eburnea porta falsa exire somnia dixit, subiicit: Aeneam cum Sibylla ab Anchise eadem *porta eburnea* esse emissum; quo necessario in eam sententiam adducere debet lectorem, quam iam a Seruio expositam videas: *velle eum intelligi, falsa esse omnia quae dixit.* Neque aliter accepisse videtur Ausonius, quantum ex imitatione intelligo *Cupid. cruci aff.* 99 sqq. Quae si poetae mens fuit, nihil vnquam a quopiam poeta magis sinistrum profectum esse arbitror, cum omnis ex praestantissimo episodio percepta voluptas hoc vno versu perimatur et iuguletur. Nec quicquam excogitari poterat absurdius. Quorsum enim pertinere potest, nos moneri, haec, quae adhuc tam egregie fuerant exposita, popularibus opinionibus ad philosophicas rationes attemperatis, omnia ea esse inania somnia, quibus lectoris hiantis animo illudere voluerit?

Nec tamen defuere, qui, cum consilium hoc poetae propositum fuisse putarent, eum non modo defenderent et interpretarentur, inter quos nemo ingeniosior Aurato in elegis ad Guellium, verum adeo laudarent et egregie commendarent, quippe qui tam perspicacis animi fuerit, vt Manes et Orcum fabulas esse videret. Alii vulgarem de poetae studio philosophiae Epicureae opinionem in partes vocarunt, vt post alios vir alioqui sagacissimus, Iortinus Disc. VI, p. 305 sqq. Nolo in refellendis aliis otium consumere; sed tota ista opinio Grammaticorum commentum est inane et fundamento idoneo destituitur. vid. Argument. Ecl. VI. Si poeta Ge. II, 490 sq. versus ex Lucretio adumbrauit, non propterea Epicuri sectae adscriptus haberi potest. Exordium autem Ciris v. 3 nullam habet probandi vim et auctoritatem.

Warburtonus, Vir ingeniosissimus, in Disc. supra laudata ex hypothesi sua de mysteriis Eleusiniis a poeta expressis rem non male expedire videri poterat, cum initiatos, post ista rerum inferarum mythica spectacula, porta emissos esse asseueraret affabre efficta adeoque *eburna;* sed vnde istud probari possit, monere insuper habuit.

Multis aliorum auctorum locis hae eaedem Somni portae memorantur; quippe quae in prouerbii tandem formam abierunt, praeeunte Platone in Charmide pag. 475 E; nec tamen in iis locis quicquam animaduertere potui, quod ad poetam illustrandum lucis aliquid afferret. vid. congesta ad Propert. IV, 7, 87, vbi *piae portae*, h. e. qua *pia somnia* veniunt, nullae aliae sunt quam corneae. Ausonius in Cupid. crucif. sub f., loco iam laudato, et in Ephemer. sub f. vulgatam interpretationem secutus videri potest. Nec Statius quicquam iu-

vat lib. V Silu. 3, 289, vbi, vt Vmbra patris ex inferis redeat, precatur: *Inde tamen venias, melior qua porta malignum Vincit ebur, somnique in imagine monstra, Quae solitus.* Coluth. 311 Nox — δοιὰς δὲ πύλας ἄϊξεν ὀνείρων, Τὴν μὲν ἀληθείης, κεράων δ' ἀπελάμπετο κόσμῳ· Ἔνθεν ἀναθρώσκουσι θεῶν νημερτέες ὀμφαί. Τὴν δ' ἐλεφαντίνην, πενεῶν θρέπτειραν ὀνείρων. quae ex Homericis expressa sunt. At ipse Homerus alio loco etiam obscurasse rem videri potest, vbi Odyss. δ, 809 Penelope *dormire* narratur in *Somniorum portis:* ἠδὺ μάλα κνώσσουσ' ἐν ὀνειρείῃσι πύλῃσι. Forte ita hoc expedias: *porta Somniorum* dicta pro domo, sede, Somniorum; *in qua* quis *versari* dici potest, qui somniat. Dormire igitur illa in media Somniorum domo dicta, vt nos aliquem in Somni regiam abreptum diceremus.

Nolim equidem poetae caussam defendendam suscipere; hoc tamen mihi sic satis intelligere videor, acumen illud, quod Virgilio nimis liberaliter de suo tribuunt viri docti, vt callide monere voluerit, ista omnia de inferis narrata pro somniis et fabulis se habere, ab eo esse alienissimum. Nec in verbis quicquam est, quod eo nos adducat, nec in sententiis nec in poetae consilio. Sed ipsa res deduxit eum in talem locum, vnde pedem referre non tam facile erat. Educendus erat Aeneas ex locis inferis per aliam portam, quam qua subierat. Incidit poeta in portas Somni. Iam eae duplices sunt, altera, per quam *veris vmbris* exitus datur; per hanc Aeneas et Sibylla, quae non erant *verae vmbrae*, emitti nequibant; restabat itaque, vt per alteram portam dimitterentur. Atque hoc poeta posuit, aut parum memor, quid inde sequeretur, si eadem illi porta cum Somniis vanis et falsis educerentur, aut fuit hoc inter


ea, quae Maro emendaturus erat, si licuisset *), aut, quod ponere malim, poetam tenuisse Aristoteleam λύσιν τοῦ προβλήματος (de Poetice c. 25) esse hoc inter ἁμαρτίας κατὰ συμβεβηκός, h. e. non ad artem poetae et carminis oeconomiam hoc spectare; sed reprehensionem peti a re et cogitatione, et cum aliis rebus comparatione, quae *extra carminis argumentum* posita sit.

Non quidem aliquis in numerato habere potest ea, quae Maronis, dum haec scriberet, animo sunt obuersata; hoc tamen summis nonnunquam ingeniis euenire solet, vt, cum semel se laqueis certis induerint, et caliginem sibi offundi passi sint, ita caecutiant (interdum ὅλας κολοκύντας λημᾷν dixeris cum Comico), vt etiam id, quod aliis minus acutis aut ingeniosis in oculos incurrat, animaduertere nequeant: qua quidem re vanitati horum hominum tamquam alae addi solent, quibus illi euolantes summa ingenia infra se posita et humi repentia despectui habeant. Quidni enim poeta Aeneam educebat *eadem porta, qua purae animae in corpora noua sunt exiturae?* Cuius portae omnino nulla facta est mentio. Atqui Plato ea in re figmentis suis praeire poterat. Aut si duas portas commemorasse opus erat, quidni illas *piorum* vel *impiorum* Manium exitui destinabat; fere vt *pia* et *impia somnia*, h. e. vmbras, memorat Propert. IV, 7, 87 sqq. Ita quoque Valer. Fl. I, 833 sq. duas portas Orci facit, quarum vna vulgus animarum, altera pii, ad inferos descendunt. Homeri quoque duae portae in Nympharum antro Odyss. ν, 109 sqq., altera ad boream versa, et hominibus frequentata, altera ad austrum, et diis tantum adeunda, nouas

*) Hoc aut simile quid obuersatum esse video animo elegantissimi Britanni, qui nuper Warburtoni sententiam excussit (*Critical Obss. on the Sixth Book of the Aeneid.* p. 55).

rerum imagines subiicere potuisse videntur. Sed satis de his, ne et ipsi ὄναρ δι' ἐλέφαντος ἐληλύθος narrare videamur *).

*) Paullo licentius me mihi in Excursibus huius libri indulsisse et nonnulla luxuriantius persequutum esse, lubens agnosco eiusque rei veniam ab aequo lectore postulo. Mirifice me inde a puero detinuere disputationes illae veterum de rebus inferis, et opinationes de iis, quae post mortem obuentura sunt.





Laomedontia pubes
Graminea ripae religauit ab aggere classem:
Aeneas primique duces et pulcer Iulus. Aen. VII, 105 6.7.

P. VIRGILII MARONIS

AENEIDOS

LIBER SEPTIMVS

ARGVMENTVM

Caietam, nutricem suam, Aeneas sepelit, locumque ipsum ab eius nomine Caietam appellat — 5. Inde Circes sedem praeteruehitur — 24, secundoque vento ad Tiberis ostia defertur: aduersoque flumine subuectus, in Laurentem agrum egreditur — 36. Digressione de prisco Latii statu et de prodigiis, quibus Troianorum aduentus denuntiatus fuerat, facta — 106, pergit narrare poeta aliud ostentum comesarum mensarum; cum Aeneas ex Ascanii verbis cognouisset,

eam esse terram fatis sibi debitam; ad Latinum regem, qui eius tractus regnum obtinebat, centum oratores mittit, qui et suo nomine illi munera offerrent, et vrbis condendae locum peterent. Interea castra metatur — 159. *Latinus, legatione benigne audita, praeter postulata, Lauiniam filiam suam, quam, ex Fauni, patris sui, oraculis et ex augurum responsis, externo viro tradere iubebatur, vltro Aeneae coniugem offert* — 285. *Interim Iuno, prosperis Troianorum rebus offensa, Alecto ad disturbandam pacem ab inferis euocat* — 340: *quae primum Amatam, Latini vxorem* — 405, *deinde ipsum etiam Turnum furiis suis implet* — 434: *atque inde ad Troianorum iuuentutem conuersa, quae tum forte venationi operam dabat, mansuetum illis ceruum obiicit, Tyrrhi, armentarii regii, liberis inprimis carum; quem cum Ascanius sagitta vulnerasset, rustici, arreptis armis, in Troianos impetum faciunt* — 510. *Alecto ex superiore loco classicum canit: cadunt in eo tumultu Almon, Tyrrhi filius natu maximus, et Galesus, agricola regionis totius locupletissimus: qui cum in vrbem mortui essent relati, Turnus et Amata regem Latinum ad bellum suscipiendum iniuriamque manu vindicandam exstimulant* — 590. *Verum cum ille, et fatorum et foederis nuper cum Troianis initi memor, adduci non posset, vt illis bellum indiceret, Iuno ipsa belli portas aperuit* — 622. *Turni auspicio ad bellum sequitur Mezentius vna cum Lauso filio* — 654: *item Auentinus, Herculis ex Rhea filius* 669: *Catillus et Coras Tiburtini, fratres* — 677: *Camilla e Volscorum gente, mulier fortissima* (803—817): *aliique complures: quorum recensus inde a v.* 678 *ad finem libri subiicitur.*

Infinitum esset, si commemorare omnia, diluere ac refellere, vellem, quae super sex posterioribus Aeneidis libris a viris doctis disputata sunt. Solet fere vnusquis-

que acceptum hoc ab aliis tradere: inferiores esse eos libris sex prioribus inuentionis laude, spiritu poetico et ornamentorum copia ac varietate: itaque multo minorem voluptatem eos legentibus afferre, remitti animum et vix episodiis aliquot idoneis excitari ac languore absterso recreari; nec mirum esse, si haec ita se habeant: cum vltimam manum poetae carmini fatum inuiderit. Quod ne frustra a veteribus traditum esset, viri docti circumspexerunt solliciti, quidnam illud esset, quod inchoatum tantum, non absolutum, in his libris habendum sit.

Me dissimillimum esse eorum, qui caeca Virgilii admiratione capti sint: tot, puto, locis a me declaratum est, vt in contrariam adeo reprehensionem incidere multorum iudicio videri possim. Omni igitur cupiditate ac studio in poetam deposito, tamen iure meo me hoc pronuntiare arbitror, in his argutationibus pauca esse, quae viro intelligenti se probare possint. Adeo a poetae consilio, carminis argumento, heroicae vitae indole, Augustei aeui sensu ac iudicio, communi naturae humanae lege ac more, carminis epici interioribus caussis, aliena sunt pleraque, vt illa centies recocta iterum perlegere, iterum refellere, molestia omni molestius sit.

Vt tamen interpretationis hoc genus meum, quod non desultorium esse ab initio decreui, sibi constet, non omnino eas argutias praetermittere licet. Perstringam itaque breuissime potiora reprehensionum vel laudum capita, et tamquam leui digito attingam ea, quae caussis idoneis in vtramque partem destitui equidem arbitror. Actionem aiunt ab hoc libro procedere carminis alteram, a priore diuersam, quod ab vnitate carminis epici quantum abhorret! res in Italia gestas; idque ipsum poetam non ignorasse, cum sic ordiatur narrationem v. 44. 45 *Maior rerum mihi nascitur ordo: Maius opus moueo:* eum autem in hunc errorem inductum, quod sex prioribus libris Odysseam, his alteris sex Iliadem redhibere et exprimere voluerit. Quod, si quid aliud, frustra sumitur, etsi iam inter Seruiana nugamenta (ad lib. VII, 1) vendi-

tatum; nec, si in singulis partibus vel episodiis Homeri vestigiis insistit Maro, eum ita imitatus esse credi debebat, vt eius corpus in partes disfectum nouo exemplo conglutinaret. Antequam ad Italiam accederet Aeneas, iter Troia factum erat commemorandum. Quod in Africam defertur classis, quod, cum Iuno fraudibus hoc suis consequuta non esset, vt Didonis amore irretitus Aeneas Carthagine desideret, iterum conscensis nauibus Siciliam adeunt Troiani, et inde profecti tandem Tiberis ostia invehuntur; ea omnia ad vnam illam actionem non minus pertinent quam difficultates, quae escenso in Latino littore facto suboriuntur, quibusque verendum erat, ne a sedibus in Latio occupandis et noua colonia huc ducenda prohiberentur Troiani aduenae. Inuocatio Musae non per se partem operis constituere potest nouam: sed ad excitandos et inflammandos sub magnae rei exordium cum poetae tum lectoris animos valere debet. Quod diuersa sunt rerum in his ac superioribus libris narrandarum genera, hoc ipsum ad varietatis ac copiae laudem pertinet. Quis in Homero recensum nauium nouam carminis partem constituere dixerit, quoniam poeta Musis inuocatis illum orditur? *Maius opus* se mouere, ingredi, dicit poeta: rerum naturas respiciens, bella ac pugnas, cum erroribus maritimis comparatas: *Dicam horrida bella, Dicam acies* etc. v. 41. 42.

Reprehendunt alii poetam, quod horum sex librorum argumentum intra bella ac pugnas continetur: hac rerum semper ad idem genus redeuntium turba, nasci legentis taedium. Scilicet sic ab omni narratione epica, quae in rebus gestis magnis ac mirabilibus factisque audaciae ac virtutis heroicae specie animos mouentibus versatur, erit abstinendum. Nam et magna est omnium similitudo, et magna eorum pars rebus bello gestis continetur: inprimis si de iis quaeritur, quae argumentum epicum suppeditare possint. Tum *bello*, ad ipsam historiarum fidem, paratae fuerunt Troianis sedes in Latio; et variati sunt a poeta pugnarum casus mirifice; etiam


episodiis suis distincti. Bellum aiunt propter puellam, Aeneae numquam visam, geri: Quod verum non est. Geritur bellum super Troianorum sedibus in Latio: accedit Lauiniae coniugium tamquam pignus foederis cum Latino de his sedibus in Latio conceſſis facti: VII, 260 sq. 267 seq. Lauiniae amorem, qualem nostra aetas probat, ab Aenea frustra in heroica vita exspectari, alio loco monui. Amatae quoque partes, quales Mariae Mediceae vel Annae Austriacae, ea aetate dari non poterant. Etiam icto iam cum Latino foedere causſas belli aiunt (Macrobii exemplo Sat. V, 17) nimis esse exiles ac tenues; cervam, puellae Siluiae delicias, casu a Troianis caesam. Nec tamen causſa haec belli fuit, sed, exacerbatis iam Latinorum animis prima, qua erumperent irae, occasio (cf. ad VII, 475): eaque ad priscae vitae morem non male attemperata; inprimis si Latium cogites quale illo tempore fuit, per vicos et tuguria sparsim inhabitatum, cum vna vrbs Laurentum esset; etsi poeta tenuitatem rerum diligenter ex oculis legentium remouit, resque vitae heroicae pauperes et exiles epico splendore summo ornauit. Sed omnino belli exordia ad Iunonis artes et ad euocatae Alectus fraudes referenda sunt, quibus exasperati Latinorum et Turni animi a nouis in Latio sedibus Troianos prohibent.

In Latino tamen multa sunt, quae personam epicam dedeceant. Recte hoc moneretur, si epicam ille, quam volunt, personam sustineret, hoc est, si in hoc rege summa rerum verteretur. Nec vero eminere eum par erat, si Turnus in medium erat adducendus isque cum Aenea comparandus: aut enim duo futuri erant Turni, aut simplicitas actionis et argumenti vnitas deferenda. Adumbratum est in Latino veterum regum exemplum, quorum vix alia auctoritas, quam vt consiliorum populi principes bellique duces essent. Latinus itaque non audet bellum gerendum detrectare, poscentibus populis; lib. VII, 591 sqq. Cum autem Turno summa belli esset mandanda; Latinus annis grauis a rerum actu erat remouendus. Itaque Turnus copias

cogit, agmen ducit; et ad eius voluntatem in ipsa vrbe nouae copiae conscribuntur lib. VII, 367 sqq. Turni autem ferox ingenium ac violentia multo magis eluceſcit cum Latini miti ac manſueta mente comparata. Sed ipſe Turnus plus audaciae ac vividae virtutis habet, quam Aeneas. Recte vtique, ne duo eſſent Aeneae. Et dignus erat aduerſarius Aeneae obiiciendus. Cum autem huic ſemel eſſet tributa virtus cum prudentia et conſtantia animi, quam res aduerſae et rerum vſus et experientia afferre ſolet: violenta illa et temeraria fortitudo in Aeneam non cadebat, Turno relinqui poterat. Annon Laviniae, ſi liberum erat puellae arbitrium, praeferendus fuiſſet Turnus: quaeſtio eſt ex noſtris moribus ingeniisque petita, non ex heroicae vitae ſeuerioribus in ſeminеum ſexum inſtitutis. Nec vero Latino displicebat Turnus, probatus quoque eximie (v. c. XII, 19 sqq.); prodigiis tantum et monitis deorum externum generum ſibi aſciſcendum eſſe Latinus intellexerat.

Potuere vtique eſſe in Aeneide, quae minus ſe probarent Vario, Tuccae, Maecenati vel Auguſto: ſunt quoque paſſim notata a nobis nonnulla, inprimis in deorum miniſteriis, parum ſubtiliter digeſta, alia, inprimis in ſermonibus, rhetorum argutiis inquinata, quae displicere poſſunt: ſed haec profecto, quae noſtri aeui critici reprehendenda putarunt, iſta aetate vix in vituperium venerunt; nec omnino cum naturae ſimplicitate et integritate coniuncta, verum ex noſtrae vitae faſtidio et ſtomacho ducta ſunt. Si ſex poſteriores libri non aeque delectatione tenent animos magnae lectorum partis, ac priores: cauſſas eius rei facile equidem aſſequor; ſcilicet, vt ne impetum animi, ſublata rei nouitate, retuſum commemorem, ad ſex poſteriores libros intelligendos doctrinae haud vulgaris copia rerumque antiquae Italiae ſcientia requiritur; is autem, qui in rebus verſatur obſcuris parumque notis adeoque difficilibus, vbi laboris moleſtia voluptatem intercipit, et ingraueſcens tandem taedium librum manu excutit, non facile eius

rei cauſſam in ſe latentem agnoſcit, ſed in auctore rei, quae taedium afferebat, reperit. Adeo difficile eſt in ſe deſcendere, et iudicii ſui cauſſas exquirere occultas. Altera tamen ex parte is, qui antiquarum rerum lectione delectatur, et tam ingenioſe a poeta et ſollerter innumera ex Italiae antiquitate commodo loco poſita et ad finem epicum attemperata animaduertit, non minus recordari debet: magnam huius voluptatis partem non tam ab ipſo carmine, quam a doctrinae copiis, difficultatis ſuperatae ſenſu, antiquitatis ſtudio et amore, et quae alia, proficiſci.



Euoe! Bacche! fremens Aen. VII, 389.

Tu quoque litoribus noſtris, Aeneia nutrix,
Aeternam moriens famam, Caieta, dediſti;
Et nunc ſeruat honos ſedem tuus, oſſaque nomen

2 *famam moriens* Gud., ingrato ſono. 3 *At nunc* pr. Moret. a m. pr.

1—4. *Caietae*, quae in his locis moritur, memoria in Aeneae erroribus non obſcura erat: et promontorii portusque et vrbis nomen in Latii et Campaniae finibus ab ea ductum vulgo ferebatur. De Caieta v. Excurſ. I. Super libri initio aut nimium disiuncto a Miſeni memoria VI, 232 (nam ad hanc refertur *tu quoque*), aut nimium coniuncto cum verſſ. vltimis ſup. libri, cum veter. Grammaticis argutari nolim. 3. Etiamnum *ſeruat honos ſedem tuus*, exquiſite, pro, honos adeſt adhuc, ſupereſt, ſeruatur ſedi tuae, tumuli tui extat adhuc memoria; nam *ſedes* pro ſepulcro, vt v. 152 lib. VI. *honos* pro titulo et nomine ſeu inſcripto ſeu fama vulgato: ſupra VI,

Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat.
At pius exsequiis Aeneas rite solutis,
Aggere conposito tumuli, postquam alta quierunt
Aequora, tendit iter velis, portumque relinquit.
Adspirant aurae in noctem, nec candida cursus

4 *ea* deest Puget. *signant* Heins. o Medic. Gud. et aliis maluit. Sed exemplo adiecto (sic apud Nasonem, *nomina signata saxo*) vix satis commode declarauit, quo modo accipi id vellet, Burmannus ad hysteron proteron recurrit; quod multo minus commodum est. Contorte etiam Cerda. Si tueri illud velis, dicendum esset: *ossa* pro loco dicta esse, quo ossa sunt condita, hoc est, pro tumulo; is signat, adeoque *ossa signant*, titulo insculpto posteris produnt, *nomen* tuum. At haec dura sunt; praestat altera ante Heinsium vulgata lectio, quam inter ceteros codices Romanus firmat, *signat*, vt *honos seruat sedem*, sic *nomen signat ossa*, h. nomen loco inditum sepulturam Caietae ad nostram memoriam seruat. Ed. Ven. repetit, *seruat*. 6 *quierant* ex Hebro (ignotum nomen et forte corruptum) laudat Seruius; quod et ipsum haberet locum; et sic Montalb. et pro var. lect. alter Hamb. 7 *portusque* Gud. *reliquit* aliquot Heins. et Pier. 8 *cursus* Heins. cum vetustioribus, it. fragm. Vatic. Vulgo *cursum* legitur.

507 *nomen et arma locum seruant*. Alterum *ossa nomen signat*, eodem fere redit; *nomen* est titulus sepulcri, signatque adeo ossa, quae in eo condita sunt. *Hesperia magna* epitheton ornans; v. I, 569 et IV, 345 *Italia magna, si qua est ea gloria*. Interpretes a Seruio inde accipiunt, quasi dictum sit: si quis sensus eius gloriae ad inferos est. Bonus sensus; sed verba hoc tantum subiiciunt: quantacunque ea gloria sit.

7—9. *tendit iter velis*, per vela vento data, docte, vt *cursum, gressum tendere* aliquis dicitur; pro vulgari: tendere cursu. Sic I, 656 *iter ad nauis tendebat Achates*. Sub noctem ἐπιπνείουσιν ἄῆται, vt saepe Apollonius, ventus secundus increbrescit et luna fauet nauigationi *(non negat cursum)* splendore suo, qui

Luna negat; splendet tremulo sub lumine pontus.
Proxima Circaeae raduntur litora terrae:
Diues inaccessos vbi Solis filia lucos
Adsiduo resonat cantu, tectisque superbis

10 Est τὸ Κιρκαῖον. 12 *resonant* Sprot.

egregie describitur: *Splendet tremulo sub lumine pontus.* Nota rei imago, quam Cerda copiose illustrat; expressa dudum ab Ennio: *Lumine sic tremulo terra et caua caerula candent,* ap. Macrob. VI, 4.

10 — 14. *Circes insula,* facta postea terra continens, Circeii, notum Latii promontorium. De ea vid. Excurs. I. Petita est fabula ex Odyss. κ indeque etiam illustranda; sed poeta ornauit studiose singula verbis exquisitis. *raduntur;* nam praeteruehuntur Troiani; sic III, 699. 700. *Diuitem* cur appellet Circen, caussam puto esse domus opulentiam (vnde mox *tecta superba*), quam Homerus quoque ei tribuit l. l. v. 210. 211 et 311. 314. 315, inprimis 348 sqq. conf. Ouid. Met. XIV, 260 sqq. *inaccessos lucos,* h. l. siluam, ad quam raro accedunt homines, solitariam. Seruius: *ad quos nullus debeat accedere* sc. veneficiorum metu. At *lucos* memorat secundum Homerica ibid. 149. 150, vbi silvam in insula et in ea Circes aedes memorat. Esse autem Circeios densos siluis, ἄκραν ὑψηλὴν, θασεῖαν δὲ σφόδρα, καὶ ἔχειν ὀρῦν καὶ δάφνην πολλὴν καὶ μυρρίνην, monstrari porro Elpenoris (Odyss. μ, 14) tumulum et in ea nasci myrtum, etiam Theophrastus acceperat Hist. Plant. V, 8, et Plinius porro XV, 29 myrtum *in Europae citeriore solo — primum Circeiis in Elpenoris tumulo visam* tradi notauit. *resonat,* resonare facit, vt alibi quoque. Vulgarius, personare. De cantu Circes nota res ex Odyss. κ, 221 sqq., qui iidem versus cum de Calypso quoque ab Homero positi sint Odyss. ε, 61. 62, ex eodem loco v. 57 — 61 repetiit reliqua de foco et de textura. Nam Πῦρ μὲν ἐπ' ἐσχαρόφιν μέγα

Vrit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenuis percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus iraeque leonum,
Vincla recusantum, et sera sub nocte rudentum;

13 *odoratum* Oudart. *ad l.* Leid. *nocturno in lumine* Medic. et Zulich. a m. sec., quae vulgaris est ratio. 14 Idem versus Ge. I, 294. 15 *gemitus* leonum: noli substituere velle *fremitus*. Nam et illud poetis sollenne: v. c. Lucan. VI, 688. Drak. ad Silium I, 425. 16 *rugentum* pr. Moret. a m. sec., insite.

καίετο, τηλόθι δ' ὀδμὴ Κέδρου τ' εὐκεάτοιο θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει Δαιομένων. cf. Plin. XIII, 16, 30. Priscae vitae, et Orientis nunc quoque communes eae lautiorum hominum deliciae, quas vel laxiorum nimio aestu corporum effluuia suadere possunt, vt suffimenta vel odores accendant. Hoc itaque ad Nympham ab Homero bene traductum. Est autem et hoc ex eadem vita, vt posito in mediis aedibus foco ignis lumina per noctem praebeat. Sic v. c. Odyss. τ, 63. 64 et alibi. cf. Goguet. (*Origine des Arts* etc. T. III, p. 391, et T. I, p. 241). *Vrit in lumina*, vt pro lumine esset; ita εἰς, pro *ad*. *Cedrus* autem Graecorum et Romanorum, vt iam ad Georgica vidimus lib. II, 443, e Iuniperorum genere est, etiam oxycedrus dicta. v. Bodaeus a Stapel ad Theophr. H. Plant. III, 12, vbi Icones quoque visuntur, et post alios Celsius in Hierobot. P. I, p. 77, qui diligenter a cedro Libani, quae ex abietino genere est, eam distinguit, etsi ne sic quidem satis expedita res est. Sufficit, θύαν, θύον, *cedrum*, esse aliam orientalem aliam occidentalem, hanc quidem Theophrasti appellatam. Ex Homerico loco quoque versus 14 illustrandus: ἱστὸν ἐποιχομένη χρυσείῃ κερκίδ' ὕφαινεν. *telae* h. l. pro stamine vel trama, quam textrix ἐποίχεται κερκίδι, percurrit pectine. De hoc v. Excurs. I*

15—18. Admodum ornate singula, si cum Homericis compares Odyss. κ, 212 seq. et Apollon. IV, 672 sqq. *formae luporum* simpl. pro lupis, forma dicendi poetica,

Saetigerique ſues, atque in praeſepibus vrſi
Saeuire, ac formae magnorum vlulare luporum;
Quos hominum ex facie dea ſaeua potentibus herbis
Induerat Circe in voltus ac terga ferarum.
Quae ne monſtra pii paterentur talia Troes
Delati in portus, neu litora dira ſubirent:
Neptunus ventis inpleuit vela ſecundis,
Atque fugam dedit, et praeter vada feruida vexit.
Iamque rubeſcebat radiis mare, et aethere ab alto
Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis:

18 *formâ* Franc. 19 *ſaeua* poſt *ſaeuire*. Libri nil mutant. 20 *in* abeſt tribus ap. Burm. et Hamb. ſec. *Induerat vultus Circe.* Porro Montalb. *in terga vultusq.* Etiam *et t. f.* nonnulli Pier. 21 *patiantur* Bigot. 22 *dura* duo Burm. 26 *in croceis* coni. Schraderus ad Muſaeum p. 289. Sed in *roſeis bigis* non tam erat haerendum, quam in mira colorum temperatione: poſt *rubeſcens* mare, *roſeae* bigae et *lutea* aurora.

quam iam alibi vidimus; et *praeſepia* paulo ante pro caueis. Sic iam Seruius explicuit. Disceſſit autem ab Homero, qui mutatas has feras humanam manſuetudinem ſeruantes exhibuerat l. c. v. 214 ſqq.

19. 20. *induerat in vultus ac terga*, h. corpora, *ferarum* pro vulgari, induerat eos formis ferarum. cf. Ge. I, 187. 188. *pii*, θεοφιλεῖς adeoque diis curae. ſup. III, 265 *Di prohibete minas: di talem auertite caſum: Et placidi ſeruate pios.* Mox 24 *fuga* pro celeri curſu et nauigatione, et: *praeteruexit* eos per *vada feruida*, mare aeſtuoſum, vt circa promontoria ſolet.

25—28. Valde operoſum cultum adieciſſe videtur poeta his verſibus, primum colorum varietate, tum epithetorum copia, et verborum pondere, inprimis v. 28 *in lento*, immoto a ventis, mari *luctantur* remi; vento ceſ-

Quum venti posuere, omnisque repente resedit
Flatus et in lento luctantur marmore tonsae.
Atque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum
Prospicit. Hunc inter fluuio Tiberinus amoeno,
Vorticibus rapidis, et multa flauus arena,
In mare prorumpit. Variae circumque supraque
Adsuetae ripis volucres et fluminis alueo
Aethera mulcebant cantu, lucoque volabant.

27 *Tum* ex Schol. Horat. et Statii laudat Burm. 28 *luctatur* Mentel. pr. 29 *hinc* Zulich. et Witt. *ingenti* Menag. sec. 30 *et inter* Doruill. 31 *Verticibus*, cum aliis, antiquissimi Mediceus et Romanus; it. fragm. Vatic. 32 *praecipitat* pro diu. lect. tert. Moret. *superque* Witt. *suprema* Gud. a m. pr. 34 *Aequora* Serv. ad IV Aen. 524. *sonabant* Diomedes III Instit. Grammat.

sante, qui nauem ageret. Caussam tanti ornatus in eo inuenire licet, quod de ortu memorabilis et magni istius diei agitur, quo primum Italiam illam a fatis promissam adibant Troiani. De v. 26 v. Var. Lect. *posuere* scil. se, quieuere. X, 103 *Tum Zephyri posuere*. At sup. V, 681 *flammae atque incendia vires posuere*. Porro *marmor* pro mari dici notissimum est; vsus tamen caussas nusquam appositas vidi. A graecis ductum esse manifestum sit. μαρμαρέην ἅλα dixerat Homerus; *candidum, splendens* sole. Dictum μάρεος et μάρμαρος, vnde πόντος μάρμαρος. et τὰ μάρμαρα πόντου· hinc Latini poetae *marmora pelagi* fecere, vt Catullus, quia μάρμαρος πέτρος, h. e. λευκὸς latine est *marmor*. Ita tandem *marmor* absolute pro mari, vt aequor, quia Graeci dixere πλάκα πόντου; et quidem iam apud Ennium, sec. Gellium II, 26. *Verrunt extemplo placide mare marmore flauo.*

29—36. Simili cum iudicio ornata sunt haec, cum iam de rerum summa, de accessu ad Italiam, agatur, itaque locorum faciem exhi-

Flectere iter ſociis terraeque aduertere proras
Imperat, et laetus fluuio ſuccedit opaco.
Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit ſtatus, aduena claſſem
Quum primum Auſoniis exercitus adpulit oris,
Expediam, et primae reuocabo exordia pugnae;

35 *ſocios* aliquot Pier. Mentel. pr. a m. pr.; et ſic Ge. Fabricius ſcriptum viderat. 38 *antiquus* Moret. pr., quod vulgare eſſet. *fuerat* libri Pierii et Giphanii, vnde is faciebat, *fueret*, importuno archaiſmo. *claſſe* Goth. ſec.

bet poeta iucundiſſimam. *lucoq.* per lucum. *flectere iter*, curſum, nauem. Facit vero haec Aeneas, vt ad ipſa Tiberis oſtia curſum regat, ad Creuſae monitum lib. II, 781. 782 *ad terram Heſperiam venies, vbi Lydius arua Inter opima virum leni fluit agmine Thybris.* Factus eſcenſus ad ripam fluminis in agro Laurentino; erat autem ille olim lauris conſitus; vnde *lucus* et *fluuius opacus*. Conf. Excurſ. II pr. et III ad hos verſ.

37 ſqq. Ad legentium animos excitandos inuocationem nouam valere, nota in poetis res eſt. In *Erato* argutantur interpretes. Ponitur a poeta pro Muſa qualicunque, vt recte Seruius. Apollonii exemplum bene laudatur ab aliis lib. III, 1 Εἰ δ' ἄγε νῦν, Ἐρατὼ etc., vbi tamen Erato proprio ſuo iure ad amorem Medeae exponendum aduocari putatur. Mox *quae tempora rerum* fuerint, non tam, quibus temporibus Aeneas aduenerit, quam, vt ſolet *tempus* pro rerum conditione poni; in quae Latii tempora inciderit hic acceſſus. Quod *rerum* adiectum, poetici ſermonis eſt proprium. *antiquo* ornat h. l. epitheton. Aliter in hiſtoriis Latium antiquum et nouum dicitur. 39. *exercitus* pro populo, turba, naualibus copiis. Per στόλον Guell. et alii explicant. Sic Graecis tragicis στρατὸς, τάγμα, τάξις (vt Aeſchyl. Prometh. 128) et alia. *exordia pugnae*, vena-

Tu vatem, tu, diua, mone. Dicam horrida bella;
Dicam acies, actosque animis in funera reges,
Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam
Heſperiam. Maior rerum mihi naſcitur ordo;
Maius opus moueo. Rex arua Latinus et vrbis
Iam ſenior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno et nympha genitum Laurente Marica
Adcipimus; Fauno Picus pater; isque parentem
Te, Saturne, refert; tu ſanguinis vltimus auctor.
Filius huic, fato diuom, prolesque virilis
Nulla fuit, primaque oriens erepta iuuenta eſt.

41 *Tum* Franc. *dic h. b. dic a.* alter Voſſ. 42 *aptosq.* Goth. pr. 44 *et maior* ſec. Rottend. *rerum maior* Goth. pr. 46 *placidus* Doruill. *gerebat* pr. Moret. *in bella gerebat* ſec. Hamb. 47 *genitum et nympha* Goth. ſec. *ex nympha* Leid. vnus. *Larente* Leid. alius. *Mirica* Bigot. 48 *P. patrisque parentem* Parrhaſ. 50 *hinc f.* Ven. 51 *eſt* deeſt Bigot. et Goth. ſec.

tione cerui, inf. 480. 42. *reges*, Latinum, Turnum, Mezentium; hinc *Tyrrhena manus*. Sed quod ſequitur, in maius auctum, totam Italiam coiiſſe ad arma. Ceterum de priſcae Italiae facie, populis, eorumque originibus ad h. l. vid. Excurſ. IV.

45—49. Latini genus ad Saturnum refertur, deum Aboriginum indigetem, mox cum Crono comparari ſolitum. Ab hoc Picus procreatus, ex hoc Faunus, Latini pater. *Faunus* numen antiqui Latii fatidicum, v. inf. VII, 82 ſeq. *Marica* nympha Latii, cuius religio apud Minturnenſes ſeruata eſt, luco ad Lirim fl. conſecrato. Quod eam poeta *Laurentem* appellat, poetico more facit, nomine a vicinis locis petito: nam ad Lirim vsque Laurentes non habitarunt; etſi nomen Latinum, nouum certe Latium, eo vsque perringere potuit. De reliquis vid. Excurſ. V.

Sola domum et tantas seruabat filia sedes,
Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.
Multi illam magno e Latio totaque petebant
Ausonia; petit ante alios pulcerrimus omnis
Turnus, auis atauisque potens: quem regia coniunx
Adiungi generum miro properabat amore;
Sed variis portenta deum terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio, in penetralibus altis,
Sacra comam, multosque metu seruata per annos:
Quam pater inuentam, primas quum conderet arces,

52 *tantos f. nata penates* laudat Schol. Stat. I Theb. 572. 53 *v. et iam* Witt. 54 *iam* pro *illam* tert. Rottend. a m. pr. *e* binis Burmann. deest. 55 *ante omnes p. vnus* sec. Moret. 57 *magno p.* Bigot. *p. honore* Goth. tert. 59 *in* abest Erf. *in medio, in p.* quatuor Burm. et Goth. tert. *in medio p.* Oudart. *alto* pr. Moret. 60 *S. coma* aliquot Heins. cum Nonio, sed praestat graeca ratio.

52—58. Lauinia *seruabat sedes* exquisite, tenebat, possidebat, et hoc simpliciter pro, erat in domo paterna vnica filia et heres; nihil amplius. *petere* sollenne pro procare; v. Cerda, vt αἰτεῖν. Bene autem ad prodigia et deorum ostenta rem reuocavit poeta; primum, vt totius carminis colori et indoli a religione ductae etiam haec pars conueniret; tum vt Turnum praestantissimum adolescentem cum ratione aliqua Aeneae posthabitum narraret. Sed haud dubie fuere quoque veteres fabulae super his prodigiis, quae in seqq. exponit.

59 sq. Reuocandae in animum arbores et luci in impluuiis veterum, de quibus passim commentati sunt viri docti; cf. Tibull. III, 3, 15 et *tecto interiore* sup. IV, 494. *Sacra comam*, frondibus intactis. *metus* pro religione, vt *horror* et similia: v. Cerda. 61—63. *Lauren-*

Ipſe ferebatur Phoebo ſacraſſe Latinus,
Laurentisque ab ea nomen poſuiſſe colonis.
Huius apes ſummum denſae (mirabile dictu),
Stridore ingenti, liquidum trans aethera vectae, 65
Obſedere apicem; et, pedibus per mutua nexis,
Examen ſubitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,
Aduentare virum, et partis petere agmen easdem
Partibus ex isdem, et ſumma dominarier arce. 70

63 *Laurentesque* Gud. a m. ſec. cum aliis, ſed recentt.; et ſic Aruſianus Meſſius. Neque vero aliter quam quarto caſu accipiendum *Laurentis*. 64 Pro *ſummum* Medic. a pr. m. *talamum*, et Vratisl. *lauri denſe*. *denſae ſummum* Parrhaſ. *denſe* Witt. *m. viſu* Bigot. 65 *ſuper ae*. Zulich. a m. pr. *trans aequora* quatuor Burm. cum Goth. pr. 66 *Conſedere* ſec. Moret. *ſub mutua* D. Heinſ. ed. 69 *p. p. agmine* Rom. cum aliis Pier., minus bene. 70 *eisdem* Doruill.

tes dicti Aborigines, qui haec loca ad orientalem Tiberis ripam incolebant, rege Latino. Inde *Laurentum*, Latini regia; et *ager* vsque ad mare ac Tiberim *Laurens* vel *Laurentinus*, ſiluis et paludibus frequens. Translatum interdum nomen ad totum Latium a poeta: vt modo in *Laurente nympha* vidimus. Alia vid. Excurſ. laud. III. *primas arces*, cum primum vrbem conderet. Secundum poetam adeo Latinus vrbem Laurentes condidit et nomen impoſuit a lauro: facile adeo intelligitur, *Picum*, qui ante Latinum vixit, *Laurentem* v. 171 appellari poetico epitheto, non nomine hiſtorico. Quod laurum Phoebo conſecrat, ingenioſe poeta adiicit, reſpectu ad ſuorum temporum religionem habito. Examen apum, laurum βοτρυδὸν inſidens, praeclare ornauit verſ. 64—71. cf. Georg. IV, 656. 657. 658. Eſt autem illud inter dira omina; vide vel Plin. IX, 17. 18. Alia loca vid. apud Cerdam, ſuperſtitione, vt probabile ſit, ab

Praeterea, caſtis adolet dum altaria taedis,
Vt iuxta genitorem adſtat Lauinia virgo,
Viſa (neſas) longis conprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,
Regalisque adcenſa comas, adcenſa coronam,
Inſignem gemmis; tum fumida lumine fuluo
Inuolui, ac totis Volcanum ſpargere tectis.
Id vero horrendum ac viſu mirabile ferri:
Namque fore inluſtrem fama fatisque canebant
Ipſam; ſed populo magnum portendere bellum.

71 *e caſtris* pr. Hamb. *quum a.* Nonius ternis locis. De *adolere* v. ſup. ad lib. I, 704. 72 *Vt* bene e codd. probauit Heinſ. poſt Pier. Vulgo: *et.* 74 *cremare* Montalb. a m. ſec. 75 *que* abeſt tribus Burm. 76 *lumina* Menag. alter. *lumina fulua* ſec. Hamb. *fulua ve fumo* Dorvill. 77 *ac totum* Menag. ſec. *tectis v. ſ. totis* Goth. tert. 78 *Hoc v.* multi Heinſ. et Burm., item Goth. ſec.; *viſu ac* tert. 80 *protendere* Mentel. pr. a m. pr. *telum* Hugen. a m. pr.

incurſus magnae multitudinis ingruentis opinione profecta. *partibus ex iisdem*, a mari infero.

71 — 80. Prodigium hoc flammae frequens: ſupra vidimus lib. II, 680 ſq. Alia apud Cerdam. Cogita vero ſacrum facere Latinum adſtante filia. *neſas* de prodigio h. l. res dira et abominanda, quae praeter naturam fit; contra *fas* de naturae more et conſtantia. *comprendere* h. l. concipere, arripere flammam, quaſi ex foco ad proxima manantem. Vulgari oratione *ignis comprehendit crinem;* nunc Lavinia *ignem comprehendit crinibus.* Verba v. 74 ſunt ex Lucret. VI, 154 *Terribili ſonitu flamma crepitante crematur:* de lauro: at hic viſus eſt virginis ornatus cremari flamma: nam *ipſa viſa eſt cremari* (κατὰ) *ornatum. coronam inſignem gemmis,* regium inſigne, vid. lib. I, 655. Ex multis, quae Cerda cumulat, hoc vnice verum. Corona enim ſacrifi-

At rex sollicitus monstris, oracula Fauni,
Fatidici genitoris, adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea: nemorum quae maxuma sacro

81 *Ac rex* Menag. pr. *sollicitus monstrorum* Donat. Mf. Fabric.

cantium vittis et infulis sacrisque frondibus implexa est, non gemmis ornata.

81 sq. Fauni oraculum in luco Albuneae poeta narrat siue ex vetere memoria siue ex loci natura et fama de Sibylla Albunea rem ingeniose commentus. Scilicet in agro Tiburtino ab occasu in Anienem deferuntur *Albulae aquae*, sulfureae illae et medicatae. vid. Cluuer. Ital. p. 715 (nunc *Acqua zolfa*, vel *Solfatara di Tivoli*, de quibus v. *La Lande Voyage d'Italie* T. V, p. 338 seqq.) Ex Albulae fluminis fontibus maior *Albunea*, fons et Nympha, ex Horatio nota I Carm. 7, 12 *domus Albuneae resonantis*; vt h. l. *quae fonte sonat*; etsi nunc, post tantas rerum vicissitudines, natura fontis et loci facies est diuersa. *Subiacebat* fonti *lucus* (quem Martialis quoque in his locis memorat I Epigr. 13, 3) Albuneae sacer, in quo olim Fauni templum et oraculum a poeta proditur. 82. *alta Albunea*, fons in lacu inexploratae altitudinis; vid. Cluuer. l. c. Male Seru. *quod est in Tiburtinis altis montibus*. Nam id a locorum situ alienum. *nemorum quae maxima sacro Fonte sonat* h. e. quae Albunea maxima (siue per se, h. admodum magna, siue inter ceteras aquas, seu fontes, vt ad plures Albulae fontes respiciatur) per illa nemora, in isto nemore, sacro fonte manat. *nemorum*, graece dictum, (κατὰ, διὰ) τοῦ ἄλσους, pro ἐν ἄλσει. Interpretes difficiliorem dicendi modum non attingere miratus sum. Pompon. Sab. *maxima* nympha vel silua. Male. Forma orationis non dissimilis illa Tibulli III, 5, 3 *Baiarum maxima siluis*, vbi cf. Obss. Possis et *lucos nemorum* iungere; sed tum parum suauiter voces istae essent disiunctae; debebant saltem sic collocari: *nemorum-*

Fonte ſonat, ſaeuamque exhalat opaca mephitim.
Hinc Italae gentes, omnisque Oenotria tellus,

84 *ponte* Porphyr. ad Horat. *ſaeuumq.* Medic. *ſeruamq.* Aruſianus. *exaltat* Mentel. pr. a m. pr. et Goth. alter: *mephitim* Heinſ. recepit e Medic. et aliis, auctoritate Grammaticorum, et more Virgilii flectendi graeca latine. Vulgo *mephitin.* Librarii ſcribunt fere *meſitim* vel *meſitin* Rom. *meſitem.* 85 *Hic* Franc. *que* abeſt binis Burm.

que ſub alta Conſulit Albunea lucos, quae. Multo magis displicet, ſi iungas *fonte nemorum;* vt ſit *quae maxima ſonat ſacro fonte nemorum.* A ſulphure aquarum exſurgit grauis odor, quem *mephitim* appellauit: cf. Seru., qui tamen multa vana admiſcet. Hinc dea Mephitis, cuius aedes cum aliis locis, tum in Hirpinis erat ad Amſancti vallem. vid. Plin. II, 93 et inf. VII, 564. 565, vt omnino in tutela eius fuiſſe videantur aquae ſulfureae. Vaporis huius ſulphurei vim aliquam diuino ſpiritu afflandi eſſe credidiſſe veteres Aborigines, ſuſpicari licet. Probus, vt Pompon. Sab. ad h. v. memorat, *Albuneam Laurentinorum ſiluam* expoſuerat, *in qua oraculum Fauni erat;* quod tamen inter Grammaticorum ἀνιστορησίας referendum; nam de Tiburtino, non Laurentino, agro hic cogitandum. v. Cluuer. p. 716. Sed *Albunea* inter *Sibyllas* quoque memoratur a Tibullo II, 5, 69. 70 et Lactantio I Inſt. 6, vt Suidam taceam; nec conſtat, vtrum eadem cum Nympha habita fuerit, an diuerſa. Manifeſtior eſt inſcitia eorum, qui, prauo Graeca cum Italicis rebus miſcendi ſtudio (de quo v. in Excurſ. IV), Albuneam *Leucotheae* numen referre voluerunt. Atqui illa Matuta eſt. Etſi Italorum Matuta cum Portumno, et Graecorum Ino et Leucothea cum Palaemone ſeu Melicerta, interpretationes tantum Phoeniciae religionis ſunt, vt vel Melicertae nomen arguit. De veſtigiis templi huius, quae ſibi reperiſſe viſi ſunt viri docti, vid. Exc. ad h. l., qui ſextus eſt ad h. lib.

85—91. Oraculum Fauni per incubationem peti ſoli-

In dubiis reſponſa petunt. Huc dona ſacerdos
Quum tulit, et caeſarum ouium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnosque petiuit:
Multa modis ſimulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque deorum
Conloquio, atque imis Acheronta adfatur Auernis.
Hic et tum pater ipſe petens reſponſa Latinus

86 *r. ferunt* Goth. pr., vt alias dici ſolet. 87 *Contulit* multi ſcripti et edd. Ceteri *cum tulit*, quod iam Benedictus emendauit, et ante eum Naugerius. Voſſ. *attulit*. Heinſ. coni. *vt tulit*. *et ſcelerum* Goth. pr. 88 *Pellicibus* Doru. Has librarius forte malebat; non nunc Latinus. 89 *pallentia m.* ſec. Moret. repetitum ex Ge. I, 477. vid. Burm. 92 *Sic et* pr. Moret. *tunc* plurimi. *dum* ſec. Rottend.

tum, vt tot alia in vetere Graecia. Poteſt quidem poeta videri ad Amphiarai (vid. Pauſan. I, 34) potiſſimum exemplum hoc Fauni oraculum aſſimulaſſe: idque nos doctrinae copia in hoc poeta credere facit: nam Tiburtus, cum Catillo et Cora infra v. 670 — 672 commemoratus, Tiburis conditor et Amphiarai filius habitus eſt. vid. Plin. XVI, 44, ſ. 87. Ita ſaltem coniectare malim, quam cum Cerda, ſacra patriis a Tiburto Tibur eſſe translata. Eſt enim tota illa de Tibure conditore commentitia narratio a Graecanicis fabulis repetita (v. in Excurſu IV). Nihil tamen credere vetat, veteres Pelasgos hunc incubandi morem iam ab initio in Latium intuliſſe, qui et alias religiones intulerunt. *Incubare*, ἐγκοιμᾶσθαι, voces propriae de iis, qui dormiunt ad accipienda reſponſa, vt Seruius ad h. l. notat. cf. Dauiſ. ad Cic. de Diu. I, 43 et Cerda h. l. *Oenotria tellus*, latiore ſenſu h. l. vid. Excurſ. XXI, lib. I. *dona*, victimam, ſacrificium, vt toties alibi. *Acheronta*, deos inferos et Manes. Notatu dignum in hoc Fauni oraculo, primo quod et ipſe ſacerdos incubuit, et is, qui conſulebat; ſi quidem Maro conſilio haec ita extulit v. 86 ſq. et 92; tum, quod

Centum lanigeras mactabat rite bidentis,
Atque harum effultus tergo ſtratisque iacebat
Velleribus. Subita ex alto vox reddita luco eſt:
Ne pete connubiis natam ſociare Latinis,
O mea progenies, thalamis neu crede paratis;
Externi veniunt generi, qui ſanguine noſtrum
Nomen in aſtra ferant, quorumque ab ſtirpe nepotes

93 *mactarat* Goth. ſec. *mactauit* ſec. Rottend. et Gud. a m. ſec. 94 *earum* Pier. aliquot. *tergo* exquiſite pro tergis. *latebat* Goth. ſec. 95 *ſubito* Medic. Colot. cum aliis Heinſ. *ſubit* Gud. a m. pr. *ſubito ex alta* Witt. *eſt* deeſt binis Goth. 96 Si ſubtilis eſſe velis, ſcribendum erat *ConnubIs. ſociaſſe* Cledon. lib. II Art. Grammat. 97 *neu* Heinſ. e Medic. et aliis. Vulgo *nec.* Witt. *ne.* 98 *venient* Medic. cum magna parte codd. Pier. et Heinſ., it. Ald. tert. Sed bene iam Seru. vidit *veniunt* melius conuenire vaticinio, quod, quae futura ſunt, vt praeſentia nuntiat. 99 *ad aſtra* Goth. ſec. *ferant* Medic. et omnes antiquiores cum edd. inde ab Aldo; quod oratio caſtigata pedeſtris poſtulat. Saepe tamen Poetam videmus ab hac lege recedere, et id, quod minus vſitatum eſt, frequentare: ita et h. l. altera lectio eſt *ferent,*

necyomantiae aliquam ſpeciem illud habuiſſe videtur. Quod vero v. 95 *ex alto vox reddita luco eſt*, Italicis religionibus conſentaneum eſt, in quibus voces ex luco auditae auctoritatem habebant. Inter oſtenta et prodigia a Liuio memorata vocem e luco vel monte auditam ſaepe prodi quis non meminit? Fuit quoque in Aeneae rebus eiusmodi monitum deorum narratum apud Dionyſ. I, 56. Hoc tamen loco proprie ad Fauni ſortes ſpectat, quae modo per viſa obiecta, modo per voces auditas reddebantur v. 90.

96—101. Oraculum multa cum verborum dignitate expoſitum eſt; inprimis nomen Latinum *ſanguine*, progenie, Aeneae nobilitatum. Ad dignitatem quoque facit multitudinis numerus pro vnitate: *connubia, thalami, externi generi.* Illa autem v. 99 ſeqq. magnifica: Omnia *ſub pedibus verti-*

Omnia ſub pedibus, qua Sol vtrumque recurrens
Adſpicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Haec reſponſa patris Fauni, monitusque ſilenti
Nocte datos, non ipſe ſuo premit ore Latinus:
Sed circum late volitans iam Fama per vrbis
Auſonias tulerat; quum Laomedontia pubes
Gramineo ripae religauit ab aggere claſſem.
Aeneas, primique duces, et pulcer Iulus,
Corpora ſub ramis deponunt arboris altae;
Inſtituuntque dapes, et adorea liba per herbam

quam Heinſ. recepit ex Leid., cui aliquot alios adiungit Burmannus ſed recentes nulliusque auctoritatis; et videri poteſt haec lectio ab emendatore veniſſe, qui *videbunt* ante oculos habebat: atqui eſt et illa doctior ratio, vt tempora varientur, vt ſaepe in ſimili poſitu apud Homerum ſit, vt *qui ferant* et *videbunt* iungantur. *ab ſt.* Heinſ. e Medic. et Gud. Vulgo *a ſtirpe*. conf. lib. I, 626. 101 *Reſpicit* ex Helenio Acrone laudat G. Fabric. cf. Burm. *Accipit* Goth. pr. et tert., male; nam mare excipit ſolem, non ſol occidens mare. 102 *Haec praecepta* aliquot Pier., quod Cuningamus tamquam verius praetulit, 103 *ſuos* Menag. pr. 104 *circum volitans late* Goth. ſec. 105 *Laomedontea* aliquot Heinſ., male. v. Ge. I, 502. 106 *claſſem* vel *funem* pr. Hamb., quod vulgare. 108 *deponunt ſub ramis* Doruill. 109 *per herbam* Heinſ. legit cum Grammaticis et cum vetuſtiſſimo quoque, monente idem Pier. Vulgo, *per herbas;* quae vulgaris eſſet ratio.

que regique videbunt h. eſſe; Simplicius dicta erant ſup. Ecl. V, 57 *ſub pedibusque videt nubes et ſidera Daphnis. Sol recurrens*, oriens et occidens; Pomponio monente.

107 ſqq. Sequitur euentus vaticinii de menſis comeſis, v. ſup. III, 255—258, vbi cf. Excurſ. VIII, adde locum in Excurſ. II ad h. lib. Obſeruandum autem, quantam verborum dignitatem rei tenui et leui adiecerit poeta; vitatis verbis propriis, quae exiliora erant pro carmine, v. c. panis; 109. *adorea li-*

Subiiciunt epulis (sic Iuppiter ille monebat)
Et Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumtis hic forte aliis, vt vertere morsus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,
Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris:

110 *Iupiter ille*, Heins. ex Priscian. et Medic. a sec. m. Mediceo Pierii aliisque suis (adde Goth. tert.) reposuit, copiose idem adstruxit, et, qui viri praestantissimi mos erat, vbi in elegantiorem formulam inciderat, in omnes alios locos intulit, in quibus *Iupiter ipse* legitur. Seruat tamen hoc Romanus quoque. 112 *C. iam forte epulis* Ven. *vertere morsu* pr. Rottend., quod pro *verti* dictum esse possit; sed ortum est ex *morsu*, *morsum*, quod habent aliquot Pier. 113 *paenuria* scribunt duo Burm. 115 *crustae* Bigot. Fuisse qui *frusti* legerent, ex Cerda intelligitur. *Crustum* est exquisitior et rarior forma pro vulgari, *crusta*. Argutatur et hic Seruius.

ba, placentae, proprie de farre, quae pro panibus erant priscis hominibus, antequam fermento et meliore panis coquendi arte vterentur. Haec liba nunc mensarum vicem praestant, quibus *epulas*, cibos, *imponunt*, poma agrestia. *sic Iupiter ille monebat*, animis, vt ita facerent, subiiciebat. Eadem liba mox *Cereale solum*, quatenus substernuntur pomis; hoc *augent* Troiani *pomis*, imposita pomorum strue (vt *augentur*, cumulantur, *aras donis*), eadem paullo post *exigua Ceres, orbis fatalis crusti, et patulae quadrae*. cf. Moretum v. 46. 47. Mox *penuria edendi*, est penuria eius, quod edendum esset, comedi posset; *violare* eo refert Cerda, quod mensa inter res sacras habebatur. Potest ferri; potest etiam huc aduocari locus ex Sext. Aurelio Vict. O. G. R. 10 *consumtoque quod fuerat cibi crustam etiam de farreis mensis, quas sacratas secum habebat, comedisse;* secundum quae fuisse videntur, qui liba sacra diis penatibus offerri solita in hac fabula memoraverint; conf. *ibid.* c. 11. In poetica tamen oratione

Heus! etiam menſas conſumimus? inquit Iulus.
Nec plura adludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac ſtupefactus numine preſſit.
Continuo, Salue fatis mihi debita Tellus,
Vosque, ait, o fidi Troiae ſaluete Penates.

116 *Heu* Parrhaſ. *conſumſimus* aliquot Pier. et tres Burmanniani, ſi recte capio, item Pompon. Sab., nec male. Sic in hac re apud Dionyſ. ἀλλ' ἡμῖν ἤδη γε καὶ ἡ τράπεζα καθεδήδοται. 117 Heinſ. diſtinguere malebat: *nec p. alludens ea vox* etc., quod bene expulit Burm. 118 *primumq.* Menag. pr. *primaq.* ſec. Rottend. et Doruill. *primusque* malit Trapp., quod proſaico eſſet propius. 119 *Corripuit* Ven.; non male, inquit Heinſius. Burmannus coni. *arripuit;* vti *accipi, arripi, omen* ſolet. Nihil tamen mutat, et *eripere* ad vulgarem ſuperſtitionem refert, tamquam prohibuerit Aeneas, ne Aſcanius plura forte inominata ſubiiceret, et ideo *preſſit*, forte manu ſua os Aſcanii. Liberalior et ſimplicior ratio videtur haec, quam in nota poſui, *eripuit* ad ſolam celeritatem dicentis et interponentis verba ſpectat; exquiſitius eſt quam *arripuit*, *rapuit*. cf. ſup. lib. II, 619. Sic ἁρπάζειν, προαρπάζειν τὰ λεγόμενα. cf. Guell. Nec hic de omine ſed de vaticinii exitu et euentu agitur. *preſſit*, eſt vocem Aſcanii repreſſit; nam excepto ſermone alter interpellatur et reprimitur, quo minus loqui pergat. *et ſtupef.* eſt in aliis. *ſtupefactus* Pier. codd. etiam hic. *n. dixit* Parrhaſ. *n. poſſit* Goth. tert.

omnino eſſe poteſt, frangere, comminuere.

116—129. Bene certo homini et maxime Iulo partes dicentis dat; etſi inter cetera hoc quoque traditum accipere potuit. *alludens*, pro arridens, ſubridens, quod Burmann. illuſtrat, aut ſimpl. ludens, iocans, ad ſocios. *tulit finem*, ſignificauit Troianis, finem adeſſe. Sed vaticinia dicuntur efficere ea, quae monent futura eſſe, multo magis tum, cum exitum habent. *Eripuit* ſimpliciter dicti, quod Aeneas ſubiicit, celeritatem declarat; *ac preſſit*, vocem Aſcanii repreſſit, eumque loquentem interpellauit. *ſtupefactus numine*, h. oraculo, vt iam alias vidimus. 121. *o fidi Troiae ſaluete Penates.*

Hic domus, haec patria eſt. Genitor mihi talia, namque
Nunc repeto, Anchiſes fatorum arcana reliquit:
Quum te, nate, fames ignota ad litora vectum
Adciſis coget dapibus conſumere menſas:
Tum ſperare domos deſeſſus, ibique memento
Prima locare manu molirique aggere tecta.

122 *hic p.* ſeptem apud Burm. cum Goth. ſec. *et* Goth. pr. *eſt* deeſt Ven. et Goth. tert. 123 *f. a. canebat* Parrhaſ. 125 Servius interpretatur, quaſi legerit: *anciſis*. *Ambeſis* aliquot Pier. ex lib. III, 257, vt Heinſ. monuit. *aſſumptis* Bigot. *accenſis* Gud. a m. pr. *acceſſis* Goth. ſec. 126 *ſuperare, ſpirare*, aberratt. apud Heinſ. *domus* multi. *deſixus* Ed. Ven. 127 *tecto* Franc.

Haec perpetua Aeneae religio, vt Penates primo loco appellet. Promiſerant tamen et illi, vnde *fidi* Penates, per ſomnum, Aeneam Italiam eſſe aditurum, lib. III, 147. 162. 167 *Hae nobis propriae ſedes; hinc Dardanus ortus* etc., vnde nunc v. 122: *Haec domus, haec patria eſt* veſtra, vnde olim Troiam eſtis aduecti. *Genitor mihi talia.* Tribui h. l. Anchiſae vaticinium ſupra a Celaeno, Harpyiarum vna, acceptum (III, 255 ſeqq.) mox ab Heleno confirmatum (lib. III, 394) omnes Intpp. monent. Etſi poetam malim ſibi conſtare, tamen varia ad interpretandum et excuſandum afferri poſſunt: Anchiſae omnino partes vaticiniorum interpretandorum dantur a poeta et ab aliis (cf. Excurſ. XVII ad lib. II, p. 321. cf. Disquiſ. II, ſ. 6 ſq.); igitur is Celaenus quoque verba diſertius expoſuit et ſaepe in ore habuit atque ad animum reuocauit. Alii ad ea referre volunt, quae Anchiſen natum in locis inferis docent lib. VI, 891. 892. 893. Sequitur hoc Ouwens Noct. Hag. p. 626 ſeq. Probabile tamen eſt, poetam de Harpyiis fabulam ſupra ſecundis curis intexuiſſe, et morte praeuentum reliqua non potuiſſe mutare vel accommodare. 125. *anciſis dapibus*, exquiſite pro conſumtis. *moliri aggere tecta*, ornate, vrbem aedificare, quod

Haec erat illa fames; haec nos ſuprema manebat,
Exitiis poſitura modum.
Quare agite, et primo laeti cum lumine ſolis,
Quae loca, quiue habeant homines, vbi moenia gentis,
Veſtigemus, et a portu diuerſa petamus.
Nunc pateras libate Ioui, precibusque vocate
Anchiſen genitorem, et vina reponite menſis.
Sic deinde effatus frondenti tempora ramo

128 *Haec erit* Menag. alter cum Goth. ſec. *haec vox* Vratisl. *monebat* ſc. Anchiſes, Seru. et Ed. Ven. *manebant* Rom., quod arridere poteſt. Sic VI, 84 *ſed terra grauiora manent.* 129 *Exitiis* in quod facile incidas, ſi memineris Aen. II, 780 *Longa tibi exilia et vaſtum maris aequor arandum*, coni. Burm.; et ſic Goth., ſollenni varietate. Enimuero *exitia* ſunt calamitates, aerumnae, vt toties *damnum, noxa, clades*, et ſimilia, et Graecorum, ἄτη, βλάβη, λύμη, λοιγός, οἶτος et alia. 130 *primum* duo Burm. cum Goth. ſec. Erf. *limine* Moret. ſec., perpetuo lapſu. vid. VI, 255. 131 *quaeue* Doruill. *habitant* duo Burm. ex intpt. *vbi m. grais* Goth. tert. 133 *libare nouis* Goth. tert., praue et hoc. *Libare pateras* ſatis intelligitur eſſe dictum pro: *libare vinum*; ne quis *pateris* emendandum putet; etſi et hoc eleganter diceretur. *notate* Puget. 135 *Sic demum fatus* alter Hamb. *affatus* aliquot Burm. *t. lauro* tres eiusdem: quod arridere poteſt; nam lauro abundabat ille tractus.

ſit vallo ducto. 129. *exitiis*, aerumnis. v. V. L.

133 ſqq. Exſpectabas hoc a religioſo homine, Aenea, vt a religione initium faceret; inprimis cum ſollenne hoc ſit, vt preces et ſacra faciant, cum omine accepto, tum eſcenſu vel aditu in locum optatum facto. cf. inprimis Odyſſ. ν, 353 ſeqq. Anchiſen a filio conſecratum Lactant. I Inſt. 15, 12 ex h. l. probat. Factum id iam lib. V, 45 ſqq. vidimus. 134. *reponite*, pro apponite, ponite, poetica ratione: vt Ge. IV, 378, et *pateras libare* magis poeticum quam, vinum. In precibus, quae v.

Inplicat, et Geniumque loci, primamque deorum
Tellurem, Nymphasque, et adhuc ignota precatur
Flumina; tum Noctem, Noctisque orientia Signa,
Idaeumque Iouem, Phrygiamque ex ordine Matrem,
Inuocat, et duplicis Coeloque Ereboque parentes.
Hic Pater omnipotens ter coelo clarus ab alto
Intonuit; radiisque ardentem lucis et auro
Ipse manu quatiens ostendit ab aethere nubem.
Diditur hic subito Troiana per agmina rumor,

138 *noctuque* coni. Voss., male; nam vulgare esset. *noctique* Rom. *horrentia f.* Parrhas. 141 *caelo ter* Cuning. ex ed. princ. et 1476. 142 *que* abest Doruill. *et antro* Goth. sec. Forte *aura* magis placere possit; nam proprie et docte *aura lucis* et *fulminis* dicitur; vt supra VI, 204 vidimus. Tamen nec male *nubes ardens radiis et auro lucis* pro vulgari, radiis aureis; nota figura. νεφέλη χρυσοειδὴς, ex qua intonuit. 144 *Deditur* scripti omnes

136 sequuntur, augustam religionem faciunt et venerationem mouent nomina deorum, ex antiquiore religione desumta, qua naturam, naturae partes, vires et elementa fere in precum, foederum vel iurium iurandorum, formulis ponunt, vt tot Homeri, Apollonii, nam et is veteres religiones sectatur, Pindari (v. Pyth. IV, 343 seqq.), Aeschyli et ceterorum Tragicorum, etiam Herodoti loca docent. In v. 139 domestica numina subiicit, *ex ordine* ἑξῆς, deinceps, vt iam alibi vidimus. Congestit multa ad singulos versus Cerda satis otiose. In *Genio loci*, quem iam V, 95 vidimus, argutantur Seruius et Pompon. Sab., dum Apollinem contendunt habendum esse. v. 140. *duplices Coeloque Ereboque parentes*, vtrumque parentem, Venerem inter deos, Anchisen inter Manes.

141 — 147. Augurium laetum, tonitru caelo sereno. Euentum frequentissimum. V.

Aduēniſſe diem, quo debita moenia condant.
Certatim inſtaurant epulas, atque omine magno
Crateras laeti ſtatuunt, et vina coronant.

Poſtera quum prima luſtrabat lampade terras
Orta dies: vrbem, et finis, et litora gentis
Diuerſi explorant; haec fontis ſtagna Numici,
Hunc Thybrim fluuium, hic fortis habitare Latinos.
Tum ſatus Anchiſa delectos ordine ab omni

Heinſ., niſi quod tres *dicitur*, et Sprot. *editur*. *Diditur* tamen Pieriani aliquot exhibebant, et agnoſcit Ge. Fabric., ſicque iam emendatum a Naugerio, et a Benedicto e Cod. Pal. *per agm. murmur* Ven. et pro var. lect. Gud. et pr. Hamburg. 145 *condent* aliquot Pier. et tres Heinſ. cum Erf. Licet et hoc tueri. 146 *ordine* Zulich. *agmine* pr. Hamb. et Bigot. Sed *omine magno* abſolute dictum, cum tam clarum et manifeſtum augurium ipſis datum eſſet, etc. 147 *Crateram* Moret. ſec. vid. ad I, 724. 148 *primo* aliquot Pier. Etiam Benedictus veterem lectionem eſſe ait, *cum primo*. 150 *Diuerſa* Menag. pr. a m. pr. ex v. 132. *hic f.* Parrhaſ. et Witt. Seruiana etiam h. l. corruptelis et Grammaticorum nugis ſcatent. Sed omnino pauca ſunt in iſta farragine, quae, nulla exploratione praeuia, tollere ac ſuſcipere ſe poſſe adoleſcentes ſibi perſuadeant velim. Habent Seruiana laudem ſuam, ſed non hanc, quam mihi ipſi aliquando perſuadere volebam, vt ad interiorem poetae interpretationem multa inde lucrarer. 150 *Numici* ſcripſi, nam eſt *Numicius*. 151 *hinc f.* pr. Rottend.

c. Pindar. l. c. 350. Hoc v. 146 *omen magnum*. De v. 147 *vina coronant*, cf. ſup. I, 724.

148—151. *diuerſi*, ſecundum illa v. 132 *a portu diverſa petamus*. Hinc itaque ad Tiberim, illinc ad Numicium vsque procurrunt, habitari loca a Latinis reſciſcunt. Numici *fontis ſtagna* vide in Excurſ. III ad h. libr. Cetera ab hoc inde loco obſervandum, quomodo in ſumma rerum et hominum tenuitate legationem miſſam et exceptam ornauerit et ad dignitatem miram extulerit, partim rerum deſcriptionibus et adiunctis, partim verbis amplioribus.

152—156. *delectos ordine ab omni*, ex omnibus or-

Centum oratores auguſta ad moenia regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes,
Donaque ferre viro, pacemque expoſcere Teucris.
Haud mora; feſtinant iuſſi, rapidisque feruntur
Paſſibus. Ipſe humili deſignat moenia foſſa,
Moliturque locum; primasque in litore ſedes,
Caſtrorum in morem, pinnis atque aggere cingit.
Iamque iter emenſi, turres ac tecta Latinorum

153 *anguſta* Ven. 154 *ramos* tres Heinſii, ipſe malebat *ramo*. 155 *viros* pr. Rottend. *ferre iubet* Gud. a m, ſec. 158 *que* abeſt Leid. 160 *emenſis* Gud. a m. pr. *et tecta* multi Pier. et Heinſ. *Latini* Medic. cum aliis plurimis, it. Edd. Mediol. Ald. et al. *Latinorum* non niſi Mentel. et Menag. cum recentibus tribus Burmanni exhibent, item bini e Goth. Sed auctoritatem graviorem dant libri Pieriani, Seruius et Aſper Grammaticus. *tecta domorum* ed. Ven. ex lib. XII, 132, Burm.

dinibus; non eſt vrgendum. *ramis velatos Palladis.* ἱκετηρίας, frondes oleagineas vittatas manibus praeferre putandi ſunt, vnde inf. v. 236. 237 *ne temne, quod vltro Praeferimus manibus vittas ac verba precantia.* Res ipſa ſatis nota: conf. inf. VIII, 116. 128. XI, 332, ſed de modo loquendi quaerat aliquis. Sic et inf. XI, 101 *velati ramis oleae* et apud Graecos v. c. Sophocl. Oed. 3 ἱκτηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι. Scilicet στέφεσθαι, *velari*, proprie de corollis et vittis (vid. ad V, 72), quae ambiunt, adeoque tegunt, frontem, tempora. Transtulit hoc poeta ad ramos vittis et infulis obuolutos, qui praeferebantur a ſupplicibus, et tenebantur manibus. Sed infulis et vittis dependentibus a ramo manus ipſae obtegebantur, vnde *manus velatae*; et dicta hinc *velamenta* ipſi rami vittati. Igitur *velati ramis*, habentes ramos vittatos manibus. *pacem*, foedus et amicitiam, vt et al.

157—159. *Caſtrum* hoc *Troiae* eſt: ſeu *Troia noua*, a parte dextra Tiberim praecingens, adſtantibus ſubduc-

Ardua cernebant iuuenes, muroque subibant:
Ante vrbem pueri, et primaeuo flore iuuentus,
Exercentur equis, domitantque in puluere curru;
Aut acris tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt:
Quum praeuectus equo longaeui regis ad auris
Nuntius ingentis ignota in veste reportat

161 *murosq.* Rom. pr. Mentel. et pro var. lect. Leid. cum Witt. Sed vulgatam defendit Arusianus Messius. Et est doctius, *subire tecto*, quam, *tectum*. Contra *succedere tectum* doctius quam *tecto*. *muroque propinquant* Gud. pro var. lect. 162 *et priuo* Oudart. *primoque in f.* Bigot. 163 *Exercetur* Gud. a m. pr. *in* deest pr. Mentel., et *que* Bigot. 166 *Tum* aliquot Pier. *praeuectus* ex Pier. et suis recepit Heinsius, vt sit, ante Troianos vrbem inuectus: vt *praeire*, *praecedere*. Cur enim poetae non licuit noua voce vti ad analogiam facta? Alii legunt: *prouectus*, quod frustra defendit Burm. 167 *in* deest tertio Mentel. et tert.

tisque a tergo nauibus, a sinistra campus ad mare pertingens: in quo inf. lib. IX Rutulos, qui castra oppugnant, consistere videbimus. vid. in Excurs. III ad h. lib. *molitur locum*, exquisite poetico more, pro moliri tecta in loco, h. exstruere, vt sup. v. 127 et 290 dictum erat. *primas sedes*, int. in prima littoris parte: v. in eod. Excurs. Mox *pinnas* pro muris et *aggerem* pro vallo, quod fossam ab interiore parte ambit, dixit.

162—165. Ad Laurentum vrbem missa legatio. Non modo Romanae militiae more, quod Seruius putat, sed Graeco quoque et omnino priscae vitae ritu, vt in loco Hesiodi (Scut. 285. 286), ante vrbem in campis exercet se cursu ac ludit armis iuuentus vrbana. Poeta autem eo more egregie vsus est, vt suauem narrationem faceret. *domitant currus* pro equis iugalibus, vt alibi hi pro illis; noto poetarum more. Mox *spicula*, int. iacula, et

Aduenisse viros. Ille intra tecta vocari
Imperat, et solio medius consedit auito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Vrbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum siluis et religione parentum.
Hic sceptra adcipere, et primos adtollere fascis
Regibus omen erat; hoc illis curia templum,

Goth. *reportant* alter Hamb. *reportat* est simpliciter pro portat. argutatur Burmannus, dum emissum ante nuntium fuisse coniectat. 168 *inter* duo Burm. 169 *medio* alter Hamb. 171 *Vrbe f. media* lectum alicubi ante Pierium; et sic aliquot Heins. et Burm. cum Goth. tert. *mediae* Doruill. 173 *Hinc* Ald. pr. et Iunt. et pars codd. Heins. et Burm. cum Goth. pr. *et p. tollere* Witt. 174 *templo* Bigot.

epitheton *lenta* ad materiem refer. *lacessunt*, exquisite pro contendunt, certant: quandoquidem *prouocant se* et *lacessunt*, qui pugnant.

170—176. Pici haec *regia* in arce Laurenti, diuersa vtique a Latini regia v. 59 sqq. descripta, et improprie dicta *regia*, h. e. aedificium magnificum; nam fuit templum, quod pro curia esset, e more priscorum hominum. Ex fragm. Vatic. a Bartolio pag. 134 forma huius templi expressa est, sed aliena admodum a poetae mente ac ratione. Imitatus est locum multo cum verborum tumore Seneca Thyest. v. 641 ad 664. *vrbe summa* ἐν πόλει ἀκροτάτῃ, vt Iliad. χ, 172, h. e. ἐν ἀκροπόλει. Circa domum illam lucus erat (v. 172) more veterum in templis, et in principum aedibus. Alterum hoc ex lib. II, 299. 300 de Anchisae domo meminimus. 173. 4. hic regnum auspicari solebant reges. *omen* egregie pro more, cui bonum omen inerat, vt maiorum fortuna sequeretur regem regnum auspicantem. Auspicia regni a sumtis regni insignibus declarat. *attollere fasces* pro eo, quod sequitur, vt praeferantur nouo

Hae sacris sedes epulis; hic ariete caeso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine auorum
Antiqua e cedro, Italusque, paterque Sabinus
Vitisator, curuam seruans sub imagine falcem,

175 *Haec* Rom. cum binis Burm. et Ed. Mediol. *hic* Ed. Ven. *sacrae* tres Heins. et Medic. Pierii. *sacris aedes* Ven. et tert. Rottend. a m. pr. 178 *e* Heins. e suis et Pier., alii *ex*. Aliis vtrumque abest, in aliis adhaesit *e* priori voce: *antiquae cedro*, et hinc Schol. Stat. *antiquae cedri*. v. apud Pier. et Heins. 179 *curua* Voss.

regi. 175. 176. Potest aliquis paullo doctior siue ad Oenotrorum συσσίτια, de quibus Aristot. de Rep. VII, 10 videndus, siue ad ferias Latinas respici putare. Seruius ad Palatium Augusti allusum credi voluit, vt ex eius verbis colligo: „*ariete caeso. Hoc sacrificium in ianua Palatii fiebat festis diebus.*“ Et Pompon. Sab. ad v. 170 „*Templum Apollinis ab Augusto in Palatio positum describit.*“ Palatinam Augusti domum adumbratam etiam Blanchinius (*Palazzo de' Cesari*) et Holdsworth volebant. Sed sequi iuuat, quod simplicissimum est. Est hoc templum pro prytaneo, curia aut simili aede publica: in qua adeo sacrificia publica cum epulis sacrorum habentur. *ariete caeso*, proprio aliquo sacrorum inter Latinos more, epulae sacrae instituuntur; Tum si publicum fit sacrificium, consluunt primores gentis, iique epulis excepti sedent, *mensis perpetuis*, h. longa et multum procurrente mensa; vt *perpetuum tergum* et alia.

177 — 182. Etiam haec signa in vestibulo collocata sunt, vt in curia vel templo mos erat in aditu et porticu signa inter columnas ponere. Imitatione expressit locum in Elissae sacrario Silius I, 86 sq. Italus autem et Sabinus h. l. inter Latini maiores memorantur post illa, quae v. 45. 49 edixerat poeta, tamquam agnatione iuncti. cf. Exc. IV ad h. lib. et Cluuer. Ital. ant. p. 725. Antiquitatis genium exhibet etiam in materia, *cedro*, nam vetustiora signa lignea erant vel fictilia. *Vitisator — falcem:* etsi Sa-

Saturnusque ſenex, Ianique bifrontis imago,
Veſtibulo adſtabant; aliique ab origine reges,
Martiaque ob patriam pugnando volnera paſſi.
Multaque praeterea ſacris in poſtibus arma,
Captiui pendent currus, curuaeque ſecures,
Et criſtae capitum, et portarum ingentia clauſtra,

180 *ſenes* Franc. *biformis* ſec. Rottend. et a m. ſec. Hugen. cum Goth. ſec. 181 *veſtibulum* Zulich. a m. pr. *adſtabant* eſt pro vulgari, *ſtahant in v.* 182 Burmannus *Martiaque* ex Seruio cum Romano (Pierii) et editis omnibus legendum ſtatuit. De editis verum hoc non eſt: nam in his *qui* inde ab Aldd. conſtanter legitur; etſi Benedictus in Iunt. emendare iuſſerat *que*. Malim equidem *qui* et *que* abeſſe. Sed vereor, ne totus verſus aliunde in margine adhaeſerit. An alius poeta dixerit *Martia vulnera*, vt *arma Martia*, *ſigna Martia*, *ἀρήϊα τεύχεα*, ignoro. *Reges* ſunt omnino regio ſanguine nati et veteres heroes, *ἄνακτες*. Sic ipſe Aeneas toties *rex*, vt inf. 220. 183 *ſacrisque* Oudart. 185 *caſtra* Oudart. pro *clauſtra*.

turnus fere cum falce exprimitur, et ſunt qui iungant: *curuam ſeruans ſub imagine falcem Saturnusque*, ex ſermonis tamen rationibus haud dubie ad Sabinum ſpectant haec, quem nobis poeta ex priſca aliqua eruditione declarat, vinearum colendarum auctorem fuiſſe; ſub ſigno, forte ad hermae morem in ſtipitem deſinente, *falx*, puta ad amputandas frondes (v. Ouid. Met. XIV, 628. 631 et 649) adiecta; qua ſpecie Siluani hermae occurrunt ap. Boiſſardum et alios. Vocem *vitiſator* ex Accio petiit, in cuius fragmentis ap. Macrob. VI, 5 occurrit: *O Dionyſe, pater optime, vitiſator, Semela genitus Euie*, vt bene Voſſius legit. *aliique ab origine reges*, h. e. priſci. Moleſtum eſt, quod cum Seruio ad Aboriginum nomen alludi volunt.

183 — 186. Haec veterem donariorum et *ἀναθημάτων* in templis ritum referre, facile intelligitur. Similia loca congeſſit Cerda. Sed praeſtat Statii imitationem cognoſcere lib. VII Theb. 55 — 59.

Spiculaque, clipeique, ereptaque roſtra carinis.
Ipſe Quirinali lituo, paruaque ſedebat
Succinctus trabea, laeuaque ancile gerebat.

186 *arreptaque* Ven. 187 *paruaq.* vel *ſuluaque* Zulich. Ceterum transpoſiti eſſe verſus hi quinque 187 — 191 *Ipſe Q.* et ante vſ. 183 retrahendi videri poſſunt: vt regibus ſubiungatur vnus aliquis inſignior Picus. Potuit tamen Virgilius maluiſſe alterum. 188 *anchiſe* et *anchille* in Goth. ex *anchile*, vt alii ſcribunt v. c. fragm. Vatic. *ferebat* Ven.

Reſpicitur autem inprimis *antefixorum* habendorum mos apud Romanos, cum in faſtigiis non modo templorum, ſed et priuatarum aedium, affixa eſſent fictilia ſigna quadrigarum, ſpoliorum, armorum. Sic Liu. XXXIV, 4 et al. Plin. XXXV, 46. conf. Ryck. de Capitol. 15. Hoc loco etiam *vrbium captarum portae* expugnatae inter antefixa memorantur. In eo, quod *roſtra* v. 186 ſubiicit, hiſtoriarum fides non eſt deposcenda; nam nauales pugnas vix fecerunt Latini. Poſſint naues λγατρικαὶ in littore oppreſſae intelligi; ſed in poeta haec ἀκρίβεια non deſideratur; licet ei ſequi probabilia.

187 — 191. Inter ſigna veterum heroum Pici inprimis ſtatua conſpicua. Erat is e Latini maioribus; ac forte eius ſignum non infrequens illa aetate occurrerat Virgilio (conf. Excurſ. V ad h. lib.). Forte etiam regiam condidiſſe dictus erat: ſup. 171 *Laurentis regia Pici*. Statua erat ſedentis habitu, quam facile erit ex h. l. exprimere et delineare. Priſca aliqua grauitas imagini ineſt; *trabeatus* eſt Picus, qui veterum regum erat habitus (conf. Plin. IX, 39 ſ. 63), quo Romulum quoque conſpicuum narrant (*trabeatum Quirinum* vocat Ouidius Met. XIV, 828 et al.), cum *lituo* (vt adeo augurali ſcientia clarum fuiſſe neceſſe ſit) et priſco armorum genere *ancili*. *ſuccinctus trabea et lituo*, nota forma, qua verbum binis adaptatur, cum de altero tantum proprie dicatur: lituo *inſtructus* ſaltem erat vel *inſignis*, *conſpicuus*: conf. Burm. Indoctae ſunt Gellii V, 8 et inde repetitae

Picus, equum domitor: quem capta cupidine coniunx
Aurea percuſſum virga, verſumque venenis,
Fecit auem Circe, ſparſitque coloribus alas.
Tali intus templo diuom patriaque Latinus
Sede ſedens Teucros ad ſeſe in tecta vocauit;
Atque haec ingreſſis placido prior edidit ore:
Dicite, Dardanidae, neque enim neſcimus et vrbem,
Et genus, auditique aduertitis aequore curſum,
Quid petitis? quae cauſſa rates, aut cuius egentes

189 *equis d.* ſec. Rottend. 190 *Aurea* ſc. *virga*, nota ſynaereſi; male Seruius iungi vult *aurea coniux*. 191 *fixit auem* Hugen. *Circae* tres Heinſ. 192 *diuum templo* Medic. Pier. *temploque deum* alii Pieriani. 194 *Atque hic* Doruill. *ingreſſus* Ven. 196 *curſum* reuocauit Heinſ. ex libris et edd., vulgo alii *curſus*.

a Macrob. VI, 8 argutiae de h. l. *Quirinalem lituum* ornate dixit, quo Romulus aliquando vſus eſt, inprimis in vrbe condenda; augurandi ſcientia ille excellebat. Bene Cerda laudat Plutarch. in Romulo p. 31 F. cf. Seru. *Picus equum domitor:* Homericum ἱππόδαμος. Eius mutationem in *picum* exponit Ouid. Met. XIV, 320 ſqq. conf. in Excurſu V ad h. lib. *coniux* h. l. amans, vt et alibi vidimus Ecl. VIII, 18.

192 ſqq. Excepti h. l. legati in *templo*, inde a v. 170 deſcripto, ex more. v. Cerda; et ſic ſupra lib. I, 505 ſqq. Dido publica negotia exſequebatur in templo.

195 — 211. Simplicitate et proprietate commendabilis oratio, vt altera Ilionei fide et probabilitate cum grauitate. *auditique aduertitis aequore curſum* eleganter pro noti eſtis. Sequentia v. 196 ſqq. iis ſimilia, quae ap. Homerum occurrunt Odyſſ. γ, 71 ſqq. ι, 252 ſqq., ſed λῃστρικῆς mentionem bene omiſit Maro pro

Litus ad Auſonium tot per vada caerula vexit?
Siue errore viae, ſeu tempeſtatibus acti,
(Qualia multa mari nautae patiuntur in alto)
Fluminis intraſtis ripas, portuque ſedetis;
Ne fugite hoſpitium, neue ignorate Latinos
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam,
Sponte ſua veterisque dei ſe more tenentem.
Atque equidem memini (fama eſt obſcurior annis)

198 *Litusque A.* Doruill. *Litus et A.* Franc. *per tot* Ven. *per v. feruida* Moret. tert. ex v. 24 huius libri. *texit* Medic. a m. pr. 200 *Qualia ſaepe* aliquot Pier. 201 *portusque* Franc. 202 *Nec f.* Medic. 203 *aut v.* Doruill. *et legibus* Comment. Cruqu. ad Horat. ap. Burm. 204 *veterisque aeui* a Seruio lectum eſſe ſuſpicabatur Markland. ad Stat. p. 185. *ferentem* codd. apud Pier. Putes forte eſſe *ferentem.* Sed *ferre ſe* eſt incedere. Wakefield Silu. III, p. 11 em. *gerentem.* Videat vir doctus, annon hoc pedeſtre et tenue ſit, *gerere ſe more dei.* Sed v. Notam. 205 *eadem* alter Hamb. *idem* Menag. pr. Porro Heinſ. coni. *fama etſi;* quo carere poſſumus. cf. Burm.

ſuo aeuo. 200. *qualia multa* ſic apud Homer. et alios ὁΐάτε πολλά. Loca ſunt ap. Guellium. v. 201. ornate, pro, huc peruenistis. *portum* ſimpl. de appulſus loco et ſtatione accipe. 202. 203. Dicta ſunt ſecundum hos verſſ. illa Ouidii Met. I, 89 de aurea aetate: *Aurea prima ſata eſt aetas, quae vindice nullo Sponte ſua, ſine lege, fidem rectumque colebat. Poena metusque aberant.* Itaque Latini iuſti nec neceſſitate vlla nec legibus, ſed *tenent ſe,* continent ſe, moderate et iuſte viuunt, ſponte ſua et more h. inſtitutis ac moribus a Saturno ſancitis. Ita *ſe tenent,* qui ſe coercent, intra fines, praeſcriptum, legem, morem ſubſiſtunt. — 205. longo tempore obſcurata eſt fama, vt a paucis ſenibus adhuc teneatur eius rei memoria: qui antiquiorum aetatum mos et ratio erat, vetuſtam memoriam ad poſtera-

Auruncos ita ferre ſenes, his ortus vt agris
Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad vrbis,
Threiciamque Samum, quae nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhena ab ſede profectum
Aurea nunc ſolio ſtellantis regia coeli
Adcipit, et numerum diuorum altaribus addit.

206 *Aruncos* alii, quod Ge. Fabricius diuerſum populum prodere putabat. Perperam. *Auſonios* Vratisl. a m. pr. *Auricomos* codd. ap. Pier. ex librarii ſtupore, vt et *Autruncos* in Rom. *Auroncos* in al. *et argis* Goth. alter. *in agris* Erf. 207 *penetrarit* Heinſ. recepit ex pr. Moret. et ex Pierii Rom. aliisque: alii, etiam fragm. Vatic., *penetrauit;* hoc malim retineri: eſt enim grauitatis epicae. v. ad I, 706. 208 *Samom* Medic. *Samon* alii. 209 *Hunc illum* pr. Hamb. *Corithi, Choriti, Chariti, Coriti* etiam hic aberrant librarii, vt ſup. III, 170. *Coriti Cyrena* Exc. Burm. 211 *numero diuorum altaribus addit:* Heinſ. ediderat; ſolius Gudiani auctoritate. Impedita lectio, etſi ſic expedias: *regia caeli addit eum numero diuorum, altaribus* h. e. per altaria, aris in eius honorem exſtructis; vel in altaribus, templis. At durum tem propagandi, antequam annales condebantur. *Auruncos* dixit, tamquam communis cum Aboriginibus ſtirpis homines: v. in Exc. IV, ad h. lib.; affert tamen vel ſic antiquitatis notionem animis nomen. De Dardani ex Tyrrhenia originibus, v. ſup. III, 167 ſqq. et Exc. VI ad lib. III, vnde loci huius ſententia expeditu facilis eſt. E pluribus de Dardano mythis poeta arripuit hunc, quo is dicebatur ex Tyrrhenis profectus, Samothraciam et Troadem adiiſſe. Seruius, vel qui eum excerpſit, miſere omnia miſcet. *his agris,* paullo latius dictum; nam Dardanus ex Corytho ſeu Cortona Etruriae oriundus ferebatur. *vrbes Phrygiae* memorauit, h. e. loca ad incolendum idonea et a Teucro paſſim inhabitata, ſub Idam; nam proprie dictae vrbes tum in regione ea nullae erant. 210. 211. pro deo nunc colitur. *ſtellantis* ex ἀστερόεις οὐρανὸς, quod Homericum eſt. *accipit* pro accepit; adeoque

Dixerat. Et dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiems vestris succedere terris,
Nec sidus regione viae litusue fefellit: 215
Consilio hanc omnes animisque volentibus vrbem
Adferimur, pulsi regnis, quae maxuma quondam

hoc: *caelum addere aliquem numero deorum per altaria.* Vulgata ante Heinsium lectio erat: *numerum diuorum altaribus auget:* nec modo in ed. Ven. et Mediol., sed in omnibus, quantum video, etiam antiquioribus, inque his Aldd. Eamque, quod mireris, tuentur codd. permulti, et ipse Medic. cum fragm. Vatic. At *numerum diuorum altaribus addit* Rom. cum aliis Pier. et ex Heinsianis forte plures exhibebant; sicque Erf. In altera hac, quae codicum auctoritate firmatur, lectione nihil est, quod desideres; itaque reposui; siue vt sit: addit altaribus diuorum eum, numerum, h. numeri incrementum; siue simpliciter, *et altaribus diuorum addit numerum*, auget numerum altarium: vnde venisse videtur altera lectio *auget*. In Ciri 201 venit — *Cognatos augens reges numerumque suorum Citris* — 212 *dictum* Medic. a m. pr. *dicto* Gud. a m. pr. *locutus* sec. Moret. 214 *succumbere* sec. Moret. *tectis* ante Heins. vulgg. edd. et codd. pars.

est pro habet, poetico more, et *addit* regia caeli, quae eum accepit, h. e. haec receptio in caelum, *altaribus deorum numerum,* pro vulgari: auget altarium numerum, dum ipse diuinis honoribus afficitur; addit, annumerat eum diis, quae caussa est, vt nouum sacrum prioribus adiiciatur, adeoque novum templum, noua ara exstruatur.

212 — 227. Ilioneus etiam lib. I, 521 ad Didonem verba facit. 215. *sidus* pro tempestate, *littus fefellit,* ignoratio littorum ac terrarum, *regione viae,* pro simplici, via et nauigatione instituenda ac regenda. Variauit verba versus 199 *Siue errore viae seu tempestatibus acti.* Illud *regio viae* iam ante Virgilium frequentauit Lucretius lib. II, 249 *Sed nihil omnino* recta regione viai *Declinare, quis est, qui possit cernere sese?* item lib. I, 1040. Et sup. Aen. II, 737 *et nota excedo regione viarum.* cf. Cerda. *adferimur*

Extremo veniens Sol adſpiciebat Olympo.
Ab Ioue principium generis; Ioue Dardana pubes
Gaudet auo; Rex ipſe Iouis de gente ſuprema
Troius Aeneas tua nos ad limina miſit.
Quanta per Idaeos ſaeuis effuſa Mycenis
Tempeſtas ierit campos; quibus actus vterque
Europae atque Aſiae fatis concurrerit orbis:
Audiit, et ſi quem tellus extrema refuſo
Submouet Oceano, et ſi quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
Diluuio ex illo tot vaſta per aequora vecti

221 *nunc ad l.* pr. Moret. *ad lumina* Zulich. *mittit* pr. Hamb. cum fragm. Vatic. 224 *concurritur* Parrhaſ. *concurreret* Rom. 225 *ſi quam* Rom. 226 Hiatum conſtitue poſt *Oceano;* non in *quem. exemta* Menag. pr. *extrema* Ven. 228 Diſtinguere alios poſt *Diluuio ex illo,* vt cum antecedd. iungatur, narrat Seruius.

pro exiliore, accedimus. In ſeqq. 216 ſqq. multum dignitatis ineſt et magnifica oratio, inprimis v. 222 ſeqq., Troiano bello per tempeſtatem adumbrato; vnde v. 228 *diluuium* pro excidio et vaſtitate. Iouis f. Dardanus; v. eundem Excurſ. VI lib. III. *de gente ſuprema.* Enniani laudatur ex Annal. V *nomine Purrhus, vti memorant, de ſtirpe ſupremo,* de prima origine et ſtirpis exortu a Ioue. *quibus fatis* pro ſucceſſu rerum et euentu fatali; et *acti* h. l. eſt, vexati, calamitatibus afflicti. 225. 226. 227. ornate, pro omnibus gentibus. *ſi quem* (quemcunque) *ſummouet — dirimit,* ſimpl. de habitatione in loco longinquo et remoto; et, poetico more, ſignate extremas terrarum oras ad Oceanum et vltra Libyae deſerta nominat. *refuſum Oceanum,* qui de aeſtu et receſſu maris proprie dicitur, accipies ſimpliciter diffuſum late et extentum. Sunt enim *tellus extrema refuſo Oceano,* fines terrarum, quos ambit Oceanus, qui etiam Homero

Dis ſedem exiguam patriis litusque rogamus
Innocuum, et cunctis vndamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores; nec veſtra feretur
Fama leuis, tantiue aboleſcet gratia facti;
Nec Troiam Auſonios gremio excepiſſe pigebit.
Fata per Aeneae iuro, dextramque potentem,
Siue ſide, ſeu quis bello eſt expertus et armis;

230 *auramque vndamque* Sprot. 231 *noſtra* Oudart. *fatetur* Ven. 232 *tantique* pars ſcriptt. et edd. *aboleſcit* duo Mentel. et a pr. m. Reg. *oboleſcet* Goth. ſec. *doleſcet* Goth. tert. *aboleuit* Hugen., Heinſius malebat, *abolebit*. At poeta docte poſuit antiquum verbum, quod et in Lucretio occurrit V, 732. 233 *Auſonio* Franc., vitioſe. *accepiſſe* pr. Hamb. Doruill. et Leid. *pigebat* alter Mentel. a m. pr. librarii lapſu; ſed Heinſius commodiorem lectionem in eo inueniebat, vt ad Dardani in Phrygiam adventum referretur. Argute magis quam vere. 235 *ſiue quis b. expertus et armis* Medic. Pierii. *fidem* duo Burmann., et vnus, *in armis*.

ἀψόῤῥοος Ὠκεανὸς Iliad. σ, 399 et al., quatenus amnis inſtar terrarum orbem includit. Recte haec accepta videbis a Cerda. *plaga ſolis iniqui*, zona torrida, nimis magno, infeſto ſolis aeſtu, *extenta*, patens, propter camporum arenas, *in medio quatuor plagarum*.

228. 229. 230 ſqq. Magna ſuauitas in extenuatione eius, quod petunt, *Dis ſedem exiguam — patentem (pia et verecunda petitio*, bene ait Seruius) tum in ſui commendatione modeſta ac graui. *Dis patriis*; a religione Penatium praeclare facit initium ad mouendos animos. *feretur* pro tenui voc. *erit*. *Troiam*, magna cum vi, pro Troianis; vt toties *Troiam, Ilium, in Italiam inferri* vidimus. In v. 235 nimis argute Ge. Fabricius Ciceronis locum VII ad Diu. 5 expreſſum volebat: *Totum hominem tibi trado, de manu vt aiunt in manum tuam iſtam* (ad Caeſarem ſcripta epiſtola) *et victoria et ſide*

Multi nos populi, multae (ne temne, quod vltro
Praeferimus manibus vittas ac verba precantia)
Et petiere ſibi et voluere adiungere gentes.
Sed nos fata deum veſtras exquirere terras
Imperiis egere ſuis. Hinc Dardanus ortus
Huc repetit, iuſſisque ingentibus vrguet Apollo

236 *et multae* Parrhaſ. 237 *Proferimus* aliquot Pier. et duo Heinſ., ſed *praeferre* eſt proprium in hac re. cf. Burm., *et verba*, multi; tandem *ac verba precantia* haud dubie vera lectio reſtituta poſt Benedictum in Iunt. 1510, qui bonos ac vetuſtos codd. hoc habere ait, tum Pier. ab Heinſio e Mediceo aliisque; Burmannus etiam Ed. Ald. et Mediol. memorat; ſed omnes Aldd. conſentiunt in vulgata: *et verba precantum*. Hoc etiam Rom. exhibet, *precantis* Bigot. *vittasque precantia verba* in litura fragm. Vatic. cum aliis Pier. et Heinſ. *vittasque precantia regno* Ven. *manibus ac verba p. victas* Ed. Ven. 239 *Et nos* Doruill. 240 *Imperiis cogere* aliquot Pier., forte pro *coegere*. 241 Salebroſa oratio meo quidem iudicio: *Hinc Dardanus ortus Huc repetit, iuſſisque i. — Numici;* ad quam tamen neminem offendiſſe video, ne ad interpretationem quidem: de qua Notam vide. *Huc* iam in Venetis Ald. aliisque vetuſtioribus expreſſum video; et ſic Medic. fragm. Vatic., nec aliunde varietas notata, niſi quod Rom. *Hunc*

praeſtantem. Habet ſaltem ſimilitudinem aliquam. Sed *fides*, dextra data, ad foedera ſpectat, in quibus ſervandis et exſequendis conſtantia et ſtrenuo fortique animo ac manu opus eſt. 237. Laudant omnes notum illud ex Iliad. α, 14 Στέμματ' ἔχων ἐν χερσί. De re cf. ſup. v. 154. 240. *imperia deorum* ſunt monita, vt iam alibi vidimus, et mox *iuſſa*. *Huc repetit* ad Dardanum referunt Intpp. poſt Turnebum: in hanc nos terram, vnde orti ſumus, repetit, reuocat Dardanus et quaſi vindicat; neque aliter Donatus. Atqui hoc durum eſt, ſi quid video, ne dicam putidum; multo deterior Seruii ratio, vt Dardanus nunc Aeneas ſit. Saltem Apollo is eſſe debet, qui *repetit* Troianos *huc*, in hanc terram retrahit, reuocat, Italiam repetere iubet, et vrget ad Tiberim, h. retrahit, adire iubet; adeoque interpungen-

Tyrrhenum ad Thybrim, et fontis vada sacra
Numici.
Dat tibi praeterea Fortunae parua prioris
Munera, reliquias Troia ex ardente receptas.
Hoc pater Anchises auro libabat ad aras; 245

repetet, iussisque — Tyrrhenum et Tybrin et f. v. f. N. Menagii autem pr. *Hunc repeti iussis ing.* (Abest *que* etiam in sec. Moret. et sec. Rottend.) *Hinc r.* Ven. Ita bis dictum esset: *hinc Dardanus ortus, Hinc repetit:* vt *ortus* sit pro singulari; *hinc, hinc* inquam, *ortum*, τὸ γένος, repetit, ducit. *Hic* Seru. Dan. ad IV, 259. Sed in his vocibus *hinc, hunc, hic, nunc, huc,* semper magna esse solet varietas ex scribendi compendio; vt forte coniicias fuisse: *Nunc repetit, iussisque ingentibus vrguet Apollo, Tyrrhenum Thybrim et fontis vada sacra Numici.* Vt sit: Nunc Apollo repetit, h. e. repetere iubet, Thybrim. Haec saltem Latine dicta essent. Vt tamen ex animo dicam, omnes tres versus inde a verbis: *Hinc Dardanus ortus Huc v. Tyrrhenumque* alieni esse videntur, aut ex margine serius attexti, ad explendum hemistichium *Imperiis egere suis;* aut ex variis poetae tentaminibus, quae chartis ille illeuerat, a Tucca consecti. 242 *Timici* et *Thymici* codd. apud Burm. 243 *Dat* sc. Aeneas, et sic vulgo explicatur. Sic oratio ad v. 221 retrahitur: *Troius Aeneas tua nos ad limina misit — Dat tibi p.* Quod tamen satis durum esse quis non videt; inprimis cum orationis cursus ad Apollinem hoc referat, v. 241, sensu tamen repugnante. Videtur poeta, quae media sunt, secundis curis elaborasse, neque iis cetera satis accommodasse. 245 *Huc*

dum: *Hinc Dardanus ortus; Huc repetit iussisque i. vrguet A.* Sed et hoc durum: *Apollo repetit huc — et vrget ad Thybrim.* Laborat locus: vid. Var. Lect. *Numicium* a fonte iterum (v. ad 150) designat, vt poeta, et quoniam Lauinium vrbs ad eum locum condenda est. Ponit porro, vt poeta, fluuium ad designandam terram. Nota ratio; sed in Numicii, tamquam sacri fluminis, notione religio aliqua inest. Obseruata res in Excursu III ad h. lib.

243 — 249. *Dat* quis? Aeneas? v. Var. Lect. Dona commendat iterum a personis, quod alibi vidimus poetam decere. conf. I, 647 sqq. 245. craterem vel pateram designat. Virtutem habet ora-

Hoc Priami geſtamen erat, quum iura vocatis
More daret populis; ſceptrumque, ſacerque tiaras,
Iliadumque labor veſtes.

Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
Obtutu tenet ora, ſoloque inmobilis haeret,
Intentos voluens oculos. Nec purpura regem
Picta mouet, nec ſceptra mouent Priameia tantum,
Quantum in connubio natae thalamoque moratur;

tert. Rottend. *ad auras* Menag. pr. et ſec. Goth. 247 Paullo calidior quis coniectare poſſit: *Hoc Priami geſtamen erat — ſceptrum; Aſſaracique tiaras; Iliadumque labor veſtes.* cf. Notam. 248 *veſtis* aliquot Burmann. 250 *obtuitu* Franc. et Ven. 253 *in* deeſt Zulich. *in connubia* Ven. Eſſe *connubjo* triſyllabum e ſuperioribus meminimus.

tio, quod tamquam dramatice res repraeſentatur, non facta narratur. *Hoc Priami geſtamen erat:* cum his verbis ſceptrum tradere putandus eſt, quod proprie inter geſtamina eſt; nam Seruium diadema interpretantem quis audiat? mox tamen adiunxit alia, quae proprie geſtari non dicuntur, ſed ornant tamen, *tiaram* et *veſtes* pictas. Summam ſubtilitatem in his ſequi poeta noluit. 247. *iura daret* vid. ſup. I, 507. Ius dicere praecipuum munus veterum regum fuiſſe notum eſt; itaque ab hoc munere eorum dignitas declarari ſolet. Sedent autem ius dicturi cum ſceptro. Ad hoc illuſtrandum Guellius laudavit Apollon. (IV, 1177) et Pindarum (Pyth. IV, 270 ſqq.), ſed res ex Homero ſatis obvia. *tiaras* improprie, nempe Phrygum pileus, quem aliis locis *mitram* dixit; vid. ſup. IV, 216, ibi v. cf. inf. IX, 616. *ſacer* tantum ad venerationem Priami valere videtur, vt auguſtum ſignificet ornatum. *Veſtes* autem ſunt *Phrygiae* vulgo dictae, a Troianis mulieribus acu pictae, ἔργα γυναικῶν. Mox eadem *purpura picta.*

249 — 258. In primo verſu Iliad. γ, 217, de Vlyſſe verba faciente, expreſſum eſſe

Et veteris Fauni voluit sub pectore sortem.
Hunc illum fatis externa ab sede profectum
Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auspiciis; huic progeniem virtute futuram
Egregiam, et totum quae viribus occupet orbem.
Tandem laetus ait: Di nostra incepta secundent,
Auguriumque suum! Dabitur, Troiane, quod optas.
Munera nec sperno. Non vobis, rege Latino,
Diuitis vber agri Troiaeue opulentia deerit.
Ipse modo Aeneas, nostri si tanta cupido est,
Si iungi hospitio properat, sociusque vocari,

254 *voluens* a pr. m. fragm.Vatic. et aliquot Pier., vt ad *ait* continuetur oratio. *voluit Fauni* pr. Moret. 255 *Hinc i.* Parrhas. et fragm. Vatic. *ab s.* Heins. cum potioribus. Alii *a sede*, *prouectum* aliquot Pier. 256 *generos* e Seruio memorat Burm. *que* abest aliquot Heins. 257 *Ominibus* Oudart. a m. sec., sed v. IV, 102. *huic p.* Heins. e Medic. et aliis; vulgo *hinc p.* Goth. tert. *hunc.* 258 *et* omittunt multi apud Heins. et Burm., et sane abesse malim. *qui v.* fragm. Vatic. a pr. m. 259 *victus ait* Menag. *di vestra* duo Burm. 260 *Auspiciumque* Menag. pr. 261 *nec vobis* Parrhas. 262 *Troiaeque* tres Burm. 263 *est* deest alteri Voss. 264 *adiungi h. properet* Oudart. *sociusque*

volunt; nimis docte. Communis is est oris habitus eorum, qui stant vel sedent cogitabundi. Ita inf. v. 291. cf. sup. I, 226. 228. *Fauni sortem* sup. v. 95 sqq. *paribus auspiciis*, communicato regno. vid. inf. XII, 190. 191. Sic IV, 102 *Communem hunc ergo populum paribusque regamus Auspiciis.* 258. *quae viribus* h. fortitudine et virtute bellica; vt sit βίηφιν Homericum; nisi pro imperio dictum accipias.

259 — 267. *auguriumque suum* h. sortem, Fauni oraculum. *Munera nec sperno*, lubens accipio, vt saepe. v. Cerda et Burm. *vber agri*, vbertas: v. sup. ad I, 531.

Adueniat; voltus neue exhorreſcat amicos.
Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.
Vos contra regi mea nunc mandata referte.
Eſt mihi nata, viro gentis quam iungere noſtrae,
Non patrio ex adyto ſortes, non plurima coelo
Monſtra ſinunt: generos externis adfore ab oris,
Hoc Latio reſtare canunt, qui ſanguine noſtrum
Nomen in aſtra ferant. Hunc illum poſcere fata
Et reor, et, ſi quid veri mens augurat, opto.
Haec effatus, equos numero pater eligit omni.

cum Brunckio reuocaui: in recentiores, puto inde a Dan. Heinſio, venit *ſociusue*. In codd. vtrumque habetur. *ſociisq. ſociisue* duo aberrant ap. Burm. 265 *abhorreſcat* Witt. 266 *Par* Ven. 268 *noſtrae q. i. gentis* Menag. pr. *qua* Rom. 269 *patriae* tres Burm. *nec* Goth. ſec. 270 *ſinant* Leid. a m. pr. *e. nam affore* Ven. *e. nam fore* Parrhaſ. *g. e. affore regnis Hic Latio* Menag. pr. 272 *ferent* duo Burm. *expoſcere* Oudart. 273 *verum* Sprot. 274 *eligat* alter Hamb.

conf. II Ge. 234. 185 et al. 266. *pacis*, foederis, et *tyranni*, regis, vtrumque docte dixit, vt poeta.

268—273. Heroicae vitae mores ita ferre, vt virorum fortium nuptias orent aut filiae aut patres, iam Seruius notauit. Exemplum illuſtre Alcinoi Odyſſ. η, 311 ſeqq. *plurima caelo monſtra*, oſtenta diuinitus miſſa: ſunt quae ſup. 58 ſq. 71 ſq. expoſita ſunt. 271. *Hoc Latio reſtare*, Latinos manere hanc fortunam, vt gener filiae meae aduena ſit. 273. *Et reor, et opto, ſi quid veri mens augurat*. In hoc contextu *opto* nihil aliud eſſe poteſt, quam, eligo, amplector, generum probo, quia eum fato deſtinatum generum eſſe auguror. Recte Pompon. Sab. „Hoc, inquit, volebat, quia haec erat ſors.“

Stabant ter centum nitidi in praesepibus altis:
Omnibus extemplo Teucris iubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent.
Tecti auro, fuluum mandunt sub dentibus aurum.
Absenti Aeneae currum geminosque iugalis,

275 *tricentum*, *trecentum*, in Gothanis, vt solent infimi aeui librarii scribere. 276 *Omnes ext.* Catroeus edidit. v. Burm. 277 *instructos* Ven. et plerique Pier., sollenni permutatione. 279 *Strati a.* Ven. et Parrhas. 280 *Aeneae absenti* Goth. sec.

275—285. Quod Homerico heroum more, (v. c. Il. Υ, 221 seq. de Erichthonio, Dardani filio) rex Latinus CCC equos eximios aluisse narratur, a vetere Latii habitu forte nimium quantum abhorret. Verum reliqua omnia aucta in maius et amplificata sunt, vt narratio gravitatem et carmen dignitatem haberet. Hoc poetae consilium vbi semel intellexeris, importunum est talia quaerere. Ita infinita alia quaeri poterant, v. c. lib. V, 545 sq., vnde Troianis in Sicilia equi suppeterent ad ludum Troiae habendum et inter errores longos quo magistro artem equestrem discere potuerit Ascanius cum ceteris pueris. *ordine*, deinceps, omnibus et singulis; nihil amplius. cf. v. 139. Erant legati centum: sup. 153. *ostro pictisque tapetis*, h. vestibus stragulis purpureis auro intextis vel acu *pictis*: vnde mox, *tecti auro*. Petiit autem ex Homero, apud quem οἱ τάπητες πορφύρεοι occurrunt, etiam inter munera: Iliad. Ω, 230. *Monilia* non tam ex vnionibus ac gemmis, quam omnino torques aurei vel phalerae intelligendae. Neque orientis fastum in hoc adoptasse putandus est poeta; verius ex antiquae Italiae vel Etruriae luxu rem petiit. Nam monilium et torquium omnino inter Etruscos frequentissimum vsum fuisse docent Etrusca monumenta. Mox *aurum sub dentibus* quis non videt esse frena? 280 sqq. Aeneae mittit equos, quorum genus adumbratum est ex Iliad. ε, 265 sqq., vbi

Semine ab aetherio, ſpirantis naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos daedala Circe
Subpoſita de matre nothos furata creauit.
Talibus Aeneadae donis dictisque Latini
Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.
Ecce autem Inachiis ſeſe referebat ab Argis
Saeua Iouis coniunx, aurasque inuecta tenebat:
Et laetum Aeneam claſſemque ex aethere longo
Dardaniam Siculo proſpexit ab vsque Pachyno.

281 *flagrantis* fragm. Vatic. 282 *Circae* idem fragm. et duo Burm. etiam hic, vt alibi, v. ſup. 191. Comment. Cruqu. ad Horat. I Sat. 6, 77 ſic laudat: *quos illi d. C. S. de matre ſatos furata creauit.* 284 *Aeneades* Rom. *laeti d. d.* Doruill. *dictis donisque* Seru. 286 *ab agris* Goth. pr. 287 *que* abeſt Menag. pr. *inuicta* Mentel. pr. *curasque inuenta* Franc. 288 *longo* Heinſ. ex Mediceo recepit; accedit Hugen. Ex Romano nihil notatum eſt. At ceteri omnes cum fragm. Vatic. et edd. *longe*. Vereor, ne alterum ſit ex eo deliciarum genere, quod librariorum incuriae debemus. 289 *adusque* Rom. *Pahyno*, *Pachino*, *Pachinno*, *Pachynno* aberratur.

equis a Ioue Troi donatis Anchiſes ſubmiſerat equas; nunc Circe, ingenioſa Solis filia, cui in fabulis Italicis proprius aliquis locus eſt (v. in Excurſu I ad h. lib.), vni equorum patris ſubmiſit mortalem equam, hinc *nothos furata creauit*, hoc eſt, furtim ſuſceptam progeniem, pullum, nacta eſt. Nihil autem in poetarum fabulis nobilius eſt Solis equis. 285. Iungenda, *ſublimes in equis*, vt ſaepe, non, *ſublimes donis dictisque*; ſed *donis dictisque* pro, poſt talia dicta; ſeu cum talibus donis dictisque.

286 ſqq. Noua περιπέτεια et rerum conuerſio inexſpectata, cum iam ad euentum perducta viderentur Troianorum fata. Iterum Iunonis odio et ira poeta vtitur; etſi in toto loco ante oculos fuit Neptunus Odyſſ. ε, 282 ſqq. Fatendum quoque multum

Moliri iam tecta videt, iam fidere terrae;
Deseruisse rates. Stetit acri fixa dolore.
Tum quassans caput, haec effundit pectore dicta:
Heu stirpem inuisam, et fatis contraria nostris
Fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis,

290 *fidere terrae* plerique Pier. et Menag. alt., ac Moret. pro diu. lect., antique; sed *fidere terrae* ex poetae vsu et Arusiani Messii auctoritate defenditur ab Heinsio. 292 *Dum q.* alter Hamb. *effundit* Heins. e melioribus; alii *effudit*. 293 *factis* coni. Waddel., temere. *votis contraria nostris* Io. Schrader. in schedis. 294 *non* tres Heins., ex mox iidem cum aliis, etiam Goth. tert., *non capti*. Ita cum indignatione efferenda haec erunt. *succumbere* Mentel. pr. et Menag. alter. *o. terris* Goth. sec.

similitudinis huic Iunonis orationi esse cum illa lib. I, 36 seqq. A Pachyno vsque Siciliae promontorio prospicit Latium; scilicet supra illa loca in aeris regione inuecta, non monti insistens. Iter autem facere putanda Argis versus Carthaginem. Permutant enim dii loca, quae amant. Paullo difficilior prospectus Neptuni videtur apud Homerum l. c., qui ex Solymis montibus Vlyssem versus Phaeacum insulam nauigantem conspicit: si quidem Solymi Pisidiae illi sunt, et ipse ex Aethiopibus vltra Aegyptum habitantibus redire putandus est. Quam late Aethiopum nomen pateat, saepe iam monitum est: v. vel Strabonem: cf. Not. ad Apollodor. p. 1100. Relinquendum autem Homero est, tam alto caelo inuehi Neptunum, vt supra altos montes in aere equos agens extrema terrarum prospiciat. Mox v. 291 *fixa dolore*, transfixa, iungendum puto, ex Homerico: ὀδύνῃσι πεπαρμένος; vt vulgo *dolor infixus animo* dicitur. Ceterum in his deorum iratorum tacitis cogitationibus valde sibi placent Maronis exemplo ceteri poetae. Sic Ouidius v. c. Met. IV, 422 sqq.

293 sqq. Nolim poetae nimis argutam dictionem defendendam suscipere; multo minus ea placet in dea irata. Ferrem illud: *fata contraria fatis nostris* h. ei, quod

Num capti potuere capi? num incensa cremavit
Troia viros? medias acies, mediosque per ignes
Inuenere viam. At, credo, mea numina tandem
Fessa iacent, odiis aut exsaturata quieui —
Quin etiam patria excussos infesta per vndas
Ausa sequi, et profugis toto me opponere ponto.
Absumtae in Teucros vires coelique marisque.

295 *Nunc c.* Medic. et Mentel. pr. *nunc* et *non* etiam mox pro *num* nonnulli apud Burm. *aut incensa* Bigot. *creauit* Exc. Burm. *cremarat* Leid. 297 *an credo* malebat Ge. Fabric., minus bene. *ac* duo Burm. *mea munera* Menag. alter. 298 *haud* Carls. Inst. Grammat. lib. I et edd. vetustiores Macrobii. *haut* etiam hini Goth. cum Erf. *haud exsatiata quierunt* Parrhas. *Fessa iacent odiis, aut* distinguitur in Vratisl. *exsatiata* Oblongus Pierii. Omnia perperam. Quam piget talia exscribere! 300 *me* abest alteri Hamb. *me toto* duo Burm. *exponere* aliquot Pier. cum Menag. pr. 301 *assumtae* Goth. sec. Formam loquendi illustrat Burmann. ad Propert. IV, 6, 55.

fatale est a me constitui et nouari in Troianorum fortunis posse. Est autem in fatis Iunonis, vt fata Troianorum intercipere haud possit; cf. inf. IX, 133. 136. 137, sed, quod sequitur, *num occumbere, num capti potuere capi, num incensa cremavit Troia viros?* luxuriantis sunt ingenii; etsi reprehensio hactenus retractanda est, quod veritas tamen sua sententiae subest. Exemplis alii, vt Cerda, defensionem parant, primo loco Ennii, quem expressit Maro, vt iam Macrob. VI, 1 monuit: *Quae neque Dardaneis campeis potuere perire, Nec, cum capta, capi; nec, cum combusta, cremari.* Sed in ceteris, si recte Virgilium novi, tragicorum, inprimis Euripidis, rhetoricos spiritus aemulatus est.

297—303. At forte taedio victa vel odiis expletis a persequendis Troianis ab illo excisae vrbis tempore destitisse videri possum. Immo vero etiam a patria digressos omnibus modis vexaui (299. 300. 301). Cuncta tamen, quae

Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? optato conduntur Thybridis alueo,
Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
Immanem Lapithum valuit; concessit in iras

302 *Syrtis* aliquot ap. Burm. *aut v.* Leid. *quid dira Charybdis* aliquot Pier. 303 *potiuntur* Ven. ex interpretatione. Vide lib. V, 243 *portu se condidit alto.* 304 *prendere* Leid. 305 *Laphytum* scribunt Goth. *potuit* Bigot. et Schol. Statii. *in iram* Franc. *in aras* vulgg. edd. Macrob. IV Sat. 2.

tentaui, nihil profuerunt; Italiam nihilominus tenent (302. 303. 304). Nunc orationem, moneo, poeticam excutias.

304 — 309. Conf. lib. I, 39 — 49 non satis variata re. Vide paullo ante ad vers. 286. Vtroque loco ad maiores iras se exacuit Iuno exemplis aliorum deorum, qui idem felicius ausi sint, propositis. De Lapitharum cum Centauris pugna in Pirithoi nuptiis e Met. XII Ouidii narratio peti potest; sed vulgo causa ab ebrietate ducitur: quod ipse Maro sequitur Georg. II, 457. cf. Hygin. f. 33. At de Martis in Lapithas odiis obscurior est fabula, exposita tamen h. l. a Seruio; cf. Luctat. ad Stat. Theb. II, 563; verbo: Mars in Pirithoi sacris inter ceteros deos solus praeteritus in Lapithas exarsit et furorem immisit, quo illi cum Centauris infestis armis concurrerunt. Nec mirum rem diuersis modis esse tractatam, cum non vnius poetae ingenium illa exercuerit. Laudatur *Melisandri* Λαπιθῶν καὶ Κενταύρων μάχη apud Aelian. XI, 1. Si tamen ei nihil tribuas, cum de illo nihil aliunde constet: at cogitandum de *Aegimio*, vetere poemate, a nonnullis Hesiodo adscripto, tum de *Theseide*, in qua Pirithoi res locum habere potuere, tandem de *Heracleis*. Magis nota est fabula altera de Dianae ira, cum Oeneus ea sola omissa ceteris diis omnibus primitias sacrificasset; hinc immissus aper Calydonius, ortaque super eius exuuiis contentione, Pleuronii Calydonem oppugnarunt.

Ipse deum antiquam genitor Calydona Dianae;
Quod scelus aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem?

306 *antiquas* Parrhas., scil. *iras*. 307 Lectionem hanc Heinsius e Mediceo a m. sec. repetiit, sed eo ducentibus aliis, pr. Hamb. Menag. sec. Moret. sec. et pro var. lect. Moret. tert., item Priscian ap. Heins., in quibus: *Lapithas tantum et Calydona merentem*. Ea lectio cum paullo doctior esset, miras librariorum aberrationes peperit. Scilicet vulgari dicendi modo subiiciendum erat: *Quod autem tantum scelus commiserant Lapithae vel Calydon, quo tantam poenam mererent?* Hic primum exquisitiorem rationem adhibuit, a Graecis ductam. *scelus merere*, pro, per scelus, scelere, merere poenam. Nec aliter sup. II, 229 *scelus expendisse merentem*, pro, poenas expendere merendo propter scelus. Iam hoc idem efferri poterat per casum sextum: *Lapithis aut Calydone tantum scelus*, h. poenam, *non merentibus;* et sane sic vulgo legi statim videbimus: *Quod scelus aut Lapithis tantum aut Calydone merente?* Verum inuersiones amans poeta porro vsus est forma Atticis frequentissima, qua antecedenti structurae accommodatur illa, quae sequitur: concessit Iupiter Dianae in iram *Calydona: quod scelus aut Lapithas aut Calydona merentem?* sc. id, concessit? vt recte Pierius supplet (non, perdidit, vel, vidisti, vt Pomponius, qui ceteroqui eandem lectionem interpretatur, quam Aproniani esse non dubito, qui Mediceum correxit). Iam varietatem videamus. Vulgo, vt modo dixi, lectum et editum etiam in Aldd. et quae hinc fluxere: *aut Lapithis tantum aut Calydone merente*, quod Seruius defendit, et per se ferri poterat; sed, ab interpolatore illud esse, ex reliqua diuersitate intelligas; nam passim: *Lapithis t. a. Calydona merentem* legitur, etiam in fragm. Vatic.; et sic Priscianus, qui plures lectiones affert, et Servius in nonnullis libris inuenerant. In Medic. a pr. m. nec non in pr. Hamb. pro var. lect. *Lapithis tantum aut Calydone merentes*. Tum Montalb. *Calydone merentem*. Gud. cum aliis, *Calydone merente*. Edd. Ven. et Mediol. *Lapithis tantum aut Calydona merente* Doruill. et Witt. *Lapithas tantum Calidone merente*.

Locus classicus Il. *i*, 529 sqq. et Schol. ad 525. Apollod. I, 8, 2. Nostri Maronis vestigiis institit Statius VII Theb. 203. 204. 205. *concessit in iras*, ad poenam et vindictam. 307. *Quod scelus* pro vulgari: Quo tamen scelere aut Lapithae aut Calydonii tantam poenam meruerant?

Aſt ego magna Iouis coniunx nil linquere inauſum
Quae potui infelix, quae memet in omnia verti,
Vincor ab Aenea. Quod ſi mea numina non ſunt
Magna ſatis: dubitem haud equidem inplorare quod vsquam eſt.
Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.
Non dabitur regnis, eſto, prohibere Latinis,
Atque inmota manet fatis Lauinia coniunx:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus;

Romanus cum Gothanis: *Lapithis tantum aut Calydone merentem.* Heinſius coni. *Quod ſcelus aut Lapithis tantum aut Calydoni merenti?* ingenioſo luſu. 308 *nil vergere* Menag. pr. 309 *Quod potui* idem. 310 *Vincar* Medic. a m. pr. 311 *aut equidem* Mentel. pr. et pr. Goth. *explorare* Voſſ. Hugen. pr. Hamb. *eſt* a multis abeſt. 313 *eſto regnis* duo Burm. cum Medic. Pier. 315 *Attrahere* Doruill. *Haec trahere* Lutat. ad Stat. apud Burmannum, qui *trahere* abſolute dici docet; de quo quis dubitet? tamen vel ſic intelligendum, *trahere res, negotium* et ſimilia, h. protrahere.

Scilicet *poenam ſcelere merere* ad exquiſitiorem formam reuocatum eſt; vt adeo ſcelus ſit dictum cum notione poenae. Melius ἄτη vtrumque, et ſcelus et poenam, declarat.

308 — 319. *quae potui*, h. ſuſtinui, ſemel in eum locum me demiſi, vt omnia auderem. Haerent Intpp., ſed *poſſe* et alibi obuium hoc ſenſu. Supra v. 300 idem, *Auſa ſequi*. Hactenus cum Cantero *potui linquere* meram periphraſin dixeris ſimplicis formae: *quae liqui*. v. 312 ex Aeſchyli Supplic. 160 — 168 petitum voluit poſt Guellium Abreſch. lib. III Animaduerſſ. in Aeſchyl. p. 145. Danaides, precibus ad Mineruam factis, vt ab inuiſo coniugio ſe liberet, pergunt: εἰ δὲ μὴ, μελαν- | θὲς | ἦ διόπτυπον γένος | τοὔγγαιον, | τὸν πολυξενώτα- τον | Ζῆνα τῶν κεκμηώτων |

At licet amborum populos exſcindere regum.
Hac gener atque ſocer coeant mercede ſuorum.
Sanguine Troiano et Rutulo dotabere, virgo;
Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantum
Ciſſeis praegnans ignis enixa iugalis;

316 *Ac* duo Burm. *excindere, excidere, excedere* aberrant librarii et hic, vt alibi. 317 *At g.* Medic. *Hac gener inde ſocer* Bigot., vtrumque eleganter. *ſocer atque gener* Goth. pr. *coiant* Mentel. pr.; Burm. coni. *Hac g. — mercede, duorum ſanguine, T.* cui bono? non dicam. 319 *At B.* Leid. 320 *praegnas* ſcribunt Gud. Medic. et alii, hic et alibi. *Praegnans Ciſſeis* Lutat. ap. Burm.

ἐξόμεσθα σὺν κλάδοις, | ἀρτάνας θανοῦσα, | μὴ τυχοῦσα | θεῶν Ὀλυμπίων. Certe ſententiae ſimilitudo quaedam occurrit: *ſin a diis ſuperis exauditae non fuerimus, ad Haden ſupplices veniemus, laqueis mortem nobis conſciſcendo.* — Etſi displicet forte animi impotentia in dea ad tam humilia conſilia progreſſa, in verbis tamen multum virium et δεινότητος, inprimis v. 317. 318. 319 eſt. *immota manet fatis coniux*, exquiſitius pro manent immota fata de Lavinia ab Aenea coniuge ducenda; coniugium hoc interverti nequit; vt lib. I, 257 *manent immotа tuorum Fata tibi.* Dicta autem haec ſecundum doctrinam Homericam: infectum fieri aut tolli id quod fatale eſt, nequire; at differri poſſe. — 317. *merces* pro malo et pernicie, etiam alibi frequentatum. Exempla dabit Cerda. *coeant* eſt coniungantur foedere et matrimonio Aeneae et Lauiniae; male Cerda aliter. In v. 318 Euripidem expreſſum putant Hippol. 550. Deianiram σὺν αἵματι, σὺν παπνῷ | Φονίοις θ' ὑμεναίοις, | Ἀλκμήνας τόκῳ Κύπρις ἐξέδωκεν, *Herculi cum caede, cum fumo et cruentis nuptiis Venus elocauit.* Eſt ſaltem ſimilitudo aliqua. *Bellona pronuba*, grauiter dictum, ſi e Iunonis perſona proferri memineris; nam proprie *Iuno pronuba* eſt, v. c. ſup. IV, 166.

319—322. Docta et cum arte elaborata oratio, ſecun-

Quin idem Veneri partus suus, et Paris alter,
Funestaeque iterum recidiua in Pergama taedae.
Haec vbi dicta dedit, terras horrenda petiuit.

322 *recidiuae* videtur Seruius legisse.

dum plura Tragicorum loca. Non tantummodo Hecuba, Cissei f. (cf. Seru. ad v. 320), *praegnans face*, cum facem vtero gerere somniaret (conf. inf. X, 704. 705 et versus ap. Cic. de Diu. I, 21), *enixa est ignes iugales*, coniugales, peperit matrimonio filium, qui Asiae incendium erat futurus; verum simili modo facem edidisse partu credenda erit Venus; similis ignis erit Veneri filius suus, Aeneas (exquisitius: *quin idem Veneri partus suus*), et erit ille *alter Paris*, et erunt *iterum funestae taedae in Pergama recidiua*, h. e. noua haec Troia, seu restituta Troianorum fortuna, iterum experietur tamquam alterum Iliacum excidium. *recidiua Pergama*, cf. ad IV, 344. Multum tragici spiritus huic loco inest.

323 sqq. Sequitur locus de *Alecto*, Furiarum vna, ex inferis excitata a Iunone, et Amatae, Latini vxori, mox Latinis quoque matribus familias, tum Turno, Teucris quoque et Aboriginibus immissa, egregie quidem ille tractatus et ornatus, Iuuenalis quoque iudicio Sat. VII, 66 sq. commendatus; in quo tamen inuenti subtilitatem vel sollertiam non adeo magnam video. Excogitatu certe facillimum videtur, odiis et inimicitiis ex ipsa re natis, Furiis hoc negotium dare, vt tumultus et bellum excitetur. Poetae tamen ea in hoc contigit felicitas, quod non in allegoricis personis ipsi fuit acquiescendum. Sunt enim Furiae ex poetica ac mythica doctrina verae deae apud inferos collocatae, vt supra vidimus VI, 280 immissae Oresti et Herculi. Λύσσαν Herculi ab ipsa Iunone vt h. l. immissam in scenam protulit Euripides Herculis fur. 822 seqq. Ceterum inuento hoc, etsi per se exili et ieiuno, certatim vsi sunt poetae sequiores. Sic Ouid. IV Met. 422 sqq. (quo comparato Virgilii sapientiam intelligas;

Luctificam Allecto dirarum ab sede sororum
Infernisque ciet tenebris: cui tristia bella,
Iraeque, insidiaeque, et crimina noxia cordi.
Odit et ipse pater Pluton, odere sorores

324 *Lethificam A. et D.* Parrhas. *Luctiferam* pr. Hamb. *Allecto* Medic. et ceteri omnes Heinsiani. Sic et Rom, cum fragm. Vatic. Sic et alii minoris census, vt Ers. Haud dubie recte, Graecorum poetarum exemplo, qui ita primam per se breuem producunt in ἄλληκτος, vt apud Homerum ἄλληκτον πολεμίζειν. Sic Orph. 966 Voss. Ἀλλήκτω, et in Hym. 68, 2. etsi alioqui nomina Furiarum seu Eumenidum ab antiquioribus memorari haud meminerim. In fine *dearum* Caris. et alii codd., Mediceus quoque a m. pr. cum fragm. Vatic., minus quidem eleganter. *Sorores* tamen versu hinc tertio iterum memorantur; et inf. 454 *dirarum ab sede sororum* recurrit. Solet autem poeta, nisi sui parum memor sit, talia diuersis locis variare.

nam hic rerum summam persequi contentus *terras*, inquit, *petiuit* et *ciet*; at apud illum ipsa Iuno descendit ad inferos et euocat Furias, vt Athamantem in furorem coniiciant) Statius I Theb. 88 sqq. Silius II, 526 sqq. Nonnum lib. XXXI, Claudian. in Rusin. I, 25 sqq. excitat Cerda. Partem loci in Laii vmbram transtulit Statius Theb. II, 94 seqq. Semina prima rei sunt apud Homer. Iliad. ι, 565. 567. 568; in ceteris Eris Homerica exemplo esse potuit.

323—329. *horrenda*, vt, *saeua*, pro irata. 327. 328. Habes similia Aeschyli verba Eumen. 69. 70, vbi post alia tandem de Furiis: Μισήματ' ἀνδρῶν καὶ θεῶν Ὀλυμπίων. cf. ibid. v. 190 sqq. et 414. 415. Sed Maro Alecto ad Martis Homerici exemplum adumbrasse videtur, Iliad. ε, 890 sq. Ἔχθιστος δέ μοι ἐσσὶ θεῶν, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν· Ἀεὶ γάρ τοι ἔρις τε φίλη, πόλεμοί τε μάχαι τε; etsi rem variauit feliciter. Quid enim Furiae faciem horribilem et abominandam grauius declarare possit, quam, ipsi patri ipsisque sororibus eam detestabilem haberi. Sed et locum in Ennio fuisse coniectare licet, huic non dissimilem, vnde fragmentum a Probo et a Varrone seruatum est (Enn. Fragm. p. 120 sq.):

Tartareae monſtrum: tot ſeſe vertit in ora,
Tam ſaeuae facies, tot pullulat atra colubris.

328 Merula ad Ennium ſubſtituere volebat Ennianum: *Tartarinae.* male. conf. Burm. 329 *Quam ſ.* Voſſ. pr. *tot ſ.* aliquot Burm. *p. ora c.* plerique Pier. item Sprot. et Goth. ſec. Placebat Heinſio, neſcio quare, cum *ora* ex ſuperiore verſu adhuc auri inſideat. *Pollulat* et *colobris* ſcribit Rom. et alii, ex pronuntiatione ſaeculi ſui: quae ipſa res dubitationem facere poteſt, an verum ſit, quod narrant, Virgilii aeuo et antiquioribus proprium id fuiſſe, vt pronuntiarent *vortunt, volgus, volnus,* et inf. v. 399 *toruom.*

Corpore Tartarino (horrendo, terribili, vt Feſtus interpretatur) *prognata paluda* (paludata; etſi Probi lectio *palude* praeſtare videtur) *virago.* Pergit 328. 329. ei par nihil eſſe in tota rerum natura. Imitationem Spenceri non indoctam notauit Vptonus (*Fairy Queen Cant.* VII, X, p. 644), aliam Lucani vide lib. X, 645 ſqq. *tot ſeſe vertit in ora,* ad declarationem τοῦ *monſtrum* pertinere putandum. Nec vultus mutationes, pro vario mentis habitu ac ſenſu; nam id nimis tenue foret; nec in varias ſpecies et figuras mutatum os velim intelligere (nam id Furiis non praecipua aliqua ratione ſollenne eſt; etſi nouas formas aſſumere Furias dubitari nequit; quod in h. l. quoque Alecto facit inf. v. 415, vbi Turnum adit, *in vultus ſeſe transformat aniles etc. Fit Chalybe.* Et ſimilem formae mutationem videbis ap. Claudian. in Ruf. I, 134 etc. et Silium II, 553 ſq.); Sed *in tot ora,* ſc. *ſaeua,* in tot horrendos vultus, vt bene Pompon. exponit, in terribiles ac minaces oris habitus, ex eo, quod ſubiicitur, *Tam dirae facies.* Saepe enim ſic epitheta ex ſeqq. retrahenda ſunt ad priora. Solent ſcilicet Erinnyes varias oris ſpecies et vultus ad terrendum idoneos ſumere, vt inf. v. 447, cum Turnus obtemperare nollet. In hunc ſenſum αἰολομόρφους eas dici arbitror apud Orpheum H. LXVIII, 8. Nec diuerſum eſt, quod Ge. III, 553 Tiſiphone — *Inque dies auidum ſurgens caput altius effert. Pluton pater.* Senſit cum Orpheo eod. l. Ἀΐδεω χθόνιαι, Φοβερωὶ κόραι.

Quam Iuno his acuit verbis, ac talia fatur:
Hunc mihi da proprium, virgo fata Nocte, laborem,
Hanc operam, ne noster honos infractaue cedat
Fama loco: neu connubiis ambire Latinum
Aeneadae possint, Italosue obsidere finis.
Tu potes vnanimos armare in proelia fratres,
Atque odiis versare domos; tu verbera tectis
Funereasque inferre faces; tibi nomina mille,

330 *his a. dictis* aliquot Pier. Sprot. Ed. Ven. Goth. sec. 331 *Nunc* duo Heins. *laborum* Rom., quod durum foret: *hunc laborum.* 333 *non c.* Ven. *connubjs* pronuntiatum; vt alibi. 334 *possent* Medic., tum *ne* et *que* legitur pro *ve.* 335 *vnanimes* ante Heins. legebatur cum parte codd., quae vulgarior forma est. cf. sup. IV, 8.

330—340. *acuit,* cum dilectu, pro alloquitur, hortatur. *virgo fata Nocte* conf. VI, 250. Eumenides ἀεὶ παρθένους esse, nota res. cf. h. l. Guell. *Hunc mihi da proprium;* pro vulgari: singulare hoc mihi praesta, mea gratia suscipe. Male Seru. aliter. *infracta cedat loco,* cumulate pro infringatur, labefactetur, conuellatur; hocque vulgarius diceres, imminuatur. *connubiis ambire Latinum,* docte, translatum ad socerum, quod puellae debebatur: Nam *ambire puellam, coniugium puellae,* propria sunt; doctius, *ambire puellam connubio;* nunc ipsum *patrem puellae.* Prohibe, ne Aeneas matrimonio iungatur Lauiniae. Aliena a sermonis genio videtur interpretum illa ratio, vt *ambire* sit circumuenire. *versare* aliter hoc loco dictum quam sup. II, 62 *verfare dolos.* Nunc est exagitare, vexare. 336. tu in ipsis aedium penetralibus flagris et facibus insequeris sceleratos. Hoc est, *inferre verbera* (pro flagris perpetuum poetis, etiam de Furiis, vt et inf. 451) *et faces tectis:* quandoquidem semel in vsum venit, scelerum commissorum terrores et conscientiae stimulos per Furiarum faces et flagra declarare. *tibi nomina mille,* πολυώνυμος. Deorum potesta-

Mille nocendi artes. Fecundum concute pectus,
Disiice conpositam pacem, fere crimina belli;
Arma velit, poscatque simul, rapiatque iuuentus. 340
Exin Gorgoneis Allecto infecta venenis
Principio Latium et Laurentis tecta tyranni

339 *disfice* vulgo omnes codd., ex more; pronuntiationis tamen magis vitio, arbitror, quam doctrinae subtilitate, ac si sit *disficere* pro disfecare; vt viri docti sibi persuadent apud Guell. et Cerdam. 340 *p. s. Troiana iuuentus* aliquot Pier., minus bene. 341 *Ex hinc* duo Burm. et Goth. tert., vt solent recentes librarii scribere. *Allecto.* cf. ad v. 324. *infacta* Gud. *i. medullis* Menag. pr. 342 *L. t. Latini* Parrhas., ex intpt.

tes, vires, proprietates, facta, per *nomina* declarari, nunc nota res est. 339. *Disiicere* fortius, quam dirimere, rumpere; et *crimina*, quam causſae. Et paullo ante *concute te*, fere, vt apud Aristoph. Nub. 701 Πάντα τρόπον τε σαυτὸν Στρόβει πυκνώσας. Ductum ab eo loquendi vsu, cum versatur, agitatur, animus et cogitatio. Non absimile Horatianum, I, Serm. 3, 34. *denique te ipsum concute* — pro vulgari excute.

341. Omnes hoc poetas sequi videas, vt mandatis datis, inprimis a potentiore, non verba sed ipsa res statim subiiciatur. Et merito; quis dubitet? In Virgilio igitur hoc nihil magnum. *Gorgoneis Alecto infecta venenis* accipiunt sic, vt venena secum afferat; quomodo apud Ouidium in simili loco Met. IV, 499 *Attulerat secum liquidi quoque monstra veneni* etc. Sed sic *infecta* parum placere potest, et in nostro loco venenum non ipsa dea miscet, sed v. 354 ex afflatu serpentis illud corpori se insinuat. At v. 346 anguem illa de capite detractum immittit Amatae; ergo illa *Gorgoneis anguibus* caput cinctum habebat: scilicet ex poetica ratione *venena* pro serpentibus dicta, quibus Furia comas habet implexas; cum semel *venena* posuisset, *infecta* quoque bene dicebat. Nihil

Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatae:
Quam super aduentu Teucrum Turnique hymenaeis
Femineae ardentem curaeque iraeque coquebant.
Huic dea caeruleis vnum de crinibus anguem
Coniicit, inque sinum praecordia ad intima subdit:
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille, inter vestis et leuia pectora lapsus,
Voluitur adtactu nullo, fallitque furentem,

343 *obsidit* Gud. et Mentel. alter a m. pr., quod Heins. illustrat. *pectus A.* Erf., sed eo nondum peruentum nunc. 346 *Hinc* Ven. 347 *subdens* vnus Rottend. cum Erf. *mittit* Menag. pr. 348 *domum et m.* Rom. 349 *deuia* tert. Rottend. *corpora* aliquot Pier. et Ven. 350 *a tactu, ac tactu, intactu*, aberratt. apud Burm.

igitur amplius cogitandum, quam: Exin Alecto, quae caput anguibus horridum habet, petit etc. *Gorgonei* angues, quales Medusae caput cingunt. 343. *tacitum* limen, aut pro tacite obsedit, vt Seruius, aut quatenus de matrisfamilias cubiculo agitur in secretiore domus parte. Cerda ad curas retulit; sc. vt *tacita* sit Amata. Sed, vt dixi, de solitudine est accipiendum, quae cum cura et dolore mentis tacito bene conuenit. 344. 345. Proprie dicimur *coquere iram pectore*, vt πέπτειν, vel πέσσειν; sic Silius II, 327 *impatiens asperque coquebat Iam dudum immites iras*, vbi vid. Drakenb.; tum vero exquisite ipsa *ira* dicitur *coquere nos* vel *pectus nostrum*, h. e. agitare, vexare. Haec ratio iam Ennio frequentata in noto illo apud Ciceronem versu: *curam — Quae nunc te coquit et verset sub pectore fixa.* 346. *Huic*, in hanc. Mox 349 *laeuia* epitheton egregie delectum, vt serpentis lubricum lapsum adiuuet. Alias est *molle* corpus, pectus. *fallitque furentem*, latet eam, dum voluitur. Bene Seru. „*sine accipientis*

Vipeream inſpirans animam; ſit tortile collo
Aurum ingens coluber, ſit longae taenia vittae,
Innectitque comas, et membris lubricus errat.
Ac dum prima lues vdo ſublabſa veneno
Pertentat ſenſus, atque oſſibus inplicat ignem; 355
Necdum animus toto percepit pectore flammam:

351 *ſpirans* Medic. 353 *Annectitq.* Franc. 354 *At dum* tres Burm. et aliquot Pier. *vno* Rom. 355 *Praetentat* Zulich., perpetuo lapſu, vt ſup. Ge. III, 250. Aen. I, 502. V, 828. 356 *concepit* Rom., ſed hoc eſt commune verbum.

ſenſu.“ Niſi malis iungere: *ſallit inſpirans*, ἔλαθεν εἰσπνέων. Afflare autem putandus eſt ſerpens halitu venenato, tamquam furoris aura aliqua, pectus reginae, circa quod errat, nondum illapſus, vt e ſeqq. patet. Illa v. 351 — 353 *ſit tortile collo* etc. neſcio, an pro epica dignitate nimis ingenioſa ſint. Ouidio forte ea condones. Is tamen, cum ſuperiora ad verbum fere expreſſiſſet (Met. IV, 485. 489 — 499) haec intacta reliquit. Torques autem ſaepe geſtatos videas ſerpentibus ſimiles, etiam in ſignis veterum. *taenia vittae;* h. e. vitta; niſi proprie h. l. oras et vincula vittarum vel faſciarum dependentia *taenias* dixit, tortiles et ſerpentibus ſimiles.

354 — 357. Primo furoris ex ira et inuidia acceſſu in lamenta fertur Amata. *lues*, vt *tabes*, *ſanies*, pro veneno, h. l. eſt halitus ille venenatus, vnde *lues vdo veneno*, quo afflatum Amatae pectus. Ornat epitheton *vdum*, a natura rei tractum; nihil aliud. Ouidius modo non diſſimili ſcorpium *nigri madidum ſudore veneni* dixit, II Met. 198, non quaſi exſudare eum venenum crediderit; ſed *ſudor veneni*, humor, poetae eſt elegantior ratio pro veneno; *madidus* autem omnino ad profluentem oris ſaniem ſpectat; inſinuat ille ſe in praecordia et animum; *Pertentat ſenſus*, ſubit, *et oſſibus implicat ignem*, quatenus flamma circumuoluitur; eadem vulgari

Mollius, et ſolito matrum de more, locuta eſt;
Multa ſuper nata lacrimans Phrygiisque hymenaeis:
Exſulibusne datur ducenda Lauinia Teucris,
O genitor? nec te miſeret nataeque, tuique? 360
Nec matris miſeret, quam primo aquilone relinquet
Perfidus, alta petens abducta virgine, praedo?
At non ſic Phrygius penetrat Lacedaemona paſtor,
Ledaeamque Helenam Troianas vexit ad vrbes.
Quid tua ſancta fides? quid cura antiqua tuorum, 365

357 *eſt* abeſt Medic. 358 *ſuper natae* ſc. hymenaeis, multi Heinſ. Burm. Erf. et Goth. alter etiam: *natae l. Turnique h.* ex intpt. cf. inf. 398. *lacrimis* Mentel. pr. 359 *Exulibus ducenda datur* vel *E. abducenda d.* pars librorum Pier.; interpolatum a Grammatico, qui primam in *Lauinia* corripi nolebat. cf. ad VI, 84. 360 *gnataeque* et hic ſcribitur in nonnullis. *gnatique* Probus, mendoſe; ſic tamen Goth. quoque ſec. *natiq.* 361 *Nec matris miſerae* malebat Io. Schrader. in ſchedis. *primum* tres Burm. et Erf. 362 *adducta* Parrhaſ. *abrepta* pr. Rottend. et codd. Seruii. 363 *An non* aliquot Pier. et Medic. cum aliis Heinſ., quod vulgarius eſſet. v. Heinſ. ad IX, 144. Damnat quoque Seruius ad h. l. *at num* alter Hamb. *Phrygios* Medic. 364 *ad vrbes* Heinſ. e codd. Vulgo, *ad arces.* 365 *facta f.* et *cura a. deorum* Erf. *iura* Parrhaſ. *et iura* Ven., male. *et* etiam binis aliis.

oratione ambire et inuoluere rem dicitur.

359 — 372. Oratio bene morata et argumentis inſtructa probabilibus et grauibus, ſed breuiter enumeratis. Cum primis verſſ. locum Euripidis (Supplic. 219 ſqq.) comparat Cerda. *Exulibus Teucris* grauius quam Teucro; vt ſup. 98 *Externi veniunt generi* et alia. Quantam vim habent illa: *nec matris miſeret*, et *Perfidus — praedo.* 363. *At non ſic*, vt vulgo: quaſi non ſimili modo Paris etc. *penetrat;* praeterita res in praeſens adduci poteſt, inprimis a poeta. Hinc enallage illa, pro, penetrauit. In v. 365.

Et conſanguineo toties data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idque ſedet, Faunique premunt te iuſſa parentis:
Omnem equidem ſceptris terram quae libera noſtris
Diſſidet, externam reor, et ſic dicere diuos. 370
Et Turno, ſi prima domus repetatur origo,
Inachus Acriſiusque patres, mediaeque Mycenae.
His vbi nequidquam dictis experta, Latinum
Contra ſtare videt, penitusque in viſcera labſum

367 *genus* Parrhaſ. *patitur* alter Menag. et Goth. pr. 369 *quae ſubdita* Parrhaſ. Totus verſus abeſt Goth. tert. 370 *Deſidet* Reg. *poſcere* Medic. a m. pr., variatione non inſolita. Nam *dicere* eſt conſtituere, conſtitutum habere. cf. Erneſti ad Tac. A. XI, 4. 371 *Aeterno ſi* Parrhaſ. *Turni* Sprot. et Montalb. *domo* codd. Seruii. 372 *pater* Oudart. et Schol. Cruq. Horatii. 374 *lapſum eſt* duo Burm.

366 epithetorum bonus eſt delectus factus. *conſanguineo;* filius enim eſt Veniliae, ſororis Amatae. Seru. conf. Excurſ. VII ad hunc librum. 367 ſeqq. Callide eleuat id, quod tantam ad mariti animum vim habebat, Fauni oraculum, dum id non minus ad Turnum referri poſſe ait; eſſe enim externos habendos omnes, qui non Latini regno ſubſint. Tum vero Turnum originem quoque habere a gente peregrina, et extra Italiam agente, ab Argiuis. De hoc v. Excurſ. ad h. l. *mediae Mycenae* accipiendum vt in illo: Ex media Graecia eius ſtirps ducta eſt. Dedit autem poeta ſeu famae hoc ſeu ingenio, vt Turni originem a Danae, Perſei matre, peteret, quae, cum iram patris Acriſii metueret, naui in Italiam eſt delata, ibique Ardeam condidit: cf. inf. 409 ſq.; contra quam vulgaris inter Graecos fabula ferebat, qua in arcam cum puero incluſa mari ad inſulam Seriphum enataſſe narrata eſt.

373—377. Tentato ita Latini animo, cum eum videt *contra ſtare* (pro vulgari,

Serpentis furiale malum, totamque pererrat:
Tum vero infelix, ingentibus excita monſtris,
Immenſam ſine more furit lymphata per vrbem.
Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent; ille actus habena

376 *magnis exercita monſtris* pro diu. lect. Gud. 377 *Ingentem ſ.* Oudart. „quae gloſſa eſt, inquit Burm.; forte *incen-*„*ſam*, nam Statius, qui ex fonte Virgiliano ſua, teſte Lutatio, „deriuauit, IV Theb. 382 *Erectam attonitis implet clamoribus* „*vrbem.*“ Non ſatis equidem haec aſſequor, ſed in *immenſam — per vrbem* haerere aliquis poteſt, ſi paruam et anguſtam vrbem Laurentum cogitet. Poeta tamen etiam in ceteris res paſſim Latinorum ad maius et ſplendidius euexit. Recordare modo regiam Latini v. 170 ſq. Et *immenſa* vrbs ſimpliciter pro magna dicta eſt. Alioqui in mentem venire poteſt ſcriptum fuiſſe *Immenſum — furit;* noto poetarum more. 378 *toto* Menag. pr., noto errore. *ſub verbera* Ed. Dan. Heinſ. 379 *magni* alter Hamb. *in magno* tres Burm. 380 *habenis* Rom. et alii Pier. *habenas* Goth. pr.

reſiſtere) cumque venenum (docte: *ſerpentis furiale malum*) interea in intima Amatae praecordia penetrauit etc. 376. *monſtra*, ſunt terrores et phantaſmata furentis animo obiecta. 377. *ſine more*, ſine modo ac lege, adeoque ἀκόσμως, ἀπρεπῶς (conf. ad V, 694; adde Burm. ad Ouid. I, A. A. 119) discurrit per totam vrbem. Locum hunc ante oculos habuit Statius IV Theb. 378 ſq.

378 — 384. Lineas ornatiſſimi loci in Iliad. ξ, 413 inuenire ſibi videntur viri docti, ſed ibi Aiax rotat ſaxum ὡς στρόμβον. Haud dubie alius, qui nunc intercidit, Graecus poeta praeiuerat; ſuſpicari id licet ex ornatu exquiſitiore. *Turbo* lignum illud conoides, quo pueri ludunt, diuerſum a trocho, qui aeneus vel alterius materiae circulus eſt, quod viri docti docuerunt. Turbo eſt ῥόμβος vel βέμβιξ, ex Epigr. I Callimachi notus; vbi et ὑπὸ πληγῇσι θοὰς βέμβικας ἔχοντες Ἔστρεφον, vt h. l. *torto ſub verbere*, flagello, mox *habena. vacua circum*

Curuatis fertur ſpatiis; ſtupet inſcia ſupra
Inpubesque manus, mirata volubile buxum;
Dant animos plagae: Non curſu ſegnior illo
Per medias vrbis agitur populosque feroces.
Quin etiam in ſiluas, ſimulato numine Bacchi, 385
Maius adorta nefas, maioremque orſa furorem,

381 *Curuatus* Franc. et Dorvill. *inſcia turba* vulgatum erat ante Heinſ. *ſuper inſcia ſupra* ſunt qui legant ap. Pier. Sed *ſtupet inſcia ſupra* Medic. cum aliis, etiam Pierianis; quo bene monet Heinſius graphice deſignari pueros turbini intentos et quodammodo incumbentes prae ſtudio et ardore luſus. Sic tamen iam Benedictus in Iuntina: „*ſupra* habet antiquus codex, ſicque legendum: expreſſit autem puerorum morem conglobatorum et inhiantium ipſi turbini, atque mirantium, quod ita in gyrum turbo verratur." 382 *Impubisque* alii. Sic quoque Pieriani aliquot et Heinſ. 383 *nec* Parrhaſ. *ipſo* pr. Hamb. 384 *agitat* Zulich. ſuperſcripto *ſe*. 385 *in ſiluis* Medic. a m. pr. et Witt. vt pars Pier. Iidem *nomine*. 386 *adorſa* multi Pier. et Heinſ., vt alibi quoque; cf. VI, 397. *maioremque exorſa f.* Ed. Ven. *maiorem*

atria, ornate, ante domum. Callimach. εὐρείῃ ἐνὶ τριόδῳ. *exercent*, agunt, verſant, δονοῦσι. turbini *dant animos* (concitatiorem motum) *plagae*, verbera ingeminata. Ad pueros minus bene hoc refers. Verum eſt, eorum animos incendi ipſo ludo: ſed hic de motu turbinis agitur. Comparatio ex Tibullo nota eſt lib. I, 5, 3 *Namque agor, vt per plana citus ſola* verbere turbo, Quem celer *adſueta verſat ab arte puer*. Sed, ne res ex puerorum luſibus ducta epicae dignitati detraheret, partim tractatione et dictionis grauitate effecit Maro, partim ab ipſo lectore cauendum eſt, ne ſordidam noſtram in triuiis pubem cogitet, ſed ex priſca vita ingenuae iuuentutis certamina et ludos in Campo. Verſatur autem comparationis vis in discurſu rhombi.

385 ſqq. Praeclarus locus eſt, qui ſequitur, ſed, vt eius praeſtantiam ſentias, ſacrorum Bacchicorum ritus a noſtris ſenſibus tam alieni notitia aliqua, ex Euripidis v. c. Bacchis, imbutum ha-

Euolat, et natam frondosis montibus abdit;
Quo thalamum eripiat Teucris, taedasque moretur:
Euoe Bacche, fremens, solum te virgine dignum,
Vociferans; etenim mollis tibi sumere thyrsos,
Te lustrare choro, sacrum tibi pascere crinem.

exorsa Rom. *orsa* an *ausa* Franc. Sic et Schrader. coni. Saltem parum placet iuxta positum *adorta orsa*. 387 *Euolat* pr. Moret. *montosis frondibus* pr. Menag. *addit* Goth. tert. et sec. Moret. In Parrhas. versus 388 erat ante hunc. 388 *Qui* alter Hamb. *thalamo* Moret. a m. pr. *taedasue* malebat idem vir doctus Io. Schrader., vt aut eripere, aut saltem moras addere malit; vt sup. 315. 389 *Euohe, Euhohe, Euhoe, Heuhoe* scribitur. Male. Est Εὐοῖ. *furens* Menag. pr. 390 Pro *etenim*, *suadet* Menag. pr., ex glossa. At *etenim* praeclare Σοὶ γάρ τοι. 391 *choros* Heins. retinuit iam ante editum in Ald. pr. Iunt. tum a Ge. Fabricio et aliis. Intrudere volebat hoc idem VI, 231. Ab Heinsio et Burmanno non plura super lectione monita esse miror. Quantum ex iis colligo, *choros* plures libri exhibent; vti et plerique Pieriani,

bere animum necesse est. Inter eos homines, qui orgia Bacchi frequentabant, facile hoc in animum venire debuit feminae, vt irae furore acta, quum inuiso genero subducere vellet filiam, Bacchico se teneri furore simularet, quo filiam iisdem sacris initiaret adeoque in siluas abduceret. Incidit poeta in commentum hoc exemplo tragicorum, qui furores Bacchicos saepe consiliis suis attemperauerunt: qua de re v. Excurs. XI* ad lib. VI. In artium monimentis nonnulla hinc illustrari dixi; nouum exemplum vidi nuper in Vol. V. Musei Pio Clem. Tom. V. tab. 18, vbi in argumento luctus Laodamiae larua Bacchica appositа est: forte quia apud Euripidem in Protesilao furor Bacchicus aut cum luctu coniunctus aut aliis modis in fabulam inductus fuerat. 390. 391. *Etenim m.* non ignota forma, docta tamen et variandae orationi commoda, in rectam mutatae ex obliqua. Certe quidem tibi, in tuum honorem, Bacche, ait illa filiam Bacchicis orgiis se initiare (Seruius infinitiuum pro indica-

et inter eos Rom. At *choro* Medic. a m. pr. Leid. et Exc. Burm., item Goth. tert. cum edd. antiquioribus, quarum duas Ge. Fabric. laudat, ſed primo loco memorandae Ald. ſec. et tert. *choris* Ed. Mediol. et pro var. lect. Hamb. pr. *chorus* Goth. ſec. Vidimus auctoritates lectionum; videamus nunc rationes. *Te luſtrare choros* ita interpretari video Ge. Fabricium et alios, *Te* id eſt, propter te, tui honoris cauſſa. Quod duriſſimum eſt; et ſic *tibi* dicendum erat. Saltem malis *luſtrare te* per *choros*, pro, choris; vel illam *luſtrare choros* (transitiue, ducere choros) circa *te*. Commodior ratio eſſet et ordo verborum, vt *choros* ſubiectum facias: *Etenim choros* (ait illa) *ſumere tibi thyrſos, luſtrare te et paſcere tibi crinem*. Ita *chori luſtrant Bacchum*, qui circa eum ducuntur; nam deum ſuis ſacris ac choreis intereſſe contacti Bacchico furore exiſtimant; ita vt is pro chorago ipſis ſit, vt Horatius viderat Bacchum cum Nymphis et Satyris choros ducentem tamquam choragum: nam ſic interpretabere II Carm. 19 *docentem carmina* et *diſcentes* et *aures acutas*. At vel ſic incommodum eſt illud, quod *ad choros* actio refertur, dum *Amata* nunc agere rem deberet. Itaque praefero alteram lectionem, *choro*, quam, etſi non interpretantur, Guellius tamen et Cerda Cuninghamusque nunc quoque Brunck. ſequuntur. Satis ſollennis eſt librariorum in tali verborum poſitu aberratio. Ait igitur Amata, *ſe ſumere Baccho*, Bacchicorum ſacrorum cauſſa, *thyrſos*, *ſe luſtrare eum choro*, h. choros circa eum ducere, *ſe crinem ipſi paſcere*, adeoque promiſſum, et nunc ſolutum, habere. *Luſtrare choro*, h. choros circa aliquem ducere, infra quoque legitur X, 224 Nymphae *agnoſcunt longe regem* (Aeneam) *luſtrantque choreis*. In Franc. erat *Et luſtrare*. Porro *tibi creſcere* pr. Rottend. a m. ſec. In Vratisl. poſt hunc verſum ſequebatur hemiſtichium *Reginam accenſam*, quod ex gloſſa irrepſit. At illud in mentem venire poteſt, an continuanda ſit oratio: *Etenim — paſcere crinem Fama volat*. Sed vetat τὸ *etenim*, quod a tali ſententia abhorret.

tiuo poſitum eſſe volebat; ita eſſet infinitiuus narrationum). Hoc extulit per attributa Baccharum: *thyrſos ſumere, luſtrare choro*, h. e. choros circa Bacchum ducere tamquam in medio ſtantem; dum Bacchico furore correpti praeſentem eum ſacris adſpiciunt. *paſcere crinem*. In ſacris Bacchicis comam promiſſam et ſolutam haberi et iactari ſolitam notum eſt. conf. inf. 394. 403 (Laudat ex Catulli Galliambo locum Cerda: *Tibi ſpargimus capillum, Tibi verticem rotamus*. Sed is eſt Mureti Galliambus, in eius Catullo pag. 86, quod idem

Fama volat; Furiisque adcensas pectore matres
Idem omnis simul ardor agit, noua quaerere tecta.
Deseruere domos: ventis dant colla comasque.
Ast aliae tremulis vlulatibus aethera conplent,
Pampineasque gerunt incinctae pellibus hastas.
Ipsa inter medias flagrantem feruida pinum
Sustinet, ac natae Turnique canit hymenaeos,
Sanguineam torquens aciem; toruumque repente

392 *incensas* imitator versificator in Anthol. Lat. CLXXVIII, 145. *pectora* malebat Heinsius cum duobus libris. 394 *domus* tres Heins. cum parte Pierian. et Goth. tert. 395 *Ast illae* Medic. a m. sec. 397 *fl. vertice p.* sec. Moret., miro lusu. 399 *S. voluens* Sprot. et Schol. Statii ap. Heins. *turnumq.* Goth. pr., ac si vellet *Turnum clamat*, mire opportuno errore. *toruom;* haerebam, an hoc relinquerem; hic enim caussa adest: nam antiqui post *u* nunquam aliam litteram *u* ponebant, sed in o mutabant: *seruos*, *Dauos:* vt etiam ad h. l. Benedictus e Donato ad Terent. notauit. In eiusdem Cod. erat *toruom*. Enimuero in Med. cod. legitur *toruum*. Sic inf. X, 170 *toruus* editur constanter, at Rom. *toruos*. Cum igitur nulla in his exprimendis constantia nec sit nec esse possit: cf. sup. ad v. 329, nolui in vno et altero loco antiquam rationem affectare, quam nunc, vt satis tibi constes, per totum carmen vix retineas.

carmen pro Catulli fetu habuit Guellius ad Georg. II, 392). Rarius occurrit, quod comam quoque Baccho alunt Bacchae; sed Euripidis versum iam alii laudarunt: Ἱερὸς ὁ πλόκαμος, τῷ θεῷ τ' αὐτὸν τρέφω (Bacch. 493; cf. Barnes. ad v. 150). Perperam Intpp. multa hic commemorant de more vulgari comam alendi. 392 sq. Idem furor Bacchicus ceteras Latinas matronas inuadit. *noua tecta*, siluarum recessus. 396. *pellibus*. Pelles sunt nebrides; hastas *pampineas*, pampinis tectas, vt bene Seru. monet; thyrsos (conf. Ecl. V, 31), qui hinc *molles* dicti supra v. 390, et *pinum*, facem pineam, cf. ap. Eurip. Bacch. 145 sqq. Omnia enim hic a sacris Bacchicis petita sunt; non a nuptialibus ritibus. *Sanguineam* (conf.

Clamat: Io matres, audite, vbi quaeque, Latinae;
Si qua piis animis manet infelicis Amatae
Gratia, si iuris materni cura remordet:
Soluite crinalis vittas, capite orgia mecum.
Talem inter siluas, inter deserta ferarum,
Reginam Allecto stimulis agit vndique Bacchi.
Postquam visa satis primos acuisse furores,
Consiliumque omnemque domum vertisse Latini:
Protenus hinc fuscis tristiis dea tollitur alis

400 *vbicunque* vulgg. ante Heins., qui codicum et Prisciani auctoritate reposuit *vbi quaeque;* quod et in aliis locis alteri cessit. vid. Heins. At hoc idem iam dederat Aldina sec. et tert. et hinc profectae. Scilicet *vbi quaeque* exquisitior est ratio, quam poeta sequi debet. Videtur quoque *vbi quaque* lectum esse, et sic coni. Cuningham. (Lectum sic a Prisciano, vt sit pro: quacunque; Benedicto obseruante). 403 *quatite orgia mecum* coni. Io. Schrader. 405 *R. alloquio* Goth. tert. 406 *Plus quam* sec. Menag. 407 *Conciliumq.* Montalb. et plerique Pier., in quorum parte est etiam, *euertisse.* 408 *fuluis* pr. Menag., vnde Heins. opinabatur *furuis.* Sed Burm. prouocat ad VIII, 369.

IV, 643) *torquens aciem, διαστρόφους κόρας ἑλίσσουσα,* Eurip. Bacch. 1120. Ad vers. 400 conferunt Intpp. Iliad. σ, 52 sq. de Thetide ad Nymphas, nec tamen quicquam inde proficere potuit Maro. *piis animis,* pro vobis. 402. Si cura est, si ius maternum in filias tuendum vobis putatis. *capite orgia,* exquisite, vt suscipere sacra, h. celebrare, agere: at quo tandem consilio? qua spe? scilicet, vt sibi adsint, filiamque a nuptiis cum alieno viro vindicent.

406 — 413. Ad Turnum nunc Alecto procedit: postquam consilia Latini ab ea turbata eoque ipso caussae belli satae erant, quo verendum erat, ne Latini domus euerteretur. *acuisse,* cum dilectu pro excitasse. 408. Nota Furiam alatam, vt iam

Audacis Rutuli ad muros: quam dicitur vrbem
Acrisioneis Danae fundasse colonis,
Praecipiti delata noto. Locus Ardea quondam

409 *qua* Parrhas. 410 *Acrisioneis* vulgo legitur (sed tantum in recentioribus: nam Aldd. omnes et Iunt. aliaeque *Acrisionaeis* agnoscunt. Mutatum forte a Stephano). Sed Heins. emendauit *Acrisionaeis* ab Acrisius, Acrisione, Ἀκρισιώνη, et hinc Ἀκρισιωναῖος. Nec aliter Salmas. ad Solin. p. 41. Enimuero sic est idem ac *Danaeius;* nam Ἀκρισιώνη est Danae; quis autem ferat *Danaen condidisse Ardeam* colonis *Danaeiis?* Non video, quid ni ab Ἀκρίσιος, Ἀκρισίων, Ἀκρισιώνειος formatum esse possit; et ab ipso Acrisio coloni nomen habent h. l. melius quam a Danae. Sic quoque apud Ouid. Met. V, 239 *Acrisioneae arces* dictae Argi, quos Acrisius tenebat, non Danae. Seruius nugatur, qui *Danae Acrisioneis* iungi vult, vt sit Ἀκρισιωνηΐς. Reuocare igitur praestat *Acrisioneis* ab *Acrision* pro *Acrisius*. Nec aliter habet Medic. et al., etsi ratio grammatica plus in his valet, quam omnis librariorum auctoritas. Porro *Dane, Daphne* aberratur. 411 *locus Ardua quondam* aliquot Pieriani, et sic manifestum est Seruium legisse, qui, *Bene*, ait, *allusit, nam Ardea quasi Ardua dicta est, id est magna et nobilis.* (Miror, non potius altam et edito loco sitam interpretari Seruium; nam talis veteris Ardeae situs adhuc ex vestigiis intelligitur. vid. Vulpii Vetus Latium T. V, p. 163 sq.). In iis vtique, quae subiiciuntur, poeta videri potest mutationem aliquam significare velle: *quondam locus dictus* Ardua; *et nunc* magnum (alludit hoc ad *arduum*) *manet* Ardea *nomen*. Verum de hoc nomine nihil aliunde constat; nec similis mutationis exemplum succurrit. Heinsius et Burmannus nihil monent; vellem tamen declarassent saltem, quomodo id, quod nunc scriptum est, acceperint. Nam: *Locus Ardea quondam Dictus auis;* num *auis*, h. maioribus? an *Ardea auis?* vt vrbs dicta sit Ardea, *auis* (cf. Ge. I, 364) *nomine;* quod idem nomen fabulam satis ineptam peperit, ex cinere vrbis Ardeae auem ardeam euolasse, apud Ouid. XIV, 574. 580. Probabilior saltem ratio esset ea, quam Seruius ex Hygino de Italicis vrbibus seruauit, vt ab augurio auis ardeae dicta esset vrbs; sed altera frequentata est a veteribus. Meo sensu alterum hoc, vt *Ardea auis* iungatur, ludicrum aliquid in se habet. Manebo ap. Eurip. Or. 317. 410. Danae igitur Acrisii f. cum Arginis fugae comitibus naui vecta ad Rutulorum littus appulisse et Ardeam exstruxisse dicitur; v. Excurs. VII ad v. 371. 372. 411. 412. Locus quondam a maioribus

Dictus auis: et nunc magnum manet Ardea nomen;
Sed fortuna fuit. Tectis hic Turnus in altis
Iam mediam nigra carpebat nocte quietem.
Allecto toruam faciem et furialia membra
Exuit: in voltus sese transformat anilis,
Et frontem obscenam rugis arat; induit albos

itaque in ratione ea, quae simplicissima est: Vrbs olim dicta Ardea a maioribus. Manet etiamnum nomen loci nobile (sc. propter veterem Turni Rutulorumque famam); sed vrbs pristina fortuna et opibus antiquis (vid. Liu. I, 57) excidit; hoc enim est *Sed fortuna fuit*, male ab intpp. acceptum; Notum est dicendi genus: *fuit Troia; fuit fortuna*, conf. Burm. Nunc nihil supereſt praeter nomen. Erat autem iam Maronis tempore Ardea cum ceteris vicinis locis solo aequata. vid. Strabo V, p. 232. Itaque Silius imitatus h. l. lib. I, 293 *Magnanimis regnata viris, nunc Ardea nomen*; nil nisi nomen supereſt. 412 *D. anus* Goth. sec. *et nunc* Aproniana*m* esse lectionem notat Pompon. Sab. Alios habere *sed nunc. et nunc tantum* alii. *manet* Heinſ. e libris: post Pierium. Alii *tenet*; sic edd. Aldd. priores; sed mutauit Naugerius; et *numen* Goth. pr. 413 *tedis* Goth. sec. 414 *media nigram* et *media nigra*, aberratt. codd. Pier. et Heinſ. *mediam magna* Goth. sec. *nigra mediam* Franc. *capiebat* sec. Moret. 416 *Exit et in* aliquot Pier. cum Franc. Videtur hoc reconditam doctrinam habere: *membra exit*. Sed manifesta est corruptela. Primum librarii lapsu *Exuit et in* scriptum erat; vt metro consuleretur, alii sic emendauerant, *Exit et in*, alii, *Exuit et vultus* quod et ipsum libri

dictus est Ardea; et etiamnum nomen vrbis magnum ac nobile manet; vernm fortuna pristina vrbis extincta est. conf. Var. Lect.

415. Alecto trinis modis furorem iniicit, *Amatae* per serpentem ex occulto immissum; nunc *Turno* per somnum sub specie anus oblata; tandem 475 seqq. *canibus* rabiem incutit. cf. sup. ad 323—329. *obscenam* simpl. pro, turpem. Obserua autem epicae dictionis ornatum in hoc, quod vulgare illud: „assumit formam anus rugosae, canae“ resoluit in verba: *arat, induit, innectit*; h. e. habet innexas, et

Cum vitta crinis; tum ramum innectit oliuae;
Fit Calybe Iunonis anus templique ſacerdos;
Et iuueni ante oculos his ſe cum vocibus offert: 420
Turne, tot incaſſum fuſos patiere labores,
Et tua Dardaniis transſcribi ſceptra colonis?
Rex tibi coniugium et quaeſitas ſanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quaeritur heres.

habent. Venetus: *Exuit, in vultus et ſe.* 418 *nectit* Gud. a pr. m. 419 *Chalibe, Calibe, Calibae, Chalibae, Chalibo,* imperite a librariis ſcriptum. Editum vbique *Chalybe.* At Bruncknius in Medic. ſcriptum viderat *Calybe,* et recte reſtituit; eſt enim Καλύβη. Iam autem deteriorum aetatum perpetuus mos, c in molliorem ſonum vt mutetur. Apud Donatum *Beroe,* ex lib. V, 620. Porro a Seruio iam ordo verborum factus: *Fit Calybe, et Iunonis templi anus ſacerdos.* Burmannus aliam rationem ſubiicit: *Fit C. anus et ſacerdos templi Iunonis.* Alterum durum, alterum ſolutae orationi propius videtur. *Iunonis anus* dubito iungi poſſe, vt ſit, Iunoni ſacra anus. Forte melius rem ſic expedias: Vulgaris ratio erat: *ſacerdos anus* (ſ. vetula) *templi Iunonis;* pro hac doctius dixit poeta: *ſacerdos anus Iunonis et templi.* 420 *iuuenem* duo Burm. 422 *Dardaneis* pr. Moreti, vt ſolent indocti librarii. *tranſcribis* ſec. Hamb. 423 *et* abeſt aliquot Pier. 424 *Deuegat* Ven. *aeternusq.* Doruill. *heros* Vratisl.

ſic reliqua. 419. *Fit Calybe, anus ſacerdos Iunonis templique:* Si aliter iungis verba, minus commode ſit; etſi nec hoc omni incommodo caret. Igitur ſacerdos Iunonis tali erat habitu, vt vitta et oleaginea corona vinctas haberet comas. Imitatus eſt in Tireſia Statius II Theb. 97. 98. 99, et in Amphiarao VII, 88. 89. *Iunonem* autem merito poſuit, quippe quae Turni rebus ſtudet, et cuius templum fuiſſe Ardeae ex locis Plinii conſtat, in quibus antiquiſſimas Ardeatis templi picturas miratur XXXV, 3 ſ. 6 et 10 ſ. 37. 421. *patiere fuſos* graece, pro, patiere effundi. *et tranſcribi.* De voce *tranſcribi* vid. ſup. V, 750; h. l. transferri ait regnum Latini dotale cum Lauinia ad exteros. 423. *ſanguine.* Nam pro Latino ſae-

I nunc, ingratis offer te, inrise, periclis;
Tyrrhenas, i, sterne acies; tege pace Latinos.
Haec adeo tibi me, placida quum nocte iaceres,
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia iussit.
Quare age, et armari pubem portisque moueri
Laetus in arma para, et Phrygios, qui flumine pulcro
Consedere, duces pictasque exure carinas.
Coelestum vis magna iubet. Rex ipse Latinus,
Ni dare coniugium et dicto parere fatetur,
Sentiat, et tandem Turnum experiatur in armis.
Hic iuuenis, vatem inridens, sic orsa vicissim
Ore refert: Classis inuectas Thybridis alueo

426 *i* abest Reg. *insterne* multi Heins. duo Goth. et a pr. m. Medic. *prosterne* Parrhas. *et st.* aliquot Pier., et forte nonnulli Heins. *rege.* 427 *iacerem* coni. vir doctus in Misc. Obss., notante Burm. 430 *parat* alter Hamb., sed vltima littera subnotata. *iube*, ex interpretatione, Colot. Medic. Scheffer. Sed sequitur *iubet* v. 432. *et* abest pr. Mentel. binisque Burm. 433 *conubium* sec. Rottend. et Goth. tert. *d. p. iubetur* aliquot Pier. 435 *His* Ven. 436 *Ora* Sprot. *alueo* Heinsius recepit secundum Rom. aliosque Pierianos, Medic. Gud. et Voss. pro var. lect. Vulgo,

pe pugnas suscepisse putandus est ex v. 425. 426. *tege pace Latinos* scil. auertendo et repellendo hostes. 427. Comparant Interpp. Iliad. σ, 184 Ἥρη με προέηκε etc. 430. *laetus* poetis est simpl. alacer: ne in hoc haereas, quid tandem laetandum ipsi fuerit. *flumine pulcro*, est καλλίῤῥοος, ornans epitheton. Sic sup. 30 *amoenum.* 432. *Caelestum vis magna*, magnum deorum numen. τὸ τῶν θεῶν κράτος. *Phrygios duces et carinas exure*, nota dicendi forma: alterum improprie. 433. *dicto parere*, pro vulgari, promisso stare se velle profitetur.

435 — 444. Nota *vatem* simpl. pro sacerdote. *orsa*

Non, vt rere, meas effugit nuntius auris.
Ne tantos mihi finge metus: nec regia Iuno
Inmemor est nostri.
Sed te victa situ verique effeta senectus,
O mater, curis nequidquam exercet, et arma
Regum inter falsa vatem formidine ludit.
Cura tibi, diuum effigies et templa tueri:

vndam, quod cum aliis codd., vt Erf., etiam fragm. Vatic. retinet, et reuocauit Brunck. Alii, *vnda*, vt Medic. et al., vel *vndas*, vt duo Goth. Sane vtrumque bene dicitur; nec adest cauſſa, cur alterum alteri praeferas: niſi forte dixeris variari poſſe orationem, cum iam ſup. 303 occurriſſet: *optato conduntur Thybridis alveo*. Legimus *fluminis alueum* VII, 33 et IX, 32. At nec minus *vnda Thybridis, vnda Tiberini, fluminis vndas*. Si itaque hanc reponis lectionem, mox veniat qui alteram inferat; ſi haec repoſita ſit, veniat paullo poſt, qui iterum priorem retrahat. Tales mutationes nec vtilitatem nec voluptatem afferunt: faciunt tantum moleſtiam. 438 *Nec* duo Burm. cum Goth. ſec.

pro vulgari, dicta; vt, *ſolio ſic orſus ab alto*. 440. 441. 442. Per ſenectutem vanis rumoribus captandis indulges. Docte ornata res. *Senectus te exercet curis nequicquam*, adeoque curis vanis, et *ludit te falſa formidine*; addit *inter arma regum*, vt appareat, qua ſuper re cura illa ſuſcepta ſit. *Senectus* autem dicta, *victa ſitu*, annis fracta, infirmato corpore et animo, vnde in metum pronior illa aetas eſſe ſolet; *ſitus* pro longo aeuo exquiſite, accedente cogitatione deſidiae et inertiae; *verique effeta*, paullo audacius dicta, cui nihil veri iudicii adeſt, vanis inhians, procliuior ad amplectendos falſos rumores quam ad vera exploranda. Vt *frugibus* vel *frugum effetus ager*, inhabilis longo vſu et parum idoneus ad ferendas fruges; ſic aetas illa inhabilis ad videndum verum et ad veros timores diiudicandos et a falſis discernendos. *Irae, belli, Martis, feta* praecordia paſſim apud poetas occurrunt. *Vatem* iterum vt verſ. 435. 443; aedituam νεωκόρον deſignat. Forma increpandi

Bella viri pacemque gerent, *quis bella gerenda.*
Talibus Allecto dictis exarsit in iras.
At iuueni oranti subitus tremor occupat artus;
Deriguere oculi; tot Erinnys sibilat hydris,
Tantaque se facies aperit. Tum flammea torquens
Lumina cunctantem et quaerentem dicere plura
Repulit, et geminos erexit crinibus anguis,
Verberaque insonuit, rabidoque haec addidit ore:

444 *gerant* Heinſ. e Medic. et aliis. Vulgo *gerent;* cf. Burm., quod tamen fragm. Vatic. quoque tuetur, cum Palat. ap. Bened. idque cum Brunckio reuocaui; habet enim maiorem vim. In edd. vtrumque apparet: in Aldd. et quae hinc fluxere *gerant:* at inde a Commel. Steph. et al. *gerent.* Nonnulli quoque *gerunt,* Witt. *ferant.* Reliqua *quis bella gerenda* cum Heumanno Burmannus bene vidit esse rescindenda, vt ab aliena manu assuta. Saltem otiose subiecta sunt. 446 *Et* Witt. *aut* Menag. pr. *subitos* Heinſ. intulerat e coniectura confirmata a Mentel pr. a m. sec. Sed tales deliciae aduersus librorum auctoritatem inferri non debebant; *subitus,* edd. et librorum, etiam optimorum, in his fragm. Vatic., lectio et ipsa elegans est. Alii *subito.* 447 *Diriguere* vulgg. codd. et edd. ante Heinſ. et Pier. *tot crinis* Franc. 448 *fumea* Rom., male. 450 Absurde Seruius, quem Pomponius sequitur, *geminos* de similibus serpentibus accipit. Burm. coni. *gelidos.* Quidni autem duo angues in capite inter ceteros extolli a dea poterant, vt alias vnus exsurgit, v. c. Stat. XI Theb. 65. Ouidius, qui Maronem ante oculos habuit, Met. IV, 494 *Inde duos mediis abrumpit crinibus angues* etc. 451 *verbereque* Montalb., vt lib. V, 579

Homero iam frequentata est Iliad. ε, 428 sqq. ζ, 490 sqq. πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει. add. Iliad. υ, 137 sq.

446 sq. Exuit iam Erinnys anum, vt solent interdum dii (conf. Excurs. XIII ad lib. I, p. 154), et vera forma adstat. Praeclara autem rei exponendae ratio effectu ab initio statim posito: Turnum ita loquentem horror inuadit etc. 447. *tot Erinnys;* nam horrendi angues ex capite sibilant et dira deae facies vera apparet. *tanta* pro talis. 451. *verbera insonuit,* concussit, flagello increpuit; cf. sup. v. 336. VI, 557.

En, ego victa ſitu, quam veri effeta ſenectus
Arma inter regum falſa formidine ludit;
Reſpice ad haec: adſum dirarum ab ſede ſororum;
Bella manu letumque gero.
Sic effata facem iuueni coniecit, et atro
Lumine fumantis fixit ſub pectore taedas.
Olli ſomnum ingens rumpit pauor, oſſaque et artus
Perfundit toto proruptus corpore ſudor.
Arma amens fremit; arma toro tectisque requirit.
Saeuit amor ferri, et ſcelerata inſania belli;

inſonuit flagello. Sed alterum exquiſitius; fecit flagellum reſonare. Tum *rapido* alii, et ſic ante Heinſ. vulgg. 452 *non ego* Lutat. ad Stat., et *v. ſ. verique eff.* Donat. ad Terent. apud Burm. *effata* Goth. ſec. et Rom. 453 *falſo* Rom. 454 *Aſpice* Goth. ſec. Olim fuere qui diſtinguerent: *Reſpice: ad haec adſum;* vid. Seru. 455 *gero* vel *cano* Zulich. Male. Nam reſpicit ad ſup. 443 ſq. 456 *alto* Parrhaſ. 457 *flammantes* Parrhaſ. *de* tert. Rottend. 458 *Illi ingens ſomnum* Rom. et alii Pier. *Illi* quoque fragm. Vatic. *rumpit* Heinſ. cum melioribus. Vulgo *rupit. atris* Goth. pr. *oſſaque ductus* ſec. Moret. Notabile vtique, *ſudorem perfundere oſſa. Ora* et *artus* ratio poſtulare videtur. 459 *Perfundit* item Heinſ. pro vulgari: *perfudit;* at pr. Rottend. *profundit;* et multi, etiam fragm. Vatic., *praeruptus*, vt alibi quoque ſolent. 460 *A. tumens* Montalb., ſed *A. amens* etiam ſup. II, 315. *tectoq.* ſec. Rottend.

456. *facem iniecit* in iuvenem. 460. *arma fremit*, plus eſt, quam, depoſcit, clamat. 461. 462. Elaborata oratio! pro, belli cupiditate et ira incenditur. *amor ferri* et *inſania belli* vnum idemque declarant. *ſcelerata i.* quoniam ad caedes, rapinas et *ſcelera*, rapit, quae proprie de bello dicuntur; at *ſuper ira*, magis adhuc, quam amor pugnae, ſaeuit, furit ira. cf. Var. Lect.

Ira ſuper; magno veluti quum flamma ſonore
Virgea ſuggeritur coſtis vndantis aeni,
Exſultantque aeſtu latices; furit intus aquai

462 Optandum erat, vt viri docti docerent, quomodo haec acciperent: *Ira ſuper.* Vulgo videntur interpretari cum Cerda: inſuper; acceſſit demum ira. Ita ſaltem diſtinctio erat accommodanda: *ſ. i. belli, Ira ſuper; veluti.* Sane *ſuper* eo ſenſu apud poetam et alibi occurrit, v. ſup. II, 71; cf. VIII, 245. XI, 226. Sed ſententia inde exit ieiuna et tanto poeta indigna: *Saeuit amor — inſania, inſuper ira.* Dicendum ſaltem erat, *ſuper* eſſe pro copula: *Iraque.* Exilitas tanta facile a poeta euitari poterat, ſi ſcriberet, *Ira furit* vel ſimili modo. *Super* pro, ſupereſt, ſuperat, occurrit et alibi (vt III, 489). Si pro ſuperare, ebullire, erumpere illud dictum docere poſſem, bona efficeretur ſententia. Donatus ita interpretatur, ac ſi *ſuper* pro, ſuper his, dictum velit: *Tantum contraria deſiderabat, vt iraſceretur ſibi, quod nondum iret ad bellum.* Saltem *ira ſuper* eo eſt expediendum, vt ſit, quod πέρι, pro περίεστι, Graecis poetis, v. c. οὔ πέρι μὲν πρόφρων κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ Il. κ, 244. de Vlyſſe. *plus quam* amor ferri et inſania belli, furit ira. 463 *ſurgentur* Franc. 464 In Erſ. corrector ante oculos habuiſſe videtur *Exſuperant.* Verum *exultare* eſt τὸ ἀναβλύειν. Ap. Hom. l. c. eſt λέβης ζεῖ ἔνδον — πάντοθεν ἀμβολάδην. Quod lebes idem eſt κνίσσῃ μελδόμενος puta poetica forma dictum pro eo, quod in lebete continetur, adipe; pro κνίσσα μελδομένη. *aquai* Heinſ. retraxit, nam vulgg. *aquae vis*, quod et Cuninghamius maluit retinere. Memorabilis eſt Seruii nota: „aquai: *Hanc diaereſim Tucca et Varius fecerunt; nam Virgilius ſic reliquerat: furit intus* aquae vis, *Fumidus atque* —

462—466. Fundus comparationis in Homero Iliad. Φ, 362 ſeqq., vbi de Xantho Vulcani flammis ſubmiſſis ebulliente agitur; ὡς δὲ λέβης ζεῖ ἔνδον ἐπειγόμενος πυρὶ πολλῷ, κνίσσῃ μελδόμενος ἁπαλοτρεφέος σιάλοιο, πάντοθεν ἀμβολάδην, ὑπὸ δὲ ξύλα πάγκαν κεῖτο. ſed primum ornatu verborum ſuperat Virgilius, vt facile exſpectabas ab imitatore Marone. cf. Macrob. Sat. V, 11, tum vero etiam aliud comparatum idque elegantius, ſuaviore et doctiore metaphora, ſubſtituit, animum ira aeſtuantem. *Coſtas* ollae (ſed grauius nominauit *aenum*) dixit vt γάστρην τρίποδος Homerus Odyſſ. Θ, 437 et ex

Fumidus atque alte ſpumis exuberat amnis;
Nec iam ſe capit vnda; volat vapor ater ad auras.
Ergo iter ad regem polluta pace Latinum
Indicit primis iuuenum, et iubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hoſtem:
Se ſatis ambobus Teucrisque venire Latinisque.

amnis; *quod ſatis aſperum fuit.*" Iudicio quidem adiecto vix ſubſcribas; multo enim mollior altera haec ratio. Niſi forte Serviana aliter ſe habebant, vt ex gloſſa primi Moret. ſuſpiceris: „Aquae vis *oppoſuit Tucca*, *quia nimis aſpere ſonuit* aquae amnis, *quod Virgilius prius ibi poſuit.*" Certe illa, *aquai amnis*, ſatis dure dicta videntur; etſi ſic *riuus aquae* Ecl. VIII, 87 *Propter aquae riuum*; quod etiam Pomponius ex pleniore Seruio comparat. Sed defenditur haec lectio *aquai* noto Probi lib. I Art. Grammat. loco, vbi quatuor tantum locis priſcam illam ſecundi caſus formam a poeta agnoſci docet. Accedit Medic. Mentel. ſec. et a m. ſec. Rottend. ſec., tum pro diu. lect. tert. et Leid. pr. Item Schol. Perſii. v. Heinſ. At *aquae vis* omnes ceteri libri agnoſcunt, quorum familiam ducit Rom. cum fragm. Vatic. Inter editas Aldinae hoc idem tuentur; ſed mutatum in Iunt. et repoſitum *aquai* ad Benedicti ductum, qui et ipſe ſuſpicatur, narratiunculam apud Seruium eſſe commentitiam; nam nihil a Tucca mutatum eſſe debuiſſe e lege Auguſti. Prouocat idem ad Quinctilianum (I, 7, 18, vbi non in omnibus legitur *aquai*, ſed tantum alterum *aulai*). Vix talia ad liquidum perduci poſſunt; potuit *vis* ab vno codice abeſſe et ſuppletus eſſe verſus a docto viro ſic, vt ſcriberet, *aquai*; potuit quoque ab initio *aquai* ſcriptum eſſe, et eo neglecto a librario, *aquae* refictum in *aquae vis*. P. Scriuerii lectionem *Exſultante aeſtu latices erugit aquai* refellit Heinſius. Cui vacat, refellere poteſt et aliam Schraderi ad Muſaeum p. 233. 465 *ſpumans* Bigot. *fumis* Leid. *vapor altus* Erf. 468 *Inducit* Ven. *et* abeſt pr. Hamburg. 469 *Italia* alter Menag. *I. et d.* pr. 470 *que* in fine abeſt multis, ex more.

vtroque loco Quintus Cal. Cerdae laudatus (lib. V, 381 ſeqq. de Aiacis ira). Ornate reliqua quoque: *Fumidus amnis aquae*, vapor, *furit intus atque alte ſpumis exuberat*, ſpumat.

467—474. *polluta pace* violata iam a Latino, erepta ſibi coniuge ſperata. *venire*

Haec vbi dicta dedit, diuosque in vota vocauit:
Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formae mouet atque iuventae;
Hunc ataui reges; hunc claris dextera factis.
Dum Turnus Rutulos animis audacibus inplet,

472 *Certanti* Franc. 473 *iuuenta* aliquot Pier. et Goth. sec. 474 *clari d. facti* Medic. Pierii. 475 *Dum T. animis Rutulos* multi Heins. *animos Rutilis* Reg.; error autem *rutilus* pro *Rutulus* saepe in libb. occurrit. Illud vero miror, cum corripiantur in hac voce syllabae, Graecis scribi vocem per diphthongum ου, Ῥουτοῦλοι.

est grauius, quam esse: vt alibi monitum. 471. *diuos in vota vocauit*, inuocauit votis: cf. ad lib. V, 234 *fudisseque preces, diuosque in vota vocasset.* ἐπηύξατο. *exhortantur*, ὤρσαν, ἐπῶρσαν, Homericum.

472—474. Rutuli se acuunt ad bellum, alii pulcritudine, alii nobilitate Turni, alii virtutis fama erecti. Et sic Seruius. Male Pompon. et alii *Hunc* sc. Turnum accipiunt.

475 sqq. Principium belli inter Latinos et Troianos ceruus venatione interemtus. Reprehensum hoc iam apud Macrob. V, 17 et hinc a multis tamquam tenue et vi epica destitutum. Nolo defendere poetam. Totus hic locus de caussis belli in Troianos concitati parum placet. Malim a magnis animorum motibus, iris et odiis, eas arcessitas esse, quam a Discordiae seu Furiae artibus. Si semel poeta rerum miracula pro caussis naturalibus affert, ab allegorica certe persona frustra ea peti puto. Nec tamen cerua hic belli est caussa; sed occasio tantum et initium. Narrationem quoque haec ipsa res, concursus caesa cerua sacra factus, pro illis temporibus facit probabilem, cum semel non consilio sed animorum impetu committendi essent Latini cum Troianis et res ad manus deducenda. Tum poeta aemulatus putatur belli Iliaci

Allecto in Teucros Stygiis se concitat alis;
Arte noua; speculata locum, quo litore pulcer
Insidiis cursuque feras agitabat Iulus;
Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo
Obiicit, et noto naris contingit odore,
Vt ceruum ardentes agerent: quae prima laborum

477 *qua* Oudart. pro var. lect. Bene Holdsworthus obseruabat *arte noua* non bene iungi cum *speculata* locum; nam in hoc, quod locum speculabatur, ars Alectus spectari non potuit. Itaque interpungi vult: *se concitat alis Arte noua, sp. l.* Sed non magis *Ars noua* ad volatum referri potest. Saltem *Arte noua — rabiem obiicit*; sed cum alia interiecta essent, v. 479 *Hic* interserit. Locus autem sic distinguendus: *Dum Turnus — se c. alis. Arte noua, sp. — Iulus, Hic s. — Obiicit* etc. 478 *nefas* pro *feras* Goth. tert. 479 *Cocitica, Cocitina* aberratt. 481 *agitent* Ven. *qui* Franc. et pro var. lect. pr. Hamb. *laborum* cum melioribus Heins. post Pier. At vulgo, *malorum,* ex intpr.

initia et retentae in Aulide classis Achiuorum causas, interemta ab Agamemnone cerva Dianae sacra. Omnino inuento huic poetae strenue incubuerunt, vt pugnarum et odiorum causas ab occisis casu sacris animantibus, quae (ἀνειμένα, ἄφετα.) libere vagarentur, arcesserent. Exempla affert Cerda, sed ea sunt imitatorum Virgilii: alterum Statii, qui prima pugnae exordia a tigribus Baccho sacris duxit lib. VII Theb. 564 sqq. et Val. Fl. qui pugnae, qua Cyzicus cadit, caussam ab ira Cybeles petit propter caesum sacrum deae leonem lib. III, 15 sq. sed iudicium adhibe, vti apud illos quoque, qui magnas rerum conuersiones a paruis caussis nuper libellis suis persequuti sunt.

475—483. *animis a. implet.* Homericum. Θάρσους πλῆσεν Φρένας, vt Iliad. ρ, 573. Facit nunc Alecto, quod Eris Homerica Iliad. δ, 444 νεῖκος ὁμοίιον ἔμβαλε etc. *arte noua,* cum alia fraude, nouum dolum meditata. Supra I, 657 *At Cytherea nouas artes, noua pectore versat Consilia.* 480. *prima laborum caussa fuit.* Comparant Iliad. ε, 63. χ, 116;

Cauſſa fuit, belloque animos adcendit agreſtis.
Ceruus erat forma praeſtanti et cornibus ingens,
Tyrrhidae pueri quem matris ab vbere raptum
Nutribant, Tyrrheusque pater, cui regia parent
Armenta, et late cuſtodia credita campi.
Adſuetum imperiis ſoror omni Siluia cura

482 *animas* pr. Rottend. *incendit* pr. Menag. *concendit* Bigot. 483 *formae praeſtanti* Hugen. et pr. Rottend. *formae praeſtans* Bigot. v. Aen. I, 71. 484 *Thyrridae, Tyridae, Tiridae,* et *Thirus, Tirrus, Tirius, Tyrus, Tyrrus,* aberratt. 485 *Tyrrhusque* Heinſ. ex libris maluit: nec aliter Aldd. et hinc ductae: quas deſeruit Commeliniana, quae Palatinum codicem expreſſit, Pulmanniana et aliae. Ante Heinſium (h. e. in iis editionibus, quibus vtebatur Heinſ., puta edd. Dan. Heinſii, Pulmanni et ſimiles) legebatur *Tyrrheusque*, quod praeferas, quia altera in *Tyrrhides* a poeta producta eſt; Θυῤῥεύς, Θυῤῥείδης. Exemplum in contrarium eſſe poteſt *Belides* ſup. lib. II, 82, ſed nomen illud adhuc ſuſpectum habeo. Tum non vana eſt obſeruatio doctiſſimi Ouwens Noct. Hagan. p. 607, multorum nominum duas eſſe terminationes, vnde diuerſa patronymica ducta ſint: *Tyndaridas* habemus, cum tamen *Tyndareus* frequentetur; fuit igitur etiam aliquando *Tyndarus*. Ita etiam *Tyrrheus* et *Tyrrhus*, quod alibi occurrit. vid. in Nota. 486 *lati* Rom. ſed Pierius ſpreuerat, Heinſius autem e Medic. aliisque praetulerat. Recte vero Burm. reuocauit *late*, quippe doctius dictum; vt *late rex* I, 25 et al. *campi eſt* Goth. ſec. 487 *A. in ſiluis* Menag. pr.

eſt primum initium calamitatum, quae inſequutae ſunt.

483 ſqq. Molles et bucolicis propiores verſus ſunt, qui ſequuntur, quod monuit Spencius. Similes deliciae Cypariſſi ceruus apud Ouid. Met. X, 109 ſqq. occurrunt, ſed iuuenili carminis luxuria expolitae. Calpurnii quoque imitationem notauit Cerda Ecl. VI, 33 ſq. et Statii locum de tigribus Bacchi manſuefactis comparat (Theb. VII, 564 ſqq.). De id genus animantibus cf. viros doctos ad Lucian. pro Merc. Cond. c. 1. *Tyrrhidae pueri*, pro Tyrrhei filii. Fuit autem nomen hoc in hiſtoria Albanorum

Mollibus intexens ornabat cornua ſertis,
Pectebatque ferum, puroque in fonte lauabat.
Ille, manum patiens, menſaeque adſuetus herili,
Errabat ſiluis; rurſusque ad limina nota
Ipſe domum ſera quamuis ſe nocte ferebat.
Hunc procul errantem rabidae venantis Iuli
Conmouere canes: fluuio quum forte ſecundo
Deflueret, ripaque aeſtus viridante leuaret.
Ipſe etiam, eximiae laudis ſuccenſus amore,
Aſcanius curuo direxit ſpicula cornu:
Nec dextrae erranti deus afuit; actaque multo

488 *innectens* l. *intexens* Goth. tert. 489 *Potabatque* aliquot Pier. *Sectabatque* Sprot. *feram* pr. Hamb. Ed. Ven., male. v. Burm. cf. ſup. II, 51. 490 *manu* (ex *manū*) Sprot. Vratisl. Medic. *manuum* aliquot Pier. 491 *que* abeſt Zulich. *ad menia* Erf. 493 *rapidi* aliquot Pier; al. *rapidae*, *rabidi*, male. 495 *r. a. vndante* aliquot Pier. *lauaret* multi. 496 *exuuiae laudis* Sprot. *nimiae* Doruill. *accenſus* Gud. et Moret. qu. 497 *derexit* Gud. 498 *afuit* cum antiquioribus ſcribit Heinſ. Vulgo *abfuit;* alii *affuit.*

regum non ignobile. Tyrrhus enim erat regii armenti magiſter, apud quem Lauinia Siluium enixa eſt: v. Victor O. G. R. 16. cf. Seru. ad VI, 760 comparato Dionyſ. I, 70, vbi Πυρρήνος deprauate ſcriptum eſt, et in libro de Auguſti progenie cap. 18 *Tityrus. ſoror* ſc. puerorum, Tyrrhei filia. 490. χειροήθη et ὁμοτράπεζον fuiſſe dicit. cf. Guell. 492. *Ipſe*, Αὐτὸς pro αὐτομάτως.

491—495. Cernus poſt natationem (eleganter *defluere* pro natare) in ripa ſe ab aeſtu recreabat. Ergo iam *defluxerat*, vt bene Cerda accipit *deflueret;* et ſane canes eum reficientem ſe commouerunt, excitarunt. 498. Turbas faciunt in *erranti.* Res expedita erit, ſi cogites inuerſo ſenſu dictum: *erranti deus abfuit:* ita vt aberraret. Nunc negationem addidit: *Nec deus abfuit*, ad-

Perque vterum ſonitu perque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Succeſſitque gemens ſtabulis, queſtuque cruentus
Atque inploranti ſimilis tectum omne replebat.
Siluia prima ſoror, palmis percuſſa lacertos,
Auxilium vocat, et duros conclamat agreſtis.
Olli, peſtis enim tacitis latet aſpera ſiluis,
Inprouiſi adſunt: hic torre armatus obuſto,
Stipitis hic grauidi nodis; quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. Vocat agmina Tyrrheus,
Quadrifidam quercum cuneis vt forte coactis
Scindebat, rapta ſpirans inmane ſecuri.

500 *inter* aliquot Heinſ. 502 *replebat* Heinſ. e Medic. et a pr. m. Gud., item Sprot. et Reg. Vulgo, *repleuit*. 505 *Olli* Heinſ. cum melioribus. Alii, *Illi*. 506 *armatur* Sprot. *abuſto* et *aduſto* aberratt. apud Pier. et Burm. 507 *hi* Menag. pr. *gravidis* Goth. ſec. *eſt* multi addunt, etiam Pier. 508 *ira fuit* Pier. aliquot; *dedit* Bigot. cf. Burm. 509 *Quadrificam* Doruill. 510 *Scindebant* Medic. et Scheffer., vt ad agreſtes referatur.

fuit fortuna, *dextrae erranti*, ſic vt ea non aberraret. At Seruius ad Alecto refert; vt ſit ἡ θεός. *acta venit* plenius pro adacta eſt. 500. *nota tecta*, τὰ ἤθεα. In miſeratione ceruae, placidae ac manſuetae ferae, vſſ. 500 ſqq. notabilem artis ſagacitatem adhibuit poeta.

505. *peſtis*; recte Seru. Furia. cf. ſup. 476. 477. Latet enim illa in ſilua ad ſpeculandam nocendi rationem et viam; neque inde niſi v. 511 discedit. Mireris Cerdam ipſos *agreſtes* h. paſtores ad bellum mouendum e ſiluis concurrentes interpretari malle. *Torrem obuſtum*, quis non videat eſſe ſudem praeuſtam? cf. inf. 524, vt mox ſtipites nodoſos memorat. *cuneos coactos* pro adacto cuneo dixit.

At saeua e speculis tempus dea nacta nocendi
Ardua tecta petit stabuli; et de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuque recuruo
Tartaream intendit vocem: qua protenus omne
Contremuit nemus, et siluae intonuere profundae; 515

511 *e* aberat multis Pier. 512 Ante Heins. distinxerant vulgg. post *petit*. 514 *incendit* Rom. et aliquot Burm. 515 *Insonuit* e Grammaticis laudat Heins. *Concutitur* pr. Rottend. *insonuere*

511. *stabulum*, pastoris tugurium, vt et alibi. 513. Fuit scilicet idem, qui nunc in agris est, mos, buccina conuocandi ruricolas, repentino aliquo metu, periculo vel incursu. Idem mos in priscis ciuitatibus. Itaque Romae primis aetatibus Comitia ita conuocari solebant: *Per cornicinem centuriata* ap. Gell. XV, 27. Subnata autem Maroni Furiae buccina ex Eridis horrendo clamore Iliad. λ, 5—11. In 514 ad 518 imitatorem facile agnoscas vel ex exquisitiore ornatus studio. Expressus (nam inter multa a Cerda et aliis congesta hoc vnum tenendum) Apollonii locus, primum quidem III, 1217 Hecates canum latratu: Πείσεα δ' ἔτρεμε πάντα; et multo magis draconis sibilo IV, 127. 139 ἀμφὶ δὲ μακραὶ Ἠιόνες ποταμοῖο κελαὶ ἄσπετον ἴαχεν ἄλσος· Ἔπλυον, οἱ κλὴ πολλὸν ἐπὰς etc. Δείματι δ' ἐξέγροντο λεχωίδες, ἀμφὶ δὲ παισὶ Νηπιάχοις, οἵ τέ σφιν ὑπ' ἀγκαλίδεσσιν ἴαυον, Ῥοίζῳ παλλομένοις χεῖρας βάλον ἀσχαλόωσαι; vnde noster: *Et trepidae matres pressere ad pectora natos;* non tam ornate, sed meliore iudicio; Nam a Furia inflatam buccinam tam horrendum sonitum edidisse, probabilius est dictum, quam draconis sibilum tam longe esse auditum. Virgilii imitatorem habes Statium I Theb. 118 de anguium Tisiphones sibilo: *Audiit et medius caeli Parnassus* etc., vbi omnia multo magis portentosa videbis. 515. *profundae* cum dilectu. In intimis magnae

Audiit et Triuiae longe lacus; audiit amnis
Sulfurea Nar albus aqua fontesque Velini;
Et trepidae matres preſſere ad pectora natos.
Tum vero ad vocem celeres, qua buccina ſignum
Dira dedit, raptis concurrunt vndique telis
Indomiti agricolae; nec non et Troïa pubes

Rom. et alii Pier. et Heinſ. *ſonuere* Ed. Mediol. et Schol. Statii cum binis Goth. 516 In multis *audit* ſcribitur, et hinc inſeritur in nonnullis *et* ante *amnis*. Menag. pr. *audiit omnis*, quod placet Burmanno. 518 *At* Menag. pr. *ad vbera* Oudart., quod alibi occurrit. 519 *Quin vero* pr. Moret. a m. pr. 520 Scribitur fere *concorrunt*, ex pronuntiatione. *occurrunt* aliquot Pier. 521 *Troica* Witt.

ſluae receſſibus audiebatur vox. 516. *Triuiae lacus* eſt Lacus Aricinus cum Nemore et Templo Dianae nobiliſſimo; cf. inf. v. 761. Nunc *Lago di Nemi*, non longe ab vico *Genſano*. Paullo remotior ab his locis verſus ſeptentrionem eſt *Nar*, qui inter Sabinos et Vmbros ad Tiberim deſcendit, *ſulfureis aquis* ſatis notus, de quo iam Ennii verſus VI Annal. *Sulfureas poſuit ſpiramina Naris ad vndas*, v. Cluuer. p. 705, quarum natura *candorem* facit. In proximo *Lacus Velinus*, amne Velino inter montium iuga ſuper Reate ſtagnante: in Narem ille quoque aliquando a M. Curio, exciſo monte, emiſſus. Cic. IV ad Att. 15. Cf. Plin. III, 12 ſ. 17.

520. Ennii Ann. III verſus apud Macrob. VII, 3. *Poſtquam deſeſſi ſunt ſtantes ſpargere ſeſe Haſtis: anſatis concurrunt vndique telis.* 521. *Indomiti agricolae.* Ornans epitheton; ſimpliciter accipio duros, aſperos. Sunt enim ἄτρυτοι: quod primo loco eſt, qui atteri nequeunt aut frangi ac fatigari laboribus et aerumnis: altero ἄτρυτος etiam inuictum, hinc validum, magnum, ingentem, ſimpliciter denotat. *nec non et Troïa pubes* — Caſtrorum portis reſeratis mittunt auxilium Troiani. Vulgari oratione copiae effundunt ſe, effundun-

Aſcanio auxilium caſtris effundit apertis.
Direxere acies. Non iam certamine agreſti,
Stipitibus duris agitur ſudibusue praeuſtis;
Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late
Horreſcit ſtrictis ſeges enſibus, aeraque fulgent
Sole laceſſita, et lucem ſub nubila iactant:

522 Dubitat Burm., an legendum ſit, *campis e. a.* Cur tamen in *caſtris apertis* haereas, cum *domus aperta*, *foribus apertis*, bene dicatur? 523 *Derexere* Medic. *ſurrexere* pr. Hamb. pro var. lect. *nec iam* Parrhaſ. *in certam.* Oudart. *agreſtis* Medic. 524 *Stypitibus* paſſim ſcribitur apud Parrhaſ. cf. Burm. *ſudibusque* duo eiusdem. 525 *decertant* Bigot. a m. ſec. v. III Gē. 20. *vtraque* ſec. Moret. 526 *triſtis ſ.* Parrhaſ. *armaque* Zulich. 527 *Sole repercuſſa* pro var. lect. Moret. tert. ex intpt. *et lumen* aliquot Pier., tum *ſub lumine* pars Pier. et Heinſ. c. Erf. *ſub lumina* duo Burm. *ſub limine* duo alii; Gothani vulgatam tuentur.

tur, ἐυχέονται. Mox v. 525. 526. *ſeges*, pro, agro: isque adeo pro acie: eleganter autem *acies* ſtatim per ſegetem effertur et reliqua ad eam attemperantur; qui comparandi modus exquiſitae eſt venuſtatis. Locus ſimilis inf. videndus lib. XI, 601. 602. Primae autem lineae ſunt Il. ν, 338, vbi *horret pugna haſtis* ἔφριξεν δὲ μάχη ἐγχείῃσι μακρῇς. At ap. Apollon. III, 1355 *horret armis ager* Φρίξεν δὲ πέρι στιβαροῖς σακέεσσι — Ἄρηος τέμενος. Itaque et h. l. proprie diceres *horrere enſes* eductos et elatos ad ictum, vt horrent omnia aſpera et acuminata; tum *horret enſibus* terra, ager, acies.

526. *Sole laceſſita* venuſte pro percuſſa radiis. Debetur hoc Lucretii exemplo lib. IV, 218 *Corpora quae feriant oculos viſumque laceſſant:* vnde patet, vt ex aliis locis, vbi *viſum*, *aures laceſſere* occurrit, *laceſſere* eſſe ſimpliciter ferire, percutere; cf. inf. ad lib. X, 10. Refertur etiam paullo ante *atra* ſeges ad oculorum iudicium, ſi longum hominum ordinem in campo proſpicias.

Fluctus vti primo coepit quum albescere vento,
Paullatim sese tollit mare, et altius vndas
Erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo. 530
Hic iuuenis primam ante aciem stridente sagitta,
Natorum TyrrhI fuerat qui maximus, Almo
Sternitur; haesit enim sub gutture volnus, et vdae

528 in fine *ponto* Rom. et Medic., quorum in eadem lectione conspirantium haud leuis auctoritas est, et pro var. lect. Gud., item Macrob. V Sat. 13, vt taceam codd. e vulgo, binos Goth.; in altero quidem *puncto* est. Probat Heinsius, vt *primo ponto* sit: a littore, et respondeat Homerico ἐν αἰγιαλῷ, in loco, quem poeta ante oculos habuit Iliad. δ, 422. Sed tempestate oriente fluctus ex alto versus littus aguntur, non a littore primum moueri incipiunt, vt iam Burmannus monuit. Tum vero in Homerico loco non ἐν αἰγιαλῷ respondet Virgiliano *primo ponto*; sed Πόντῳ μὲν τὰ πρῶτα κ., et hoc quidem sensu, vt sit pro, *primum in ponto, in alto*. Versus hi sunt: Ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέϊ κῦμα θαλάσσης Ὄρνυτ' ἐπασσύτερον, Ζεφύρου ὑποκινήσαντος, Πόντῳ μὲν τὰ πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα Χέρσῳ ἐπιγνύμενον μεγάλα βρέμει. Burmannus malit: *summo — ponto*, vt *imo fundo* opponatur. Sed manifesta satis res est, *ponto* ex altero loco Ge. III, 237 huc esse translatum, vbi *in medio ponto*. Variare autem poetam verbo vno vel altero, eiusmodi versus, quos iterum ponit, ab ipso Heinsio aliquoties monitum est. Vti itaque altero loco fluctuum primos ortus in alto (*in medio ponto*), sic nunc fluctuum ortus a prima aurae impulsione, *primo vento*, memorat. 530 *vno* Franc. *imo et* Doruill. 532 *Gnatorum Tyrrhei* libri Pier. Ex iisdem et suis Heinsius *Almo* scripsit pro *Almon*; nullum enim nomen Latinum *on* litteris finiri, ait Sosipater. Quod equidem inter Grammaticorum argutias referam. *Almon* est communior forma; *Almo* rarior. Sic *Agamemno*, *Tarcho* et alia pro vulgari *Agamemnon*. 533 *Exit enim* aliquot Pier. cum Doruill.,

528. 530. Saepius ornata a poetis comparatio; primum quidem ab Homero Iliad. δ, 422 seqq. Eandem elaboratius extulerat Maro Georg. III, 237 sq.

532. 533. *vulnus* pro sagitta, *Seru.*, vt II, 529, et *inclusit*, pro vulgari, intercluſit, *iter vocis vdae*, traducto epitheto a gutture, per quod vox emittitur; proprie

Vocis iter tenuemque inclusit sanguine vitam.
Corpora multa virum circa, seniorque Galaesus,
Dum paci medium se offert; iustissimus unus
Qui fuit, Ausoniisque olim ditissimus aruis:
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, et terram centum vertebat aratris.
Atque ea per campos aequo dum Marte geruntur,

vt sit quod lib. IX, 432 *viribus ensis adactus Transabiit costas.* Sed natum hoc ex scriptura: *est. gurgite* duo Burm. 534 *que* abest Witt. 535 *Galaesus* Heins. cum melioribus etiam hic, ex Γαλαῖσος. Vulgo *Galesus.* conf. ad Ge. IV, 126 *Gelaesus* Rom. 536 *Cum p.* sec. Rottend. *pacis m.* Parrhas. *sese* Ald. Iunt. *se offert medium* Montalb. *se* plane excidit Oudart. 537 *que* abest Franc. Witt. *agris* Medic. Pierii, tresque Burm. *armis* alter Hamb. Sed *aruis* recte retinent ceteri. Esse pro *in aruis* monet Burm. Cuninghamius *agris* retraxit; docere id *greges et armenta.* Non sequar subtilitatem. 538 *et quina* sec. Moret. 539 *terras* duo Goth., male. *et centum terram* Witt. 540 *saeuo Marte* emendat Marklandus ad Stat. Silu. V, 2, 21 Obnuntiat diuinationi Burmannus, sed quid *aequo Marte* sit, parum expedit. Scilicet est, pari vtrinque belli fortuna, pugna in neutram partem inclinata; vt alias *dubio, caeco, Marte* pugnatur. *Aequus* autem pro, aequalis, satis frequens est. Paullo aliter, nec tamen multum diverse ap. Lucan. III, 585 *nauis dextrum laeuumque tuetur* Aequo

iter vdum. Quomodo Virgilius ornatu praecellat Homerum, vide in hoc: Iliad. ν, 388 ὁ δέ μιν βάλε δουρὶ Λιμνὸν (κατὰ λ.) ὑπ' ἀνθερεῶνα, διὰ πρὸ δὲ χαλκὸν ἔλασσε. —

536—539. Homerica arte Galaesi memoriam nobis commendat et miserationem facit. conf. Iliad. ε, 612. 613. 614. Quod *ditissimum* eundem et *iustissimum* exhibet, ad primae vitae mores comparatum est. Illud vero praeclare: *Dum paci medium sese offert,* vt iam Macrob. IV, 4 monuit.

540 sq. *aequo Marte,* pari vtrinque belli fortuna, pugna

Promiſſi dea facta potens, vbi ſanguine bellum
Inbuit, et primae commiſit funera pugnae,
Deſerit Heſperiam, et, coeli conuexa, per auras

Marte *latus*. De congreſſu ex loco iniquo in locum aequum deducto Curtius IV, 1 *De regno aequo, ſi vellet, Marte contenderet*. 541 *bellum. telum* pro var. lect. pr. Hamb. ex interpretatione. 542 *c. ſanguine p.* Goth. ſec. ex antecedente verſu. *munera p.* coni. Markland. ad Stat. V Silu. 1, 21, quod et ipſum bonum eſſet. 543 Memorabilis eſt Seruii nota: *Probus, Aſper, Donatus* (is tamen Donatus, quem habemus, *euolauit per auras ad Iunonem*, interpretatur), *dicunt, hoc loco* per *bis accipiendum, vt adloquatur Iunonem* per caeli conuexa *et* per auras (quod duriſſimum eſſet: etſi Burmanno non displicet). *Poteſt tamen* (et haec melior ratio) *eſſe epexegeſis* per auras *id eſt* caeli conuexa; *nec enim aliud ſunt aurae*. (Quae ſequuntur, adſuta eſſe videntur). *Dicit etiam quidam commentarius* conuecta *eſſe legendum, vt ſit* ipſa conuecta; *quod difficile in exemplaribus inuenitur*. Conſentiunt ſane omnes codd. in *conuexa*, niſi quod Medic. a m. pr. *conuerſa*, quod Cuningham. probat, cumque eo Brunckius recepit: meo ſenſu tenue et exile eſt; ſec. Moret. *connexa*, vitioſe. Cum tamen verborum iunctura paullo inſolentior ſit, Canterus ap. Heinſ. coniecit: *caeli conuexa peragrans* vel *pererrans*; ſatis ieiune. Muſonius *conuexa* pro *conuecta* dictum eſſe volebat, ſc. Alecto vecta per auras. Cerda cum Turnebo Furiam *conuexam* dici poſſe putauit, vt *amnis deuexus* IV Ge. 293 ſqq., perperam vtique. Equidem bene intelligo, ſi verba ad naturalem ordinem reuoces *(per auras, caeli conuexa)*,

in neutram partem inclinata. Comparant transitus formam Iliad. ε, 84 Ὡς οἱ μὲν etc. *promiſſi potens* ἐγκρατὴς γενομένη ὧν ὑπέσχετο. cf. ad 341. *ſanguine bellum imbuit*. Seruius, initiauit. Scilicet, proprie *Latini imbuebantur ſanguine* (vt v. 554 *ſanguis nouus imbuit arma*), inducebantur, trahebantur, prima caede facta, ad bellum. conf. inf. 547. Doctius ipſum *bellum imbuitur*, inſtituitur, ſanguine. Ex copiis, quae apud Cerdam habentur, vnum huc referas Propertii IV, 10, 5 *Imbuis exemplum primae tu, Romule, palmae*: inducis exemplum, quo imbuantur, moueantur ad ſimilem conatum alii. 543. *per auras, caeli conuexa*, iun-

Iunonem victrix adfatur voce ſuperba:
En, perfecta tibi bello discordia triſti;
Dic, in amicitiam coeant, et foedera iungant.
Quandoquidem Auſonio reſperſi ſanguine Teucros:
Hoc etiam his addam, tua ſi mihi certa voluntas,
Finitimas in bella feram rumoribus vrbis,
Adcendamque animos inſani Martis amore,
Vndique vt auxilio veniant; ſpargam arma per agros.
Tum contra Iuno: terrorum et fraudis abunde eſt.
Stant belli cauſſae; pugnatur comminus armis;

expediri quodammodo priorem verſum; illud tamen nondum concoquere poſſum: *Furiam alloqui Iunonem per auras.* Latet, puto, facilis ad indagandum lectio: *caelique euecta* per auras, et peperit vitium compendium τοῦ *que*. 545 *belli d. triſtis* aliquot Pier., quae vulgaris erat ratio. Quae ſequuntur ad meum ſenſum diſtinxi: *En — triſti; Dic — iungant. Quandoquidem A. r. ſ. Teucros, Hoc etiam his addam* ſqq. Vulgata ratio erat: *Dic — iungant: Quandoquidem Auſonio reſperſi ſanguine Teucros. Hoc etiam his addam* etc. 546 *Sic* Sprot. et pars Pierianorum. Nec displicet. Eadem diuerſitas V, 551. *vt coeant* duo Burm., vt 551. 547 *Quando equidem* Rom. 548 *tunc ſi m.* ſec. Hamb. *ſit mihi* Menag. pr. vide IV, 125. *voluptas* Erf. 550 *inſano Mart. amore* coni. Cuningham. 551 *vt a. coeant* Sprot., vt inf. 582 *vndique collecti coeant.* 552 *ac f.* ante Heinſ. legebatur. *abundeſt* Rom. *eſt* abeſt Goth. tert. 553 *pugnantur* Doruill. *quo minus* Franc.

ge, verbo motus omiſſo, v. c. euecta: Sed vid. Var. Lect. 546. conf. 316. 317. *Dic*, ironice, tamquam ἀδύνατον. 548. *hoc addam, in bella feram*, rapiam, doctius quam, ad bellum accendam. 552 ſq. Dignitatem orationi Iunonis ineſſe facile agnoſcas. *Stant belli cauſſae.* Burmannus: certae, fixae, ſunt. *Stare* omnino poetae pro eſſe, vt Gr. ἑστηκέναι, vſurpant, ne exilitate vocis

Quae fors prima dedit, sanguis nouus inbuit arma.
Talia connubia, et talis celebrent hymenaeos
Egregium Veneris genus et rex ipse Latinus.
Te super aetherias errare licentius auras
Haud Pater ille velit, summi regnator Olympi.
Cede locis. Ego, si qua super fortuna laborum est,
Ipsa regam. Talis dederat Saturnia voces.
Illa autem adtollit stridentis anguibus alas,
Cocytique petit sedem, supera ardua linquens.
Est locus Italiae medio sub montibus altis
Nobilis, et fama multis memoratus in oris,

554 *fors* multi etiam h. l. *imbuet* Parrhas. 555 *connubia* statim per Aldd. in contextum venerunt. Brunck. reuocauit *coniugia*, in quod omnes Pier. et Heins. et tres Goth. c. Ers. consentiunt, praeter Mentel. pr. *conubia*. Sed aliquoties iam vidimus trisyllabum *connubja*. Porro qu. Moret. cum pr. Hamb. omittit *et*. 558 *ipse* aliquot edd. et codd. v. sup. v. 110. 559 *si qua modo* alter Hamb. *est* deest multis Pier. et Heins. 560 *geram* Hamb. pr. 561 *extollit* Parrhas. *vnguibus* Trappius post Cuningham. emendabat, vt membranae essent alarum; parum feliciter. v. Not. 562 *petens* Franc. *super a.* duo cum Ed. Dan., natum ex *superardua* iunctim scripto. 563 *in medio* edd. et codd. nonnulli. Sed *in* exulare fecit Heinsius. 564 *forma* Ers. *memoratur* Doruill.

poeticam vim frangant. Eo referendum: *stant praelia* et similia. Vti autem hac voce possunt poetae, quia *stare* dicitur illud, quod constitutum, paratum, effectum est. Sic *stat sententia;* sic *stant caussae*, et hinc *stare* pro decretum, fixum, certum esse. 556. 557. conf. 318. 319. 559. Comparant Iliad. α, 522. 523. Reliquos belli casus ipsa moderabor: et sane inf. 572 extremam bello imponit manum.

561—571. Noua Furiae species, quod non modo alata est (vt sup. 476), verum quod serpentes alis implicitos habet. Etsi res ita accipi

Amſancti valles: denſis hunc frondibus atrum
Vrguet vtrimque latus nemoris, medioque fragoſus
Dat ſonitum ſaxis et torto vertice torrens:
Hic ſpecus horrendum, ſaeui ſpiracula Ditis,

565 *Ampſacti* Medic., vt *Ampſanctus* ap. Cic. Plin. et Claudianum ſcribitur. Romanus et Ed. Ven. *anfracti.* in plerisque eſt aberratum *anſancti*, it. *anſanti*, *anxanti*, *amſaneae*, *an valles ſancti.* Mox *frontibus* alter Mentel. 566 *vtrumque* aliquot Heinſ. cum Goth. pr. *fragoſis*, vt ad *ſaxis* referatur, aliquot Pier. Heinſ. et Burm. 567 *vortice* nonnullae edd., ſed *vertice* eſt librorum ſcriptura. 568 *Hic ſpecus horrendus* antiqui codd. apud Seru. et mſ. Giphanii, hic quidem ſequente *et*, quod in multis,

poteſt, vt angues, qui pro comis ſunt, inter volatum vento impulſi inter alas commotas ſtrideant. Locum deſcenſus eius ad inferos non dicam an primus protulerit poeta; eſt tamen ille rei admodum accommodatus. Eſt enim in Hirpinis, non longe ab Aeculano (nunc *Fricenti* in Principatu Neapol. R. vlteriore) lacus tetro colore et odore, et inter ſpiracula referri ſolitus, quae Plutonia vel Charonea *(Moſſete)* appellant; vid. Plin. II, 93. Cic. de Diu. I, 36, §. 79: hinc v. 568 *ſpiracula Ditis.* Amſancti nomen huic lacui. Plin. l. c. *Item in Hirpinis Amſancti ad Mephitis aedem locum; quem qui intravere, moriuntur.* Locus etiamnum dictus *Mufiti.* Offenderunt tamen viri docti ad verba: *Italiae medio;* vtque locus ſatis conueniret, quaeſiuere eum in alia Italiae parte. Ad ſpeluncas *Aeolias* dictas prope Interamnam, hodie *Terni*, qui locus catarractis amnis Velini nobilis eſt, transferre voluit locum Virgilianum, poſt Floridum Lect. Subſec. II, 18, *Addiſonus*, loco iam a Burmanno laudato, et hinc alii, etiam *Blainville Itiner.* T. II, S. 29. At nuper Abbas *Capmartin de Chaupy* de praedio Horatiano *(Decouverte de la Maiſon de Campagne d' Horace* T. III, p. 104 ſqq.) aquas Cutilias in Sabinis ad amnem Velinum, quarum pars bituminoſa et nitroſa eſt, in Virgiliano loco quaerebat. Ita fere illi, qui ap.

Monſtratur, ruptoque ingens Acheronte vorago
Peſtiferas aperit faucis; quis condita Erinnys, 570

etiam in edd. legebatur, ſed ſublatum ab Heinſio codd. meliorum, etiam Pierianorum, auctoritate. *ſaeuum* Goth. pr. 569 *Monſtrantur* multae edd. et codd., inprimis quae in ſup. verſu *et* retinent. At Heinſius reuocauit ex aliis *monſtratur;* vnde comtior exit oratio. *mons ſterilis* alter Hamb., miro errore. Ceterum obſerves membra ſibi non accurate ſatis reſpondentia, etſi res non exemplis caret: *Hic ſpecus — monſtratur et vorago aperit. raptoque* alter Menag. 570 *a. voces* pr. Mentel. *condit* Medic. vterque cum aliis Heinſ. et Burm. Lectio iam Seruio notata.

Pompon. Sab. Amſanctum in exitu paludis Reatinae quaerebant, decepti, vt arbitratur, eo, quod apud Varronem eſt vmbilicus Italiae ager Reatinus. Abb. *Venuti* in eodem fere tractu aliam conuallem ad Montem *Caſtello di Catino* deprehendiſſe ſibi viſus erat, ad quam poetae verba accommodabat: in diſſ. praemiſſa Tom. III Virgilii Ambrogiani: Caret tamen et hoc auctoritate idonea. Amſanctum Lucaniae eſſe Donatus aiebat, vnde Calor amnis (qui inter Aquariam et Paeſtanos agros fertur et Silaro miſcetur) praeceps fertur: „vbi antrum ingentis magnitudinis cum peſtifera exhalatione“ deceptus ille nomine fluuii Caloris, quod commune eſt alteri in Hirpinis. Scilicet plura et fuerunt (v. Seneca N. Qu. VI, 28) et adhuc ſunt eiusmodi ſpiracula *(Moffete)*. Ex his pro lubitu alius aliud arripuit. *Amſancti* tamen *vallem* ad Hirpinos ſpectare, poſt Ciceronis et Plinii diſertam fidem, non eſt quod dubitari poſſit. Faciem quidem loci nunc paullo diuerſam reperit Cluver. Ital. pag. 1201, ſiluae ſaltem deerant. Verum commemorat et has *Swinburne*, qui nuper locum adiit *(Travels in the two Sicilies* 1783 p. 128) et alia Virgilio conſentanea. Virgilianae deſcriptioni fidem adſtruebat quoque ex iis, quae ab amico ſuo Holdswortho acceperat, Spencius in *Polymeti* p. 276. *Italiae medio* non debebat vrgeri; eſt ſimpl. in Italia. *ſub montibus*, qui tamen ſitu paullo remotiores ſunt: ſed ſilua olim inde a montibus ad planitiem pro-

Inuisum numen, terras coelumque leuabat.
Nec minus interea extremam Saturnia bello
Inponit regina manum. Ruit omnis in vrbem
Pastorum ex acie numerus, caesosque reportant

571 *et t.* Ald. *terram* aliquot Pier. *caelum terrasque* Parrhas. *leuauit* aliquot Pier. et Witt. Wakefield deleta virgula post *Erinnys* iungit: *numen terras coelumque leuabat;* pro, terras numine leuabat, vt illud: *roseas laniata genas.* doctius quidem, sed durius. 573 *Impositit* Gud. a m. pr., Goth. pr. in *vrbe* ap. Prisc. an. 574 *cae-*

tendi potuit. In vallis medio, vt Maro quidem locum describit, amnis fertur cum impetu et fragore. *Hic specus horrendum:* non addit, an amnis illud fecerit. Si loci facies nunc mutata est, nemo id mirabitur in loco ignibus subterraneis exeso. Lacum et vallem sub colle ilicibus consito, qui vtrinque vallem claudit, vidit Swinburne; Cluuerius lacum media sui parte aquam magna cum vi et strepitu ebullientem et resorbentem. *latus nemoris* eleganter collis nemorosus, qui tamquam latus lacus facit. *saxis et vertice,* h. e. vorticibus aquarum, vorticoso amne, inter saxa fundi. Potuit hic olim specus esse odorem sulfureum exhalans: qui nunc lacum recepit, torrente in stagnum mutato. Copiose de hoc Amsancti lacu egit *Leonardus de Capua (Lionardo di Capoa Lezioni intorno alla Natura delle Mofete* 1714, p. 9 sq.). Verum nunc habemus descriptionem vallis et lacus a peritissimo naturae soli terraquei exploratore, *Abbate Alberto Fortis* factam, qui loca adiit et ipsam vim mephiticam expertus est; locum quoque aediculae Mephitis deae deprehendisse sibi visus est; loci faciem multum esse mutatam, si cum Virgiliana descriptione compares, haud mirabere. Inserta est illa Commentatio Actis Academiae Patauinae *(Saggi scientifici e letterarj dell' Accademia di Padova* To. II, p. 146 sq.). *numen inuisum, μισητόν. leuabat* eleganter pro, relinquebat. Res enim, quas abominamur, grauant nos.

573 sqq. Praeclare haec ad

Almonem puerum foedatique ora Galaesi;
Inplorantque deos, obtestanturque Latinum.
Turnus adest, medioque in crimine caedis et ignis
Terrorem ingeminat: Teucros in regna vocari;
Stirpem admisceri Phrygiam; se limine pelli.
Tum, quorum attonitae Baccho nemora auia matres
Insultant thiasis, neque enim leue nomen Amatae,

sumque Goth. tert., sed *caesos* Almonem et Galaesum. Pro hoc *ora Galaesi* dixit. 575 *foedataque* Sprot. et Franc. 576 abest versus a Goth. tert. 577 *et igni* ex Medic. et aliis Heins. repositum erat, cum ante lectum esset *et igne*. Burman. locum habebat suspectum, cum de igni nihil praecesserit; ad coniecturam tamen *caedis iniquae* descendere non debebat, cum ipse lectionis diuersitatem laudet: *ignis*. Atqui haec ipsa vulgata ante Heins. erat lectio; eaque haud dubie vera, modo interpunctio mutetur: *medioque in crimine* (inter criminationes Troianorum), *caedis et ignis Terrorem ingeminat*, h. *ingeminat terrorem caedis et ignis;* minatur caedem et ignem. Praeiuisse iam Donatum video, qui ita interpretatur: *et idem geminabat terrorem, quem populus fecerat, spondens omnia caedibus et incendio peritura.* Lectio haec Aldinarum, nisi quod praue interpungitur post *caedis*, Steph. Plant. Dan. Heinsii et omnium, quas inspicio, editionum, nescio in quo vulgari exemplari mutata esse debuit, in quod Heinsius casu inciderat. *igni* ex vno Romano notauit Pierius; *igni* Pompon. quoque interpretatur: *furore et seditionis impetu.* 578 *geminat* Sprot. *ingeminant* Ven. *que* post *Teucros* Heins. sustulit, codd. auctoritate. 579 *limite* Parrhas. 581 *thyrsis* Menag. pr. *insultare* de choro quidni aeque dicatur ac de equo vel de ouibus haedisque exultantibus Ge. IV, 11 *floribus insultant.*

πάθος mouendum. 577. medias inter criminationes, quas in Troianos iacit, metum iniicit fore vt caede et igni omnia misceantur. vid. Var. Lect. *se limine pelli*, pro regno, domo, regia. 580—582. Auctoritate reginae commoti filii seu propinqui feminarum, quae Bacchanarum more *thiasis*, choreis Bacchicis, *insultant nemora*, thiasos in siluis agunt (vid. sup. 395. 396), coeunt

Vndique conlecti coeunt, Martemque fatigant.
Ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata deum, peruerſo numine poſcunt;
Certatim regis circumſtant tecta Latini.
Ille, velut pelagi rupes inmota, reſiſtit:
Vt pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quae ſeſe, multis circum latrantibus vndis,
Mole tenet; ſcopuli nequidquam et ſpumea circum

583 *ſcilicet* Medic. ap. Burm., diſſentiente Fogginio. Verum etiam Pompon. Sab. „*Apronianus legit* ſcilicet.“ Goth. ſec. *Illic. cunctis* Oudart. *omnia* nonnulli ap. Pier. 584 *nomine* Medic. 585 *circum dant* Ed. Ven. *tecta tyranni* Medic. Pierii, quod defendi poſſe cenſet Burm., ſi *reges* legatur cum Menag. et Hamb. pr. 586. 587 Elegantiam in repetitione agnoſcebant Pierius et Vrſinus. Sed aliter inſtituenda erat oratio, ſi venuſtas inde petebatur. Incurrit in oculos vitium, quod his verſſ. inſidet. Aut verſum priorem, aut hunc alterum: *Vt pelagi*, eſſe ſpurios perſuaſum iam habebat Heinſ., quamquam de hoc altero id cenſere malebat. Et deerat ille pr. m. ab altero Mentel. et pr. m. a Bigot. Contra prior verſus, *Ille velut p.* a Macrobio laudatur lib. VI, 3. Equidem ita exiſtimare malim, eſſe vtrumque inter verſus nondum a poeta abſolutos et elaboratos. Cum alterum adieciſſet, priorem mox morte praeuentus mutare nequiit. *rupis* Witt. *p. moles* tres quatuorue. Niſi hoc ad ſuperiorem verſum ſpectat, nam in hoc Pier. ex nonnullis codd. notauit, *pelagi moles. magno rupes* Parrhaſ. 588 *vallantibus vndis* alter Hamb. 589 Olim interpungebant poſt *ſco-*

et Latinum bellum poſcunt. Proprie *fatigant* Latinum clamoribus ac precibus ſuper Marte ſeu bello faciendo. Hinc *fatigant*, expoſcunt, *ipſum bellum*. Solet enim poetae *fatigare* de iis actionibus dici, in quibus quis fatigatur: eſt igitur precibus flagitare; conf. inf. ad VIII, 94 et ſup. ad I, 280.

583. 584. *contra omina*, reſpectu ad apes et ardentes Lauiniae comas. ſupra v. 64 ſqq. *contra fata deum*, Fauni oraculum v. 81 ſq. *peruerſo numine*, pro aduerſo, irato, Serv. cf. Burm. Neſcio tamen, annon potius eſſe debeat, peruerſa, conturbata et infirmata deorum voluntate. 586 — 590. Imago rei

Saxa fremunt, laterique inliſa reſunditur alga. 590
Verum, vbi nulla datur caecum exſuperare poteſtas
Conſilium, et ſaeuae nutu Iunonis eunt res:
Multa deos aurasque pater teſtatus inanis,
Frangimur heu ſatis, inquit, ferimurque procella!

puli; hinc nonnulli mox omiſere copulam. v. Pier. et Heinſ. Habet vtraque lectio, quod placeat et quod displiceat. Rotundior eſt oratio in antiquiore, *quae ſeſe — Mole tenet ſcopuli; nequicquam et ſp.* Multo magis, ſi *et* eieceris, *nequicquam ſpumea circum ſaxa fremunt.* At nunc inducitur illud: *rupes* quae *tenet ſe mole ſcopuli:* adeoque *rupes ſe tenet rupe.* In interpunctione altera *ſcopuli* et *Saxa fremunt:* quod non tantopere ingratum eſt. Ge. III, 276 *Saxa per et ſcopulos.* 590 Pro *inliſa* ap. Pierium alii *aſperſa,* alii *infuſa,* Goth. ſec. *inuerſa;* mox *infunditur* alter Hamb. *retonditur* ſec. Rottend. 591 *coeptum* Parrhaſ. *ſuperare* Rottend. *expugnare* aliquot Pier. *poteſtas* eſt pro vulgari *facultas,* nec hoc pro illo reponendum. 592 *vt ſ.* Goth. pr. *euntes* Rom. 593 *teſtatur* Medic. et alii Pier. et Heinſ. cum tribus Goth., minus comte; tum *aras inanes* Hamb. alter a m. pr. et pro var. lect. prior, vt aras foederis aut hoſpitii deſignet. Blanditur haec lectio Burmanno et Marklando ad Statii Silu. praef. p. XII, qui in altera nullum eſſe ſenſum pronuntiat. Miror viros doctos de adiecto, *inanes,* non cogitaſſe; quae tandem ſunt h. l. *arae inanes?* Ex altera parte quae magis frequens et obuia ratio, quam vt precantes et obteſtantes manus ad caelum tollant, *deos caelumque teſtentur?* et pro *caelo* non feremus *auras* dictas? vt inf. IX, 24 *multa deos orans, onerauitque aethera votis.* 594 *procellas* Medic. *procellis* Montalb. et aliquot Pier.

ad ſenſum obuia et a multis frequentata, vt exempla coaceruare pigeat. Virgilius tamen Homericum locum Iliad. o, 618 — 621 ante oculos habuit et exornauit.

593. *auras,* caelum, manibus ſublatis obteſtatur. *inanes,* epitheton perpetuum aeris et aetheris, v. c. apud Lucret. Supra VI, 740 et X, 82 *ventos inanes.* 594. fato ſe vinci ait, quatenus non ſuum, ſed caecum turbae conſilium, h. temerarium impetum et furorem, ſequi co-

Ipsi has sacrilego pendetis sanguine poenas,
O miseri. Te, Turne, nefas, te triste manebit
Supplicium; votisque deos venerabere seris.
Nam mihi parta quies; omnisque in limine portus;
Funere felici spolior. Nec plura locutus

598 *que* a nonnullis Pier. abest. *in lumine* alter Hamb. et Zulich. In illis *omnisque in limine portus* impedita est oratio, vt vnusquisque facile videt. Seruii explicatio nihili est: *securitas omnis in portu est;* nec plus proficit Donatus: *Portus mihi erit limen domus meae, quod egressurus non sum.* Erat saltem *limen portus* accipiendum tamquam dictum pro *portu;* vti autem vulgari ratione *in portu esse*, nauigare, dicimur, ita h. l. *in limine portus.* Duritiem habet omissum *sum.* Sum *omnis,* totus, in limine, aditu, portus. Itaque sequor Pompon. Sab., qui haec habet: *senex sum et in portu vita mea est;* quasi esset: *et totus sum in aditu portus;* in portu nauigo. Nam vt *omnis* retrahatur ad *quies,* vt sit: *mihi parta est quies, eaque omnis iam est in l. p.,* putidum esset. Interea malim equidem totam hanc laciniam adsutam statuere, versu inexpleto relicto. Etiam Markland. ad Stat. II Silu. 2. 7, totum hemistichium suspectum habebat. Waddelii coniectura: *amnisque* sensum vix habet. Burman. coni. *mortisque in limine portus.* Saltem esse deb. *portusque in limine mortis* seu *leti,* vt Cul. 223. Cuningham. *omnique in l.,* quod non magis assequor; alius vir doctiss. *nauisque in l. p.;* saltem, *ratis estque. cursusque in l.* Sed variari haec possent multis modis, sine fructu ad poetam. 599 *Munere* pr. Moret.

gitur. *Sacrilego — sanguine,* quatenus ipsi Aborigines sacrilegi, impii, habendi sunt, qui contra deorum voluntatem bellum susciperunt foedusque ictum violant. *has poenas,* docte, *pro scelere hoc* poenas. 598. 599. Sibi rex paratum esse ait refugium in morte vicina, nec sibi eripi aliud, praeterquam, ne, vt felix vixerit, ita felix beatusque moriatur. Sententia verborum expedita est, si cogites, posse aliquem felicem viuere, mori infelicem; et multos fuisse, qui vno die citerius vita discedere debuissent: hos spoliatos dixeris morte felici. Sed de verbis ambigi potest: ego *omnis,* totus, sum *in limine,*

Saepsit se tectis; rerumque reliquit habenas. 600
Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus vrbes

600 *relinquit* Menag. vterque. quot Pier. *quem pr. vna* Thuan. voc. *mos.* 601 *in Latio Hesperio* ali- Macrob. III, 8 argutatur super

aditu, *portus;* in portu iam tantum non nauigo. vid. Var. Lect. *funus* pro ipsa morte, haud dubie; non de exequiis.

599—600. Quod Latinus regni munia prorsus deserit (cf. Not. ad VIII, 1), ne quis hoc temere factum arbitretur, tenendum est, ad Turni nomen illustrandum, ita res attemperatas esse, vt is summam imperii tenere videatur. Facile enim intelligitur, cum semel Turnus ad Aeneae virtutem illustrandam insigniore laude celebrandus esset, fieri hoc non recte potuisse, si secundas partes ageret et alterius auspiciis res gereret. Eodem spectant alia, quae a Marone sollerter prouisa sunt. Continentur Rutuli nomine Latino, et Turnus, Regis nomine ornatus, Latini tamen principatui paret: nunc autem in Latini locum succedit: quemadmodum apud Etruscos factum videmus, aut inter Achiuos, vt plurium ciuitatium reges principatum vni inter se deferrent. Ex dictis intelligitur, quomodo Maro saepe *Rutulorum* nomen pro *Latinis* ponere, alias discernere, potuerit: scilicet vt Hernicos, Aequos, Volscos. Hinc apparet quoque, cur Turni matrimonium *connubiis Latinis* designare potuerit sup. VII, 96 et idem *Laurens Turnus* VII, 650. cf. Excurs. VII extr.

601—622. Egregium et epicae maiestati consentaneum poetae commentum, dum bellum motum et illatum narraturus erat, primum morem patrium Iani referandi arcessere, tum ad deae ministerium eam rem referre, vnde augusta rei species exoritur. Quod poetam v. 601. 602 ab historica fide recessisse contendunt Interpp. post Seruium, cum Liuius lib. I, 19 a Numa demum Ianum, indicem pacis bellique factum, memoret, id vanum est. Nam si nos historiam Romanam nunc ex Liuio po-

Albanae coluere sacrum, nunc maxuma rerum
Roma colit, quum prima mouent in proelia Martem,
Siue Getis inferre manu lacrimabile bellum,

604 *Siue G. i. manus seu tendere ad Indos* laudat Schol. Cruqu. ad Horat. III Od. 24. Charisius autem lib. I Inst. Gr. p. 77 *Hyrcanisue A. parant indicere bellum. siue inferre manus.* Tum Witt. *Gothis.* Tres ap. Heins. *manum.*

tissimum haurimus; secus res se habuit illo tempore, quo multi praeclari scriptores in manibus erant, a quibus Romae origines diuersis modis traditae fuerant; e quibus vnum vel alterum delegit, idque parum curiose in antiquioribus, Liuius. Antiquissima per Latium fuit Iani religio (v. Excurs. V ad h. lib.), et a maioribus haud dubie tradita Romanis, inter cetera instituta, quae plerumque a Romulo, Numa, vel alio rege repetuntur, cum essent instituta patria, a maioribus Alba Longa in nouam coloniam apportata. Cum itaque opinio inualuisset, Numam religionum auctorem constituere: etiam Ianum pacis bellique indicem ad eum referre potuere homines, qui annales condiderant.

601—606. *Latium Hesperium*, non aliter quam Hesperia Italia. Male argutatur Seruius cum aliis, esse *antiquum* Latium. *protinus* h. l. iugiter, vt bene Seru., perpetuo ab eo inde tempore. *vrbes Albanae*, coloniae. Nam Alba XXX oppidorum Latinorum mater. cf. Dionys. III, 31. *maxima rerum*: res maxima, μέγιστόν τι πρᾶγμα. cf. ad Ge. II, 534. *cum prima mouent* (ad Romam hoc referendum propter sqq.) *in praelia Martem* noue dictum, vulgo *mouetur bellum, Mars;* nec quicquam adiicitur: tum quoque *mouentur arma* (pro quibus *Martem* dixit: nam adiecit *in praelia*). Quod indicto bello ancilia commouebantur, alienum ab h. l. est. Vs. 604—606. Splendida est oratio. Bellis enim cum extremis orbis terrarum populis gerendis imperii R. maiestas praeclare declaratur.

Hyrcanisue Arabisue parant, seu tendere ad Indos,
Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa:
Sunt geminae Belli portae (sic nomine dicunt)
Religione sacrae et saeui formidine Martis:

605 *Hircanisque* multi Pier. et Ed. Mediol. 606 *Parthisque* duo Burm. *Parthosue* Zulich. 607 *Sunt Gemini* emendatio Io. Marii Matii ap. Heins., vt Ianus Geminus designetur. *Ianus Geminus* saepe memoratur: an vsquam *Geminus* solum et absolute, merito dubites. Idem multo etiam durius e Prisciano contendit vna voce scribendum esse *Belliportae;* etsi verum est, ipsum templum per *portas Belli* fuisse declaratum; erat enim δίθυρον, et portam in postico quoque habebat; cf. Plutarch. Numa p. 73. *Belli* per maiusculam litteram exarandum est. Est enim Numen h. l. cf. Not. 608 *et* abest Franc. *form. Belli* Parrhas.

Quod *Getas* narrat, non est vrgendum; voluit tantum fines imperii ad Danubium declarare; et sic porro in seqq. Etsi fuere bella Romanorum et victoriae ea aetate, quae huc reuocari possunt; v. Vit. Virg. a. V. C. 724. 725. 729. 731. 734; nec dubitare licet, poetam in Augusti gratiam illa saltem adiecisse, *seu tendere ad Indos Auroramque sequi.* Vt tamen haec ad ipsum annum 732 retrahat Ianumque eo anno reseratum ex his vss. probet, multa gratis sumit nec tamen rem conficit Massonus in Iano reserato Sect. III, 5, vti idem vir doctus in aliis locis vim facit Virgilii verbis. *Auroram sequi* magnifice, ad extremum Orientem vsque progredi. Ferebat hoc multo magis vsus loquendi Romanorum, cum v. c. dicerent, *ad Orientem missum, profectum, esse* aliquem. *Bellum* autem *lacrimabile* est Homericum πολύδακρυς Ἄρης, πολυδάκρυτος μάχη, δακρυόεις πόλεμος.

607—610. Vides hic exemplum fabulae veteris noua interpretatione interpolatae. Iani religio ab initio haud dubie symbolica fuit ad denotandam rerum naturam variasque eius proprietates. cf. inf. Excurs. V. Traducta ea est postea ad alia, et Romae Iani templum, a Romulo

Centum aerei claudunt vectes, aeternaque ferri
Robora; nec cuſtos abſiſtit limine Ianus. 610
Has, vbi certa ſedet patribus ſententia pugnae,
Ipſe, Quirinali trabea cinctuque Gabino

609 *externaque* Parrhaſ. 611 *Haec* Medic. a m. ſec., vt referatur ad *limina*, interpolatum. 612 *cinctoque* Mentel. pr.

conditum, ex Numae, vt aiunt, inſtituto clauſum vel apertum belli pacisque habebat indicia. Hoc vero ornavit poeta remque ita expreſſit, quaſi in eo templo Bellum et Mars vincti tenerentur, cuſtode in foribus Iano. Fecerat hoc idem ſup. I, 294—296, vbi vid. Excurſ. IX. Contrario commento Horatius Ianum clauſis foribus ait cohiberi, tamquam pacis auctorem et cuſtodem II Epiſt. 1, 255 *clauſtraque cuſtodem pacis cohibentia Ianum*. Pacem includi dixere alii. cf. l. c. *Belli* autem *portae* proprio nomine dictae videntur. vid. ibid. cf. inf. 622 et ibi Not. *ferri robora*, ornate, pro ferro ſimpl. ſeu ferreis repagulis: Lucretii exemplo lib. II, 449. *nec cuſtos abſiſtit*, videri poteſt Iani ſignum in ipſo templi aditu (ἐν προνάῳ) ſtetiſſe: niſi ipſa templi forma, quae et a fronte et a tergo portam habebat, talem poetae animo ſpeciem obiecit. Verbo poeta nobis Iani templum exhibet hac ſpecie: eſſe aedem Belli et Martis gemino aditu ab antica et a poſtica parte, (ναὸν ἀμφιπρόστυλον) clauſis foribus robore et ferro munitis, poſito ad fores Iani ſigno; Quoties bellum a Senatu decretum fuerit, Conſulem fores aperire, bellum indicere, claſſicum canere.

611 — 615. *Has* portas, *ſtridentia limina*, reſerat Conſul trabeatus. Trabea *Quirinalis*, dicta, puto, quod vti Regibus, ita ipſi Romulo, trabeae fuerat vſus. Plinius VIII, 48 ſ. 74 *Trabeis vſos accipio reges:* et IX, 39 ſ. 63 *Purpurae vſum ſemper Romae fuiſſe video, ſed Romulo in trabea.* Recte itaque Maro antiquiſſimum Latii regem Picum trabea veſtiebat ſup. v. 187. 188. *cinctuque Gabino*, a Gabiis

Insignis, referat stridentia limina Consul;
Ipse vocat pugnas, sequitur tum cetera pubes,
Aereaque adsensu conspirant cornua rauco.
Hoc et tum Aeneadis indicere bella Latinus
More iubebatur, tristisque recludere portas.
Abstinuit tactu pater, auersusque refugit
Foeda ministeria, et caecis se condidit vmbris.
Tum regina deum coelo delapsa morantis
Inpulit ipsa manu portas, et cardine verso

cinctusque Menag. pr. et Goth. tert. Similis variatio Liu. V, 46 pr. *Sabino* plerique ap. Pier. et Bigot. a m. sec. 613 *stridenti limine* coni. Burm., perperam. *has, str. limina*, ex apposito dixit. Etsi praecesserat v. 610 *limine*. Deberet esse scriptum *stridenti cardine:* verum hoc est poetam in ordinem cogere, non eius lectionem restituere. 614 *cum* duo Burm. 615 *accensu* Menag. pr. *ab sensu* Franc. *accentu* coni. Heins. 617 *videbatur* duo Burm. *reducere* duo alii. *excludere* Ed. Mediol. et Goth. pr. 618 *aduersus* tres apud Burm. 619 *antris* Doruill. 620 *dilapsa* Ven. *d. per auras* pr. Hamb. pro var. lect.

translato et sacris seruato. Bene Seruius, qui in ceteris argutatur: *toga sic in tergum reiecta, vt ima eius lacinia a tergo reuocata hominem cingat, simul caput tegat et ambiat.* Obvia res in vett. monumentis, inprimisque in numis. 614. *vocat pugnas:* vt sup. v. c. III, 253 *vocantur venti*, velis expansis excipiuntur, ita nunc pugnandi potestas datur, et admittitur, indicitur bellum. Mox v. 615 classicum canitur. Nec tamen intercedo, si quis morem reconditum et formulam sollennem respici dicat, qua in referando Iano vsus sit Consul, vt in ea inuocauerit Martem et Bellum, et adstans multitudo verbis sollennibus responderit: etsi ea de re aliunde nihil nunc constat. In vss. 616 — 622 orationis copiam obserua et ornatum in singulis. cf. sup. ad v. 601. (Pictura fragmenti Cod. Vatic. ad v. 620 morem antiquum minus recte refert in templo Iani et foribus.) vs.

Belli ferratos rupit Saturnia poſtes.
Ardet inexcita Auſonia atque inmobilis ante;
Pars pedes ire parat campis; pars arduus altis
Puluerulentus equis furit; omnes arma requirunt.
Pars leuis clipeos et ſpicula lucida tergunt
Aruina pingui, ſubiguntque in cote ſecuris;
Signaque ferre iuuat, ſonitusque audire tubarum.

622 *rumpit* Medic. cum aliis. *rumpunt* duo. *ferratas portas* Parrhaſ. a m. pr. 623 Aruſianus Meſſius in ſuo libro legerat *Ardet in excitam Auſoniam.* Argutatur in hoc librarii lapſu Heinſ. Vulgatam fragm. Vatic. quoque tuetur. 624 *parant* Gud. a m. pr. et Zulich., hic quidem male; nam variandum erat poetae in numeris. *Mars* Zulich. a m. pr. et Menag. alter, ſtupore librarii, quem *pars arduus* male habebat. *artis* Medic. a m. pr. 625 *fugit* Doruill. a m. pr. 626 *tergunt* plures et probatiores Pierii: item Medic. et alii cum Probo apud Heinſ. Ceteri *tergent* cum trinis Goth. *lutea tergunt* Vratisl. *torquent* Parrhaſ. 627 *ſubiiciuntque* Rom. *que* abeſt binis Burm. 628 *iubet* Medic., forte *lubet*, addit Heinſ. *iuuant* Rom.

622. Ennianum exemplum ſeruauit Seruius ex Annal. *poſtquam Discordia tetra Belli ferratos poſteis portasque refregit;* vnde etiam intelligitur, quomodo Virgilius in Iunonis miniſterium hoc inciderit. Adumbraſſe eadem videtur Statius V Theb. 146 de Amazonibus: *vbi arma Indulget pater, et ſaevi mouet oſtia Belli.*

623. *inexcita atque immobilis ante.* Nam v. 45 *rex arua Latinus et vrbes Iam ſenior longa placidas in pace regebat. Puluerulentus;* nil frequentius hac imagine motae pugnae vel curſus concitatioris, vel induſtriae et ſtudii; κόνις. ἐγκονεῖσθαι. κονίσσαλος. *omneis arma requirunt* debitum Ennio eſſe notat Macrob. VI, 1. Sed in v. 626 ad noſtros decori ſenſus exigendus non eſt laeuor et ſplendor ex axungia et ſuillo adipe (ἀργέτι ὀημῷ apud Homerum) quaeſitus. Nec ta-

Quinque adeo magnae positis incudibus vrbes
Tela nouant, Atina potens, Tiburque superbum,
Ardea, Cruſtumerique, et turrigerae Antemnae.
Tegmina tuta cauant capitum, flectuntque ſalignas
Vmbonum cratis; alii thoracas aenos,

629 *Quin adeo* Goth. pr., manifeſto vitio. Nec videtur poeticus ſermo eam formam ferre. *impoſitis magne* Parrhaſ. 630 *Latina* fragm. Vatic. a m. pr. 631 *Ardua* Goth. ſec. *Cruſtumerumq.* Ed. Ald. pr. et Iunt., ſed emendatum ſtatim in Ald. ſec. *Cruſtumenumq.* Menag. pr. *Cruſtumiumq.* Goth. pr., quod ap. Silium legitur VIII, 367 et *Cruſtumia pira* ſup. Georg. II, 88. *et* abeſt Rom. *Antennae, Atteunae, Amtennae,* aberrat. cf. Heinſ. 632 *Tegmine* alter Menag. *ſuta* coni. Heinſ. 633 *crateis* fragm. Vatic., ſed emendatum *cratis. corracas* Franc. *aeneos* Medic., eleganter, ait Heinſ. Saltem ferri poteſt.

men per ſe tenuior aut vilior rei eſt ſpecies quam acumen ex cote.

629 ſqq. Voluntariam has vrbes militiam ſuſcepiſſe putabat Cerda, cum ceteris imperatum eſſet, vt militarent. Equidem verbis tantum ineſſe video hoc: non modo agreſtes confluxiſſe (vt 573 ſq. narratum erat), verum etiam magnas vrbes bellandi ſtudio exarſiſſe. Quinque autem numerat, vt poeta, cui omnia definite efferenda ſunt. Debuit tamen harum Latii vrbium praecipuum nomen eſſe antiquiſſimis temporibus: in finibus quidem, occidentem verſus, Cruſtumerii et Antemnarum, ad orientem autem Latii, Atinae in Volſcis. *Tibur ſuperbum* a magnificentia partim ex opibus et cultu, partim ex ſitu in edito loco. Aſtute, ne metrum repugnaret, pro *Cruſtumerio* ciues *Cruſtumeros* dixit: niſi *CruſtumerI* fuit pro Cruſtumerii: quod verum eſſe ſuſpicor. Quae ſequuntur, ad has potiſſimum vrbes ſpectant, ornate ea quidem expoſita, ſed ſatis ab aliis quoque frequentata. 632. *Alii* galeas cudunt, aut *ſalignas Vmbonum crates,* ſcuta de vimine facta, coriis

Aut leuis ocreas lento ducunt argento;
Vomeris huc, et falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor; recoquunt patrios fornacibus ensis.
Classica iamque sonant; it bello tessera signum.
Hic galeam tectis trepidus rapit; ille frementis
Ad iuga cogit equos; clipeumque auroque trilicem
Loricam induitur fidoque adcingitur ense.
Pandite nunc Helicona, deae, cantusque mouete,

634 *Pars leuis* Schol. Horat. Art. 26. *condunt a.* Goth. tert., lapsu minus felici. 636 *requoquunt, recocunt,* scribitur, vt solebant multi. *recoquent* duo Mentel. cum Goth. tert. *primos* Goth. pr. 637 *tessara* Zulich. et Goth. tert. 638 *rapidus r.* Medic. a m. pr. *capit* alter Menag. *trementes* Gud. a m. pr. et Franc. *frequentes* Erf. 640 *Loriça* Rom. 641 *monete* magna codd. pars, vt solet, etiam Seruius, et pro emendatione fragm. Vatic. bene et hoc; bene et alterum, quod iam habemus. Heinsius coniiciebat, *cantuque monete,* ne bis idem versus occurreret; nam legitur ille totidem verbis lib. X, 163. At vero quot versus in Virgilio et in Homero essent mutandi, si hoc sequi vellemus. Et sic praeferam vtique *cantusque monete* alterutro loco.

inductis. 636. *recoquunt,* instrumenta illa rustica liquefacta recudunt. Hoc apud Lucret. V, 1292. *Inde minutatim processit ferreus ensis, Versaque in obscenum speciem est falcis aenae:* quod comparat Macrob. VI, 1 extr. *it tessera,* signum bello, h. e. diditur, distribuitur. *longo fugit ordine velox Tessera* ait Statius Theb. VII, 236. *trilicem* non tam triplici filorum ordine, vt esset lorica lintea; quorsum enim *auro?* sed *aureis* lamellis, triplici ordine sibi innexis; vt alias hamis, squamis seu catenulis. v. sup. ad III Aen. 467. *fidum* ensem 640 vidimus iam VI, 524.

641 sqq. Enumerationem, quae sequitur, copiarum Latinarum ipsa rerum ratio poetae ingenio obiicere debuit; ea enim, quae sigillatim exponuntur, multo maiorem mirationem faciunt, quam si sub vno numero quamuis

Qui bello exciti reges, quae quemque secutae

642 *acciti* Medic. Colot. et Burm. Excerpta. Alterum doctius: *exciti*; et *bello*, ad bellum. *quemcunque* Gud. a m. pr. *quem quaeque* Doruill.

grandi efferantur; porro, antequam res magnae et clarae geruntur, eos cognoscere auemus, per quos eae res gestae sunt; Homerici navium catalogi exemplo eam esse adumbratam, obuium est, et ab omnibus Interpp. obseruatum. Ab eodem Homero Iliad. β, 484 petita est Musarum inuocatio; et recte, tamquam in rebus a prisca memoria repetitis. Comparationem inter Homericam et Virgilianam rationem a Macrobio inde Sat. V, c. 15 passim instituerunt viri docti, sed partium fere studio et alterutrius poetae amore abrepti. Nobis ea notasse sufficit, quae Virgilio propria sunt. Cum itaque Graecarum urbium et populorum enumeratio, tamquam in re communi Graeciae consensu suscepta gestaque, ad singulorum oppidorum laudem et gloriam auitam pertinere videretur, multa Homerus simpliciter nomine designare potuit. At Latii urbes pleraeque aut solo erant aequatae aut antiquo splendore exciderant. Necesse igitur fuit poetae commemorare paucas et commendare eas a vetere fama et antiquis fabulis, inprimis de iis, qui eas condiderant. Fabulas autem plerumque ad Graecanicae fabulae naturam accommodavit, origine quoque vrbium Italicarum a Graecis repetita. Qua de re v. Excurs. VIII ad h. libr. Cum itaque Virgilius vrbium et populorum varietate locorumque et morum diuersitate inferior esset Homero, delectationem ex fabulis priscis recte quaesiuit. Quod Troianam aciem non adiecit, ad Homericum exemplum, nemo facile miretur; quam enim varietatem et delectationem ea enumeratio promittere poterat? Etruscorum auxilia enarrare non oblitus est inf. lib. X, 163 seq. Erant enim in genere hoc rerum hominumque, quae animum tenere possent. Quod ad ordinem, quo vrbes recenset poeta, attinet, etsi vana ea de re virorum doc-

Conplerint campos acies; quibus Itala iam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis.
Et meministis enim, diuae, et memorare potestis: 645
Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.
Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris

643 *complerunt* Rom. et vett. apud Pier. et pars Burm. cum binis Goth.; et hoc magis epicum. *compulerint* alicubi legi Pierius narrat. *acies campos* Exc. Burm. *acies, quibus arserit armis* Witt., librarii fraude. v. Burm. *q. I. tantum Fl.* vulgata aliqua ante Pier. legit. 644 *adserit* Rom. 646 *At* tres ap. Burm. cum tert. Goth. *fama* Oudart. *dilabitur* Zulich. *vox* alter Goth. 647 *in id* Montalb.

torum est subtilitas, cf. Macrob. l. c., non tamen videntur obseruasse, ab occidente Latii ad orientales vsque fines eum progredi.

641—646. Quid est *pandere Heliconem?* vt aditus poetae pateat? vtque eas canentes audiat? vt fere Cerda exponit; et est vtique proprium de aditu patefaciendo τὸ *pandere;* atqui iam ante per totum carmen in Helicone, inter Musas versari debuit; et Musae iam memorare debuere causas irarum Iunonis cum ipsis odiis eorumque effectis; an vt Musae seu descendant, seu in conspectum veniant? vt in Hesiodi Theog. pr. Probabilius alterum hoc: vt rem nouam, vetustae memoriae, sibi exponant. Est certe, adeste et dicite. ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι. Ad Claudianum IV, 1 Gesnerum de Helicone tamquam scena cogitasse video: quod nolim factum. — 643. Sunt haec in laudibus Italiae, quas v. Ge. II, 167 sq., vbi illa 174 *parens magna virum. iam tum,* praeclare dixit, ad laudem sui aeui, tacita quidem comparatione. — 644. quos populos bellantes habuerit. 645. 646. ex Homer. conuersi Iliad. β, 485 seq. Sequuti sunt alii, vt Statius Theb. IV, 32 seqq. Ouid. XV Met. 622. 623. κλέος. *fama,* et doctius *famae aura.*

647—654. Quod Mezentium Agyllae Lucumonem inter socios Latinorum memo-

Contemtor diuom Mezentius, agminaque armat.
Filius huic iuxta Lauſus, quo pulcrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni. 650
Lauſus, equum domitor, debellatorque ferarum,
Ducit Agyllina nequidquam ex vrbe ſecutos
Mille viros; dignus, patriis qui laetior eſſet
Imperiis, et cui pater haud Mezentius eſſet.

648 *Mezzentius* ſcribit Medic. et Rom., quod ad legentis faſtidium defendit Pierius. *Meſentius* Witt., et *Mezencius* duo Burm. *Medentium* veteres dixiſſe, Priſcianus, *Meſſentium*, Velius Longus tradit. Totum hemiſtichium: *Mezentius agminaque armat* a Goth. altero aberat. 649 *hunc iuxta* Medic. a m. pr. *hunc Lauſus iuxta*, et *huic fuerat L.*, et *huc iuxta* alii apud Pier. *hic iuxta* Rottend. tert. a m. pr. 652 Eſt Ἀγυλλα. *Agellina* nonnulli. *Agelina* Franc. et Doruill. cum Goth. alt. *Agullina* Maronem dediſſe arbitratur Heinſius. 653 *quo* ſec. Rottend. pro var. lect. ex interpretamento. *patris* Doruill. a m. pr. 654 *ſed cui* Leid.

rat, ab antiqua fama mutuatus eſt. v. Exc. ad lib. VIII, 478. *Tyrrhenis ab oris Mezentius*, oriundus ex Etruria. Pulſus enim Caere ap. Rutulos tunc agebat. vid. inf. VIII, 492. 493. *Lauſus, quo pulcrior a.* Imitationem Homerici Nirei multi notarunt Iliad. β, 673. 674 et ſimilem locum de Euryalo Odyſſ. ϑ, 116. 117 et de Aloidis λ, 309. *corpore Turni* pro *Turno*, nota ex Graecis forma. conf. ſup. VI, 22. Idem Lauſus *equum domitor*, ἱππόδαμος, *debellatorque ferarum*: quod Homerico exemplo in laude viri fortis poſuit. vid. Iliad. ε, 49 ſeq. 652. *Agyllae* ſeu *Caere* tyrannidem tenuerat. vid. inf. VIII, 481 ſqq. *nequicquam* iungam cum *ſequutos*, qui ei in pugna cadenti fruſtra erant adfuturi. 653. *dignus patriis qui laetior eſſet Imperiis*, ornate, dignus, qui meliore patre gauderet; ad patrem autem declarandum *imperia* non minus valent, quam in filio *obſequium*. Comparant Homericum de Peripheta Euryſthei filio:

Post hos insignem palma per gramina currum,
Victoresque ostentat equos, satus Hercule pulcro

655 *insignem fama* Macrob. Sat. V, 15, non insolenti varietate. *per gr. circum* Menag. pr. *per agmina* Witt. a m. pr. 656 *ostendit* aliquot Pier. *Hercule forti* codd. ap. Pierium, ex interpretatione.

Τοῦ γένετ' ἐκ πατρὸς πολὺ χείρονος υἱὸς ἀμείνων παντοίας ἀρετάς Iliad. o, 641.

655 sqq. Auentinum tamquam vnum ex heroibus Homericis inducit cum curru, quo victoriam ludis curuli certamine obtinuerat. Eundem exhibet clipeatum vers. 657, quod ferri potest; sed cum paullo post v. 666 eundem leonis exuuiis indutum incedere narrat, in eo fateor me poetae diligentiam et iudicium desiderare; nam diuersorum vitae priscae temporum fuit, spoliis ferarum tectum esse, et de curru armatum pugnare. Quod primum *curru* vectum (v. 655) mox *peditem* incedere facit (v. 664), in hoc morem Homericorum heroum sequi potuit, qui non raro, exiguo interuallo subsequente curru, pedites incedunt. Auentinum in nonnullis signis agnoscunt recentiores veterum operum interpretes. Nobilissimum est in *Museo Capitolino* T. III, t. 26, iam a Dom. Rubeo (in *Raccolta di Statue ant.* n. XIX) exhibitum: sed id Herculis pueri esse nullus dubito. Exuuiae leonis perpetuum Herculis sunt insigne, etiam pueri ante enectum Nemeaeum leonem. Ceterum Auentinus heros Virgilii ingenio deberi videtur, Homeri exemplo, qui in similibus heroum filiis et nepotibus commemorandis felicissimus est. Herculis autem accessus ad haec loca (vid. inf. VIII, 200 sq.) facile poetae animum impellere potuit, vt in Auentinum incideret; cuius nomen Romanis lectoribus placere debuit, cum mons Auentinus vrbis Romae pars facta esset.

655. *insignem palma currum* simpl. intelligo νικηφόρον, ἀθλοφόρον, quadrigas, vel bigas, quae praemium cursus obtinuerant. Lauri vel palmae insigne currui infixum recentioris moris ne sit vereor. *Hercule pulcro Pul-*

Pulcer Auentinus; clipeoque insigne paternum
Centum angues cinctamque gerit serpentibus Hydram;
Collis Auentini silua quem Rhea sacerdos
Furtiuum partu sub luminis edidit oras,
Mixta deo mulier, postquam Laurentia victor,
Geryone exstincto, Tirynthius adtigit arua,

659 *in silua* Sprot. et Leid. vnus, et aliquot Pier. *Rhaea* Leid. *Reba* Hamb. sec. *Rhea* h. l. est ex Ῥεία vel Ῥείη, v. c. ap. Callimach. 660 *Fortiuo partu* plerique codd. ap. Pier. *furtiuo* vnus Leid. a m. pr., quod Catroeus dedit, nec vidit se deterius et vulgarius pro exquisitiore dare; nam, qui *furtiuo partu* editus est, eum elegantius *furtiuum* poeta appellat. *furtiuum ediderat partu sub l. auras* Ed. Ven. *partus* Rom. *luminis* alter Hamb. et Gud. *ad sublimis edidit auras* sunt qui legant ap. Pier. *sub luminis oras* Heinsius ex Medic. et aliis reposuit, iam Pierio e codd. probatum; in nonnullis *horas;* in ceteris et in vulgg.

cer *Auentinus*. Noli nec de Herculis nec de Auentini pulcritudine cum Cerda et aliis dubitare. Rem satis declarant signa vetera; sed cogitandum est de pulcritudine herois, qui robore corporis omnes mortales superavit. 657. 658. Tragicorum more clipeum dat Auentino insignitum hydra. *Centum angues cinctamque serpentibus hydram;* eleganter variata oratio pro vulgari: *hydram centum cinctam serpentibus*. Ceterum poetae de paruis et tenuibus parum laborantis generosam incuriam obserues in hoc, quod hydram nunc *centum*, at lib. VI, 576 *quinquaginta* capitibus horrendam exhibuit. Comparent deliciarum harum studiosi, praeter Silium II, 158. 159, Eurip. Phoeniss. 1142 sqq. Quintum Cal. VIII, 349. 350.

659—663. Bellum poetae commentum a Rheae Siluiae, quam Mars compressit, exemplo ductum: Herculem actis per Italiam Geryonis armentis cum Rhea sacerdote consueisse, vnde natus sit Auentinus heros. *mixta*, μιγεῖσα θεῷ. *Laurentia arua*,

Tyrrhenoque boues in flumine lauit Iberas.
Pila manu saeuosque gerunt in bella dolones;
Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello. 665

Aldd. et cett. ante Heinſ. *auras* legitur: quod nollem mutatum eſſe, cum altero in loco Ge. II, 47 idem ſeruatum ſit. Nec dubito *oras* nihil aliud eſſe quam antiquam ſcripturam et pronuntiationem τοῦ *auras*. cf. ad Ge. II, 47. 663 *in flumina* Gud. *Hiberos* duo Moret. *Iberos* aliquot Pier. 665 *Vt t.* Oudart. Heinſ. coni. *aut*.

vt poeta, latius dixit; nam apud Euandrum, qui tum loca circa Palatinum et Auentinum tenebat, deuerterat Hercules: qua de re v. inf. VIII, 200 ſq. v. 663 poeticum ornatum habet commode ab eo petitum, quod in armentorum cura proprium eſt, lauare gregem; pro: *et armenta ex Hiſpania adduxit.*

664 — 669. *gerunt* ſcil. Auentini comites; quos paullo durius ſubintelligi non inficior: etſi eo ducere poteſt τὸ *Ipſe* v. 666. Nec monitum, vnde ii fuerint, quos adduxit. Loca circa Auentinum montem eos inhabitare dicere poterat. Sed totus locus a poeta inchoatus, non abſolutus eſſe videtur. *Pila* bene memorat, tamquam Romanorum et Italorum telum; v. de iis Polyb. VI, 21, vbi ὑσσοὶ appellantur. *De dolone*, de quo Reineſ. Var. Lect. pag. 640 egit, vnice amplectendum eſt, quod e Varrone affert Seruius: eſſe ingentem contum cum ferro breuiſſimo. Tale genus teli illis temporibus accommodatum. Petit hinc Silius III, 250. *Mucronem teretem* ex vſu loquendi non niſi de gladio exiguo accipi poſſe puto; nec tamen τὸ *teres* ſatis convenit: *Sabellum* autem *verum* nullum aliud eſſe videtur, quam verutum, iaculi ſeu teli miſſilis genus: praefixum ei ferrum melius vtique *teres* eſſet; an poeta illud per *mucronem* declarare voluit? Samnitium quidem proprium hoc telorum genus, σαυνίον dictum, a quo adeo nomen eorum ductum eſſe volunt Saunitarum et Samnitarum ſeu Samnitum. vid. Feſtum voc. *Samnitibus* et qui ad e. l. laudantur, et Strabon. V, p. 383 B. Iam, cum Samnites Sabinae gentis propago

Ipſe pedes, tegumen torquens immane leonis,
Terribili inpexum ſaeta, cum dentibus albis
Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat

666 *tegumen* Heinſ. e Medic. (a Fogginio *tegimen* expreſſum) et tribus aliis. In reliquis, etiam Pierianis, *tegimen*. Vulgo *tegmen*: v. ſup. ad III, 594. Eadem varietas in Liuio et aliis obſeruata. 667 *implexum* aliquot Pieriani, et duo Burm. *impecum* Doruill. *implexu* Rom. 668 *tunc r. t. tenebat* Sprot. *ſubibant* Rom. Ceterum, quomodo Interpretes haec acceperint, ex vulgari quidem interpunctione non aſſequor; *Terribili impexum ſaeta, cum dentibus albis Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat Horridus,* — Omnino poſt *tegumen torquens* durum eſt *Indutus capiti*. Ergo *idem tegumen torquet* et id, h. e. eo, *indutus eſt capiti?* Mox idem *humero innexus amictu* eſt. Mollius eſſet, ſi ſcriptum foret *indutum* ſc. *tegumen capiti*, niſi *indutus* ſubſtantiue poſitum, vt ſit indumentum capitis: vt inf. 688. 689 *ſuluosque lupi de pelle galeros Tegmen habent capiti*; ſic nunc *indutus capiti*. Interpungam ſaltem plene aut in fine verſus 667: *albis. Indutus capiti ſic, regia tecta ſubibat Horridus Herculeoque humeros innexus amictu*; aut, quod facere praeſtat, poſt *Indutus capiti*: *Sic regia tecta ſubibat*. Licet quoque ſuſpicari, vitium in *torquens* latere; nam, ſi eo ſublato ſubſtituatur epitheton leonis, v. c. *Ipſe pedes tegumen Nemeaei*, vel *Gaetuli*, *immane leonis*: omnia bene ſe habent, vt ſit: *Ipſe pedes tegumen — indutus*. Fuit vir doctus qui coniiceret: *tegumen tollens*, vt inf. VIII, 141. Probabile mihi videtur locum vltimam poetae manum expectaſſe, et, quae varie ab eo tentata fuerant, ex eius codice a Tucca eſſe

ſint, etiam Sabinis idem haſtae genus ſollenne eſſe, aut ſaltem tribui potuit, vnde *veru Sabellum*. Niſi omnino commune fuit populorum Latii et reliquae Italiae. Sic Georg. II, 168 *Volſcos verutos* vidimus. 666. *tegumen leonis*, cui nunc *ſaeta* tribuitur, vt infr. 790 boui, ſunt exuuiae: has *torquet*, retorquet, in cinctum corporis; infr. VIII, 460 *Demiſſa ab laeua pantherae terga retorquens*. Easdem exuuias ita accommodat capiti, vt rictus pellis pro galea ſit, vt inf. XI, 680. 681 *caput ingens oris hiatus Et malae texere lupi cum dentibus albis*. conf. mox v. 688. 689. Dentium nitorem, vt in apro, ſic in leone non memini vsquam praedicatum: itaque

Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.
Tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque acerque Coras, Argiua iuuentus;
Et primam ante aciem denſa inter tela feruntur:

appoſita: ita vt aut ſeruandi eſſent vſſ. 666. 667 expunctis 668. 669, aut hi, expunctis illis prioribus. Poſſis quoque locum interpolatum dicere: eiice verſum importunum 668 *Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat*, quae a ſenſu et loco aliena ſunt, et iuncturam verborum enecant: praeclare tum procedunt reliqua hunc in modum: *Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello: Ipſe* (pugnat) *tegumen torquens immane leonis Terribili inpexum ſeta cum dentibus albis, Horridus Herculeoque humeros innexus amictu.* Attamen ad ſenſum meum vel ſic vltimus verſus *Horridus* — otioſus eſt. 669 *Herculeos q.* Goth. tert. *innixus* Rom. et duo Burm. *indutus* Bigot. 670 *T. limina* Parrhaſ. et cod. apud Pier. 671 *Tyburni* Rom., quod Cerda praefert. Sane apud Horat. I, 7, 13 *Tiburni lucus*, etſi et ibi variant codices. v. Torrent. et Lambin. cf. inf. lib. XI, 519. *Tiburni* expreſſum dedit Brunck., idque et ipſe malim. Vitium naſci potuit e verſu antec. habet tamen et altera forma *Tiburti* ſuas auctoritates: v. Exc. VIII. 672 *Chatillus, Catthillus, Cathillus, Cathilis, Cathilus, Catullus*, aberrationes. *Choras* Goth. ſec. *Corax* Moret. tert. cum tribus aliis Burm., vtroque Goth.; et ſic Schol. Horatii Cruquianus ad I Od. 7, et I Od. 18. 673 *inter bella* Goth.

albus tantum ornans eſſe videtur epitheton. In ceteris ſcabra eſt oratio. vid. Var. Lect. Saltem iung. *Ipſe pedes* ſc. pugnat, *torquens tegumen — indutus* (illud l. illo) *capiti:* (indutum caput habens eo) *Sic regia tecta ſubibat Horridus —*

670—677. In condenda vrbe Tibure tres fratres conſociaſſe operas ſuas narrantur, Amphiarai, qui ad Thebas ab terra hauſtus interiit, Argiui filii. Quod ii iſto adhuc tempore inter viuos habentur, non vrgendum eſt, nec temporum ratio ſubtilius exigenda. vid. Excurſ. VIII. *gentem*, vt poeta, narrat, cum *vrbem* dicere deberet; quod paſſim obuium: v. 673

Ceu, duo nubigenae quum vertice montis ab alto
Deſcendunt Centauri, Homolen Othrymque nivalem
Linquentes curſu rapido; dat euntibus ingens
Silua locum, et magno cedunt virgulta fragore.

675 *Omolen, Ematon, Amolon, Tymolem,* aberratt. librariorum. Nam Ὁμόλη ſatis nota ex Pauſan. IX, 8. Steph. Byz. h. v. Mons idem Centaurorum clade notatus ap. Eurip. Herc. fur. 371. Panis ſedes ap. Theocr. VII, 103. Vrbem ſimili nomine Homolen vel Homolium, laudat Strabo lib. IX, p. 675 B. et Ptolemaeus, notante Iulio Sabino, qui docet alios legere *Oloen* pro *Pholoen.* Sed is Arcadiae mons eſt. Mox in Ὄθρυς alii errores: *Otyrumque, Othirumque, Tyrrimque, Nothumque.* At Medic. *Othrumque,* et vulgg. ante Heinſium *Othrynque.* Tandem *niuantem* Vratislau. 676 *rabido* Exc. Burm. Ge. Fabricius interpungebat: *Linquentes: curſu rapido dat e.* 677 Ex Miſcell. Obſſ. Vol. I, 17 notatur ad h. l. reprehenſio poetae, qui poſt *ſiluam virgulta,* poſt maius minus commemorando, verſus vim infregerit. Reſpondet ibi vir doctus alius, ſed parum commode; nec magis commode Schrader. ad Muſaeum p. 164 a generaliori poetam ad ſpecialius transire. Dicendum erat, *virgulta* poetico ſermone iungi cum *ſiluis* et eodem loco haberi, nec inferius illo eſſe. Simili modo *arbuſta* pro arboribus, nulla cum extenuatione. Vide lib. VI, 704 XII, 522. Et *virgulta* aliquoties in libro Georg. tertio pro *ſiluis* dixit: Lucretii exemplo, quem v. lib. V, 933. 934. 1365. Porro *cedant* Gud., vnde Heinſ. coni. *ſe dant.*

προμάχονται heroum Homericorum exemplo procurrentes ante aciem. Tenendum eſt ex Iliadis lectione. Comparatio v. 674 ſplendida eſt: eadem imitatione expreſſa a Statio IV Theb. 139—141. IX, 220—222. *nubigenas* Centauros cum priſca loquendi ratio appellaſſet, quod altiſſimos Theſſaliae montes, ex quibus Othrys et Homole ſunt, (v. de hoc V. L.) inhabitabat gens fera et ſilueſtris, fabula eam locis intra nubes editis habitantem a nube repetiit, quam Ixion pro Iunone erat amplexus. 677. *cedunt virgulta* ſc. perrumpentibus; vt de apro Calydonio Ouid. VIII Met. 340 *Sternitur impulſu nemus et propulſa fragorem Dat ſilua.* [Homericum ἀπροτάτη

Nec Praeneſtinae fundator defuit vrbis,
Volcano genitum pecora inter agreſtia regem
Inuentumque focis omnis quem credidit aetas,
Caeculus. Hunc legio late comitatur agreſtis:
Quique altum Praeneſte viri, quique arua Gabinae
Iunonis, gelidumque Anienem, et roſcida riuis
Hernica ſaxa colunt; quos, dues Anagnia, paſcis,

678 *Non* duo Burm. *deficit* Rom. Verſus 679. 680 ſuſpecti erant Iac. Bryant; nec iniuria; eſt enim paullo abruptior oratio verſuum horum interpoſitu, et languent illa *omnis quem credidit aetas.* 681 *late legio* Medic. et Parrhaſ. *comitantur* tert. Mentel. a m. pr. 682 *Preneſte* paſſim in libris. Sed Gr. eſt ἡ Πραίνηστος. v. Heinſ. 683 *roſida* duo recentes ap. Burm. cum vno Goth. Sic paſſim ſcribitur. 684 *Hernea* Exc. Burm. *Aragnia* Goth. alter. *Anagria* Ven. *paſcis* praetulit Heinſ. ex nonnullis Pierianis. Vulg. *paſcit.* Ita variari videri poteſt oratio; et praetulit Wakefield. Apud Seruium liber: *miſit.*

δὲ ποδῶν ὑπ' ἐσείετο ὕλη (Il. ξ, 285), quod poſt alios Cerda laudat, diuerſam rei ſpeciem habet.] Tum *virgulta* pro ſiluis, vt alibi, v. c. Ge. II, 308, Lucretii exemplo. conf. Var. Lect.

678 ſqq. De Praeneſte fabula domeſtica veterum Latinorum affertur, de conditore vrbis Caeculo, cum infans eſſet, in foco reperto, et pro Vulcani filio habito. cf. Seru. et Solin. cap. 2 ad eumque Salmaſ. p. 46. *genitum inter pecora* iungere fas eſt, non, *regem inter pecora.* 682. *altum* a ſitu, vid. Strabo V, pag. 365 A. 682. 683. *Gabinae Iunonis.* Pelasgorum religio in Latium illata, vnde *Iuno Lanuuina* et hic *Gabina.* Repetiit eam hinc Silius lib. XII, 537 *Iunonis tecta Gabinae.* Alias non niſi in binis marmoribus ea occurrit apud Vulpium in Latio profano T. IX, p. 274. 684. qui *Hernica ſaxa colunt.* Si verum eſt, quod a Feſto et Seruio traditur, *Sabinorum,* ſeu (quod Feſtus habet, quodque eodem redit: nam Sabina ſtirpe oriundi fuere Marſi) Marſorum lingua, *herna, ſaxa* vocata

Quos, Amaſene pater. Non illis omnibus arma,
Nec clipei currusue ſonant: pars maxuma glandes
Liuentis plumbi ſpargit; pars ſpicula geſtat
Bina manu; fuluosque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti; veſtigia nuda ſiniſtri

686 *currusque* codd. Pier. et ſec. Rottend. 687 *viuentis p.* pr. Moret. *liuentes* tert. Mentel. *linquentes* Leid., ſed *liuens plumbum* bene de colore plumbi natiuo nigricante. *ſpargunt* et *geſtant* Ven. a m. pr.; alterum in binis aliis. *geſſit* ſec. Rottend. 688 *fuluoque* Ven. 689 *habent* Heinſ. ex ſuis et Pier. Vulgo, *habet*. *Tegmina habent* Gud. a m. pr. *capitis* Medic. a m. pr.

fuiſſe: docte poeta *Hernica ſaxa* dixit; erat autem Hernicorum ager ſaxoſus circa *Anagniam*, quam *diuitem* cur dixerit, ex Silii imitatione intelligitur, XII, 532. 533 *ſurgit ſuſpenſa tumenti Dorſo frugiferis Cerealis Anagnia glebis.* conf. idem VIII, 392. 393; ergo fertilis eſt. Iam *roſcida riuis* quod ait, riui eſſe poſſunt nulli praeterquam Trerus et Coſa, Cluuerio quoque monente. *Amaſenus* ſupra Setiam in Volſcis ortus Priuernum praetergreſſus per Volſcum agrum in mare apud Circeios exit. cf. in Excurſ. VIII. 686. *ſonant* eleganter pro, *ſunt*. 688. ſeu vt lupi exuuiae caput tegant, cf. v. 666, ſeu vt galea e lupina pelle facta ſit. 689. laeuum pedem nudum, dextrum perone, h. corio crudo, καρβατίνῃ, tectum. Alibi laeuum pedem ſeu ocreatum ſeu alio modo tectum et munitum legimus, v. c. Liu. IX, 40, quod ipſe ſtatus pugnantis poſtulare videtur, quandoquidem pedi laeuo inſiſtit eumque anteriore in veſtigio ponit is, qui aut funda glandem, aut qui iaculum emittit, aut arcu ſagittam. Probabile adeo ſit eos ſcuto vſos, quo laeuum crus tectum eſſet. cf. Exc. VIII. *veſtigia inſtituere*, ſtatuere, ponere, pedem, de gradu militum pugnantium. Lucretium praeeuntem habuit lib. IV, 474 *qui capite ipſe ſuo inſtituit veſtigia retro:* h. qui capiti ſuo inſiſtit, contra quam debebat pedibus inſiſtere. Ita intel-

Inſtituere pedis; crudus tegit altera pero.
At Meſſapus, equum domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam nec ſternere ferro,
Iam pridem reſides populos, deſuetaque bello
Agmina, in arma vocat ſubito, ferrumque retractat.
Hi Feſcenninas acies Aequosque Faliſcos,

690 *crurum* Schol. Iuuenalis ap. Heinſ. *cero* Rom. 691 *Meſſapus, Meſſapus;* etiam apud Graecos ſcribitur, at vitioſe, *Meſſaphus, Meſſaphus* in mſſ. h. l. 692 *nec ſiſtere* aliquot Pier. 693 *reſides animos* Bigot., forte ex lib. I, 721. 722 *et viuo tentat praeuertere amore Iampridem* reſides animos *deſuetaque corda*, at VI, 814 *reſidesque mouebit Tullus in arma viros;* porro *bella* Medic. 694 *retractant* Leid. *retorquent* Oudart. a m. pr. 695 *Feſcellinas, Phoeſienas*, et *equi currusque Faliſcos* miſere deprauatum in nonnullis. Vitioſam ſcripturam *aequos* deſerui. v. Not. *Aequosque Faliſcosque* qui cum Cuninghamio emendant, inter quos etiam lenſius de Fetial. 3, non vident Aequos inter Etruriae populos memorari non poſſe. In Goth. tert. hemiſtichia extrema v. 695 et 696 erant permutata.

ligo locum. Idem Lucret. I, 407 *Cum ſemel inſtiterunt veſtigia certa viai.*

691 ſqq. *Meſſapi* obſcura eſt fabula, ſaltem in his Etruriae ad Tiberim locis; nam Meſſapum, conditorem et regem Meſſapiorum in extrema Italia, quae Meſſapia et Iapygia eſt, huc vocare non licet. Noſtrum hunc in Etruriae locis ad orientem videmus in h. l. fuiſſe bellatorem inuulnerabilem. conf. Excurſ. VIII. *equum domitor*, vt v. 651 *Laufus*. 692. inuictus, igni et ferro. *fas*, δυνατὸν, vt interdum apud poetas. 695. Quae ſequuntur vrbes, in Etruriae parte ad Tiberim vergente quaerendae ſunt: *Faliſci*, ſeu *Falerii*, nec longe ab his *Feſcennia* cum *Flauinio*, ſ. *Flauina*, dudum e medio ſublata. *Mons Soracte* (cf. inf. XI, 785 ſqq.), *Lacus Ciminius* cum Monte et Saltu Ciminio e Liu. IX, 367 noto, nunc *Lago di Vico (nam*, inquit Pompon. Sab. illic *oppidulum nuper dirutum appellabatur vicus Cimini)*, et *Lago di Ronciglione;*

Hi Soractis habent arces Flauiniaque arua,
Et Cimini cum monte lacum lucosque Capenos.
Ibant aequati numero, regemque canebant:

696 *Flaminiaque* pars codd. Heinſ.. *arma* Franc. 697 *Cymini* vulgg. *Calenos* Rom.

tandemque *Capena*, Faliſcis contermina, cum *luco Feroniae* in agro Capenate ſito. vid. Liu. XXVI, 11. I, 30. Dionyſ. III, 32. Silius XIII, 84 ſqq., qui idem locum noſtrum expreſſit lib. VIII, 491 ſqq. Quod autem *Aequos Faliſcos* appellat, ad antiquum Faliſcorum nomen ſpectat, *Aequum Faliſcum*; ab Aequis enim vel Aequiculis et Aequanis traxerant illi neſcio quid; v. Cluuer. Ital. ant. pag. 538 ex Strab. V, pag. 346 A; *Aequos Faliſcos* etiam Silius dixit lib. VIII, 490. Quod ab iis *populus Romanus, miſſis decem viris, iura fetialia et nonnulla ſupplementa XII tabularum accepiſſe* narratur a Seruio, aut omnino commentitium aut male interpolatum eſt; maiore adhuc corruptela in Pomponio; ab Aequiculis iura fetialia petita eſſe e Liu. I, 32 conſtat; idemque Seruius ad lib. X, 14 tradit; etſi iam antiquitus inter alios Italiae populos illa viguere, vt inter Albanos Liu. I, 24, inter Samnites Liu. VIII, 39.

698. *aequati numero* aequalibus numeris h. ordinibus. Nimis argutum eſt, quia ſequitur: *regemque canebant*, id ſic accipere, vt ſit: *ibant numero*, h. ad numerum, ſ. numero, numeroſo inceſſu ad rhythmum facto. Firmari poteſt haec altera interpretatio Silii imitatione lib. III, 345 ſeq. *miſit diues Callaecia pubem, Barbara nunc patriis vlulantem carmina linguis, Nunc pedis alterno percuſſa verbere terra Ad numerum reſonas gaudentem plaudere cetras.* Vix tamen aut collocatio verborum, aut interiectum *aequati* alteram hanc interpretationem admittit: praeſtat prior. Cantantes inter inceſſum ſimili exemplo Sabinos expreſſit idem Silius lib. VIII, 420 *Ibant et laeti pars Sancum voce canebant*

Ceu quondam niuei liquida inter nubila cycni,
Quum ſeſe e paſtu referunt, et longa canoros
Dant per colla modos; ſonat amnis, et Aſia longe
Pulſa palus.

699 *inter flumina* Gud. cum altero in marg. *inter aera* Parrhaſ. 700 *a paſtu* aliquot codd. apud Macrob. V Sat. 8, ſed *e p.* Ge. I, 381. IV, 186. 434. 701 *longae* Gud. *longa* Ven.

Auctorem gentis (magis hoc conſentaneum, quam h. loc. Virgil. *regem*) *pars laudes ore ferebant, Sabe, tuas.* Notabile adeo fuit, hos certis ordinibus incedere et inter inceſſum cantus habere.

699. Comparationem ex Homero Iliad. β, 459 ſqq. et Apollonio lib. IV, 1300 ſqq. adumbratam eſſe, in oculos incurrit. Noſtrum multi imitati ſunt: conf. Cerda. Virgilio propria vis in illis: *cum ſeſe e paſtu referunt* et dant modos *per longa colla. Aſia palus*, campus paluſtris ad Cayſtrum. conf. Georg. I, 383 ſeqq. *pulſa* ſcil. modis, ſono; non, remis, vt alii accipiunt. Burmannus ait: a cygnis natantibus vel plaudentibus aquas alis ſuis. Etiam hoc longius petitum.

703—705. Vt agmen incedebat cum cantu et tripudio, nemo putaret illud ad pugnam faciendam incedere. Et color orationis et ex parte comparatio ſumta eſt ab Apollonio IV, 238. Colchi connolant ad naues, οὐδέ κε Φαίης Τόσσον νηίτην στόλον ἔμμεναι, ἀλλ' οἰωνῶν Ἰλαδὸν ἄσπετον ἔθνος ἐπιβρομέειν πελάγεσσιν. *miſcentur acies*, dum congrediuntur, pugnant: ſollenni vocabulo. 704. 705. Vix et hoc commode ſatis ad cygnos referri poteſt: malim de auibus, v. c. gruibus, accipere agmine auſtrinas plagas vltra mare petentibus. Sup. VI, 310 *ad terram gurgite ab alto Quam multae glomerantur aues, vbi frigidus amnis Trans pontum fugat et terris immittit apricis.* Ineſt alia difficultas in comparationis ratione et vi: num comparatio ad *ordines incedentium aequatos* ſpectet, an ad *modos canoros* et carmina. *Scilicet vt incedebat agmen cum cantu, e longinquo ali-*

Nec quisquam aeratas acies ex agmine tanto
Miſceri putet: aeriam ſed gurgite ab alto
Vrgueri volucrum raucarum ad litora nubem.
Ecce, Sabinorum priſco de ſanguine, magnum
Agmen agens Clauſus, magnique ipſe agminis inſtar,

703 *Nec q.* Reg. *exactas* Ven. *examine* alter Hamb., et Leid. *ex nomine Lani:* Mira Lectionis varietas a nemine notata in Pompon. Sab. occurrit; ſubiunctis his: *Lanum quidam putant fuiſſe patrem Meſſapi. Ex nomine Lani Miſc. aer. ac. Lanus fuit dux Laeſtrygonum, vt in commentario in Homerum.* De Lamo Grammaticum cogitaſſe manifeſtum eſt. v. Od. κ, 81. Ceterum *τὸ tanto* non ſatis placet; etſi in Apollonio eſt τόσσον στόλον. Quorſum enim magnitudo agminis commemoratur? Vir doctus coni. *agmine tali*, vt ſyllaba vltima ex fine verſus ſequentis adhaeſerit priori. Sed *tanto* pro *talis* ſup. 448 *tantaque ſe facies aperit.* Deficit nos, cenſeo, vera lectio. 704 *putat* Medic. a m. pr. Doruill. *aetheream* Menag. pr. 706 *Sabinarum* Gud. a m. pr. *p. de nomine* Goth. tert. 707 *Cluſus* Montalb. *ipſi* Gud. a m. pr.

quis volucrum cum clangore volantium gregem, non viros militares accedere putaſſet. Videat pro ſe quisque, an talem comparationem probandam iudicet; poeta tamen vix aliam ſequi potuit, ſi grammaticam rationem et ſententiarum ordinem expendas. Haeſit in hoc veſtigio iam Trappius et Ioſ. Wartonus. Omnino tamen illa: *Nec quisquam putet — ſed —* pro variatione formulae comparandi habenda memineris, nihilque aliud voluiſſe poetam declarare, quam: *et erat agmen ſimile agmini volucrum.*

706—709. Commode gentis Claudiae originem ab Atta, vel Atto ſeu Attio, Clauſo arripuit, etſi vulgo auctor ſtirpis habebatur ille Clauſus, qui quinto a regibus eiectis anno cum clientibus Romam Regillo in Sabinis venerat. conf. Pompon. ad h. l. Notares ex Liuio lib. II, 16. Sueton. Tib. c. 1. *priſco de ſanguine Sabinorum* iungunt fere poſt Seruium alii omnes: nec male, cum Sabinorum ſtirpem vetuſtiſſimam eſſe conſtet. Suauior tamen videtur mihi iunctura: *Clauſus, priſco de ſanguine, agens agmen magnum*

Claudia nunc a quo diffunditur et tribus et gens
Per Latium, poſtquam in partem data Roma Sabinis.
Vna ingens Amiterna cohors, priſcique Quirites,
Ereti manus omnis, oliuiferaeque Mutuſcae;
Qui Nomentum vrbem, qui Roſea rura Velini,
Qui Tetricae horrentis rupes, montemque Seuerum,
Caſperiamque colunt, Forulosque, et flumen Himellae;

708 *e quo* Medic. a m. pr. *tribus ingens* alter Hamb. et Goth. pr. 709 *in* abeſt tribus Burm. *poſtquam pars eſt d.* aliquot Pier. 710 *Aminerna* pr. Rottend. a m. ſec. *ipſaque Quir.* Parrhaſ. 711 *Heriti* apud Pier. *Erecti, Etreti, Eriti, Eruti, et erti, Creti,* aberrationes; et mox *Mituſcae, Mutiſcae, Muteſcae, Mitiſcae.* In marmoribus eſt *Trebula Mutueſca.* 712 *roſcida* aliquot Pier. et alii ap. Heinſ., vnde factum *roſida,* perperam. v. Excurſ. VIII. conf. Heinſ. et Burm. 713 *Tetrici* Ven., ſed *Tetricam* montem Varro aliique agnoſcunt. cf. Heinſ. idem *horrentis* reuocauit e codd. vulgo: *horrentes.* tum, *amnemque Seuerum* Gud., perperam. 714 *Caſperulam* aliquot veteres: etiam Pompon. emendatum a Pierio. Eadem deprauatio apud Silium VIII, 416 obſeruata. v. Heinſ. *Caſperiam, Caſpiam* ex compendio ſcripturae, et *Caffeam* (Goth. ſec.) corruptelae ſunt: vt et *Ferulos, Florulos, Ferolos,* item *Himillae, Hymellae, Hymillae.*

Sabinorum, magnique etc. Virgilii locum expreſſit Silius VIII, 414—425.

710—717. Situs locorum, qui nunc commemorantur, docet, agri Sabini fines a poeta paullo latius conſtitui, quam apud Strabonem et Plinium produntur. Scilicet poeta antiquiora tempora reſpicit. cf. Excurſ. VIII. *priſci Quirites* h. Curites, Curenſes, ex Curibus Sabinis. *Mutuſca* eſt Trebula Mutuſca. *Nomentum* ſup. lib. VI, 773 inter colonias Latinas nominatum; eſt ab eo via Nomentana dicta. *Roſea,* ſeu *Campi Roſeae,* in agro Reatino, ad lacum Velinum, ſumma

Qui Thybrim Fabarimque bibunt, quos frigida miſit
Nurſia, et Hortinae claſſes, populique Latini;
Quosque ſecans infauſtum interluit Allia nomen:
Quam multi Libyco voluuntur marmore fluctus,
Saeuus vbi Orion hibernis conditur vndis,
Vel quum ſole nouo denſae torrentur ariſtae,
Aut Hermi campo, aut Lyciae flauentibus aruis.

715 *Tybrim* et *Tiberim*, tum *Faburum*, *Faberim*, *Sabarim*, *Fabarym*, *Fabrim*, multi. *Fauaris* in cod. Pomponii Sabini. 716 *Noſia* Medic. a m. pr. *Nyrſia* duo Heinſ., porro *Ortinae* et *Vrtinae*. Catroeus malit *Hortanae*, perperam. 717 *Quosque ſequens* Witt. *intralluit* Doruill. *interfluit* Menag. pr. *interueniit* excitat Aſcon. Pedian. Diuinat. in Verr., quod Heinſio placebat. *Halia* Parrhaſ. *Alia* Rom. 718 *in L.* Menag. pr. *v. littore* plerique Pier. et ſex Heinſ., ſed *marmore* doctius, et ſic Medic. Rom. 719 *cond. annis* Sprot. 720 *vel quam* haud dubie legendum eſſe, pronuntiabam in prima editione, vt ſit *quam denſae* pro *quam multae*. Atque ita emendarunt iam Faber et alii, et receptum nondum eſſe mirabar. Exhibitum idem in edit. Pinciana 1495. Retinet tamen nunc me, primo, quod ingrata eſt oratio, *vel quam ſole nouo denſae;* tum, quod in Menag. fuit *vel quot*, aliquanto lenius. Nihil autem tuto reponi poſſe arbitror, quoties aliqua lectio pluribus modis mutari poteſt. In Goth. ſec. erat *Vt cum*. In Mediceo vulgaris eſt lectio, contra quam Burmannus tradit. 721 *in campo* Goth. tert. Mirabar neminem in *Libyae* incidiſſe: quod video nunc contigiſſe Io. Schradero in ſchedis.

fertilitate celebres. *Hortinae claſſes* ſimpl. pro copiis, a claſſibus, quae populi partes ſunt: contra quam Fontanin. de Antiqq. Hortae lib. I, c. 1, p. 8 ſtatuebat. *populi Latini*, oppida Latinorum in agro Sabino vel Sabinis accenſo. conf. Excurſ. laud. 718. 719. Mare tempeſtatibus vexatum ſub Orionis occaſum, qui ſit ineunte hieme. cf. Petau. ad auctarium Op. de Doctr. temp. p. 90. Eſt ſcilicet occaſus Orionis matutinus apparens circa Decembris initia. 720. 721. *ſole nouo*, prima aeſtatis parte, bene Seru. explicat. Scilicet *Sol* nunc eſt pro aeſtiuo

Scuta ſonant pulſuque pedum conterrita tellus.
Hinc Agamemnonius, Troiani nominis hoſtis,
Curru iungit Haleſus equos, Turnoque feroces
Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho
Maſſica qui raſtris; et quos de collibus altis
Aurunci miſere patres, Sidicinaque iuxta

722 *curſuque pedum* Medic. *tremit excita* primum vulgatum, quantum video, a Naugerio in Ald. tert. Exhibebant eam lectionem Medic. et Porcius Pierii, Montalb. Voſſ. et a m. ſec. Moret. tert. cum Zulich. Reliqui longe plures numero, etiam vetuſtiſſimi, Rom. et Medic., habent: *pedum conterrita tellus;* quod reuocaui cum Brunckio; alterum autem ex lib. XII, 445 retractum in h. l. ſuſpicor. 724 *Aleſus* fere ſcripti. *Halaeſus*, *Alaeſus* al. *equos Aleſus* Bigot., perperam, vt vel ex Ouidii locis conſtat. 725 *veniunt* Rom. 727 *Arunci* aliquot Burm. *A. m. ſenes* Medic. a m. pr. Colot. *Fidicinaque* Vratisl. *longe* Bigot.

tempore, ſolis aeſtu, dictus. *Lycia,* aſpera et ſaxoſa regio neſcio an alibi fertilitatis laude celebretur. Fidem tamen poetae facit Phrygiae et Lydiae, quam Hermus alluit, vicinia. Ceterum comparationis vis vt teneatur, obſervandum eſt, aut v. 718 (id quod facere praeſtat) cum ſuperioribus iungi et *tam multi* ſuppleri; vt ſit: et hi quidem *tam multi* incedunt, *quam multi* fluctus vel ariſtae ſunt. Ita pro epiphonemate eſt verſus: *Scuta ſonant pulſuque pedum conterrita tellus;* h. e. contremiſcens; aut diſtingui poteſt 717 poſt *nomen*. *Quam multi* noua ſententia facta, cui apodoſis ſupplenda ſit: tam multi erant in eo agmine: pro quo ſubiicitur declaratio: *Scuta ſonant p. p.*

723 ſqq. *Haleſus* adducit populos e priſcis Auruncorum et Oſcorum ſedibus; oriundus is ab Agamemnone, ſeu inter eius comites olim habitus et poſt eius caedem in Italiam profugus. vid. in eodem Excurſu VIII. *rapit Turno,* nota elegantia, quam mox et Tacitus aliique ſunt ſequuti, pro adducit. Proprie vim et feſtinationem innuit. *Aurunci* vltra Lirim, in Campania, montium iuga, *Sidicini* camporum plani-

Aequora; quique Cales linquunt; amnisque vadosi
Adcola Volturni, pariterque Saticulus asper,
Oscorumque manus. Teretes sunt aclydes illis 730
Tela: sed haec lento mos est aptare flagello.
Laeuas caetra tegit; falcati comminus enses.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Oebale, quem generasse Telon Sebethide nympha

728 *Littora* Cerda, quod vnde acceperit non assequor. 729 *que* abest binis Burm. *Satelicus, Sapticulus,* duo alii. *Satilicus* vnus Goth. 730 *Tuscorum* Rom. et aliquot Pier. *Hoscorum, Hosquorum, Ysorum, Voscorum* aliae sunt deprauationes. *aclydes* Mediceus, etiam Pompon. Sab., verius, quodque ab Heinsio non receptum esse miror, ex ἀγκύλαι, quod iaculorum genus est, ἀγκυλίδες. Contra, quod vulgatum est, *aclides*, ἀκλίδας, vt ὀκλίδας, formatas ratio grammatica forte admittit; sed notio vocabulo nulla commoda subest. *acides, alcides,* librariorum sunt ludibria. 731 *hic* Menag. pr. *et* Goth. tert. *tereti* duo Burm. ex priore versu. *bacillo* pro *flagello* coni. Io. Schrader. ex iis, quae sunt ap. Reines. Var. Lect. p. 640. 732 *Laeuas* Heins. e libb. post Pierium. Vulgo erat *laeuam.* Alii *laeua sceira* et *sceptra.* Scriptura *caetra* satis firmata est a viris doctis, inprimis Drakenb. ad Silium et Liuium. 734 *genuisse* Hugen. *Telum, Thelon,* et *Sebetide, Sedethide, Sebretide, Sebethride, Sebthride, Suberetide, leboetide,* monstra deprauationis.

tiem tenuisse dicuntur poetae, nam *aequora* nulla alia sunt quam camporum. conf. 739. 730. *aclidas,* seu *aclydas,* ipse Virgilius satis declarat, iacula fuisse, *flagello,* amento, h. e. loro aptata, illigata, quae emitti et retrahi possent. conf. Cerda. Mox *falcati cominus enses* scil. armant, ex antec. *tegunt,* sed simplicius est accipere: *falcati enses* ipsis sunt *cominus,* quoties cominus pugnatur.

733. *Teleboae,* relicta Tapho, quae vna ex Echinadibus insulis Acarnaniae obiectis erat, Capreas occupasse dicuntur. Rex eorum *Telon,* ex Nympha, Sebethi fluuii ad Neapolin filia, suscepit Oebalum, qui in continente loca circa Sarnum in Hirpi-

Fertur, Teleboum Capreas quum regna tene-
ret
Iam ſenior; patriis ſed non et filius aruis
Contentus, late iam tum ditione premebat
Sarraſtis populos, et quae rigat aequora Sarnus,
Quique Rufras Batulumque tenent atque arua
Celennae,
Et quos maliferae deſpectant moenia Abellae:
Teutonico ritu ſoliti torquere cateias;

735 *Capras* Doruill. *Capreis* Schol. Iuuenal. ad Sat. X, 72. 736 *patris* Reg. *ſed non iam* Pier. aliquot, et recepit Catroeus. *iam non et* Zulichem. 737 *iam dum* Witt. *tenebat* Medic. cum magna codd. parte. Ex Aen. I, 236 et 622 irrepſiſſe putabat Heinſ. 738 *Sarraſtis* Heinſ. ex vetuſtioribus. Vulgo *Sarraſtes*. Corrupte al. *Sarraſtres, Sereſtres, Sarraſtris, Sarrantes*. At *Sarraſtas* nusquam vidi memoratos. Silius VIII, 538 *Sarraſtes etiam populos totasque videres Sarni mitis opes. et qua rigat* Rom. et aliquot Heinſ. cum Witt. *qui r.* Franc. 739 *Rufras* Heinſ. e vetuſtioribus. Vulgg. *Rufas*. Tum *Batalum* Rom. et Gud. a m. pr. *Batylum* Medic. a m. ſec. *Butulum* Zulich. *Baculum* Goth. tert. *Celene* Medic. a m. pr. *Celemnae* aliquot Pier. cum Heinſ. multis. *Calemnae* Rom. alii *Calenae, Calennae, Celenae, Celaenae*. Etiam Goth. tert. *quique arua*. 740 *moenia Bellae* omnes Pier. et Heinſ. Scilicet antiqua ſcriptura: *moeniabellae*. Sed iam ante Seruium emendatum fuit: *moenia Abellae*. Pompon. *Auellae*. In Seruianis etiam narratiuncula occurrit, *Nolae* primum a poeta fuiſſe ſcriptum, ſed mutatum nomen propter negatum ipſi hoſpitium. Similis fabula de loco Georg. II, 213. 741 *catheyas* Witt. *catelas* Rom. *catellas* Medic. et al. *catenas* Hugen.

nis et extrema Campania occupauit. vid. in eod. Excurſ. VIII. 735. *Capreas, Teleboum regna,* inſulam, quam Teleboae incoluiſſe dicuntur. *Sarraſtes,* Sarni fl. (quem olim *Sarrum* pronuntiatum eſſe apparet) accolae. 739. *aequora* camporum, vt vſ. 729. 740. *quos deſpectant moenia Abellae.* videtur altum in monte ſitum habuiſſe hoc oppidum, vnde proſpectus erat in agros et campo-

Tegmina quis capitum raptus de ſubere cortex;
Aerataeque micant peltae, micat aereus enſis.
Et te montoſae miſere in proelia Nerſae,
Vfens, inſignem fama et felicibus armis:
Horrida praecipue cui gens, adſuetaque multo
Venatu nemorum, duris Aequicula glebis.
Armati terram exercent, ſemperque recentis
Conuectare iuuat praedas, et viuere rapto.

742 *rapta* Witt. 743 *aurataeque* Ed. Ven. *aeneus enſ.* Seru. ad Aen. I, 299. 744 *ventoſae* Goth. ſec. *mentoſae* tert. *Nerſae* Heinſ. e codd. Vulgo, *Nurſae:* etſi neutrum alibi occurrit. *Narſae, Perſae,* aberratt. *Nyrſae,* Rom. *Nurſae, Nirſae* tres Goth. 745 *Vffens* Menag. pr. cf. inf. 802. Nullus habet *Oufens,* vt marmora et codd. alibi ſcribunt. 746 *a. bello* Witt., ſed in marg. *multo.* 747 *duri* Rom. *Aequicula* recte Heinſ. emendauit e codd. Nam vulgg. *Aequicola,* quae deprauatio Grammaticorum eſt.

rum planitiem. 742. *Cateia,* teli genus, hoc loco Teutonibus tributum, quo nunc Sarraſtes et Hirpini vtuntur. E Virgilio Valerius et Silius eam repetierunt. Vocem Celticam eſſe, quae omnino longius haſtae genus deſignet, docuit nuper Bullet (*Diction. Celtic.* T. II, p. 286) et Macpherſon (*in Critical Diſſertations on the Caledonians* p. 153). Mox *ſuberis cortex,* recens detractus, in galeam inflecti et formari debuit. conf. Servius.

744—749. Sequuntur *Aequi* vel *Aequiculi,* qui ad vtramque Anienis ripam habitarunt. Oppidum eorum obſcurum *Nerſae.* v. in Excurſ. VIII. 747. *Aequicula* (ſc. gens; nam haec iungenda; ſic *Aequicula rura* Silius dixit; adiectiua forma) *duris glebis,* cui eſt ager aſper et aratu difficilis, declarat *gentem horridam et venatui deditam.* Hinc etiam rapto viuebant, cum, vnde viuerent, partum et conditum non haberent. cf. IX, 609 ſq. 613.

Quin et Marrubia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam et felici comtus oliua,
Archippi regis missu, fortissimus Vmbro:
Vipereo generi et grauiter spirantibus hydris
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat,
Mulcebatque iras, et morsus arte leuabat.
Sed non Dardaniae medicari cuspidis ictum
Eualuit; neque eum iuuere in volnera cantus

750 *Marruuia* Medic. cum al. Heins. *Marubia* paene omnes Pier. *Marrula* Rom., alii *Marubia*, *Marriuia*. Straboni est: Μαρούιον. 751 *galea* tert. Rottend. 752 *Arcippi*, *Archipi*, *Alcippi* in libris. *iussu* Franc. edd. Ven. et Mediol. cum Goth. sec. et tert., qui et *Vmbo*. 754 Tellez apud Burm. legebat: *cantuque herbisque volebat*. perperam. v. Not. ad h. v. 755 *feras* Sprot. *et mortes* Montalb. a m. pr. 756 *Dardanidae* duo Burm. 757 *neque enim* Goth. tert., non male. *in volnere*

750. *Marrubiam* gentem exquisite dixit, ab vrbe praecipua, pro *Marsis*. Ducit hos sacerdos *Vmbro*, cuius soror fuit *Anguitia*, Nympha, v. 759 memorata. conf. in Excurs. VIII. *Vmbronem* sacerdotem, quam regem, adducere maluit, forte quoniam fama antiqua ille notior erat, quippe qui serpentes deliniret incantatione. *fronde — et oliua*, nota forma poetici sermonis pro fronde oliuae, qua sacerdos ornatum caput habuit ap. Marsos. Omnia haec vetere fama accepta esse videntur. 753. *grauiter spirantibus*, afflatu nocentibus. 754. *manuque*. Haerent intpp. De offis soporiferis vel herois manu admotis Burm. accipit. Sed res ipsa fert, vt de tactu accipiatur. Est hoc genus domandi et sopiendi angues satis notum, quod manuum contactu fit. cf. Plin. VII, 2. Etiam Silius in loco ex nostro expresso VIII, 501 *tactuque domare venena* h. serpentes venenosos. Idem I, 411. 412 *nec non serpentes diro exarmare veneno Doctus Atyr, tactuque graves sopire chelydros*. adde III, 302 et ibi viros doctos. 756. Suauis haec rei serius

Somniferi, et Marsis quaesitae montibus herbae.
Te nemus Anguitiae, vitrea te Fucinus vnda,
Te liquidi fleuere lacus.
Ibat et Hippolyti proles pulcerrima bello

plerique veteres Pier. et Medic. a pr. m., et superscriptum ab alia: *ad volnera*. add. Erf. 758 *in montibus* ante Heins., qui sustulit *in* codd. auctoritate. 759 Variant codd. *Angitiae* et *Anguitiae*; Medic. *Anguetiae*, Rom. *Angitte*, nonnulli quoque depravate *Argitiae*, *Argiuae*, *Argiae*: *Angutiae*, *Angiciae*. Sed *Anguitiae* firmatur lapide Gudiano p. LIV, 9. cf. Heins. et Drakenb. ad Sil. VIII, 500; et videntur vtique veteres nomen hoc ab anguibus duxisse. Tum *Ficinus*, *Focinus*, *Fulcinus*, *Fuscinus*, aberratt. 760 *lacus nemorosaque Tempe* explent hemistichium Vratisl. et Doruill. cum Goth. pr.

gestae anticipatio, vt et mox orationis conuersio, v. 759. 760; vtraque tamen iam in Homero obuia. cf. Iliad. β, 858 sqq. Aliorum imitationes collegit Cerda: occurrunt passim alia. *in vulnera* docte poetae dicunt, pro, ad vulnera sananda. *Fucinus lacus* inter Apenninorum montium iuga; ad quem *lucus Anguitiae* fuit. Lacus huius descriptionem et delineationem dedit Generos. *Car. Vlysses de Salis Marschlins* (Reisen in verschiedenen Provinzen d. K. Neapel I Band. 1793. p. 259 sqq. et p. 427 sqq. add. tab. IV).

761 sqq. In *nemore Aricino* Diana peregrino more culta, quem Scythicum edi-derunt veteres. In eodem templo *Virbius* heros indigena diuino honore habitus. Arcebantur antiqua religione ab hoc loco equi. Inde factum videtur, vt Virbium alii Hippolytum, Thesei f., interpretarentur a quadrigis dilaniatum, Aesculapii autem opera a Diana ex inferis reductum et in hoc luco collocatum: cui adeo equi odiosi esse debebant. At Maro Hippolyti filium facit Virbium, ex Aricia nympha susceptum et in Egeriae luco ad vrbem Ariciam educatum. vid. in eodem Excurs. VIII. *pulcerrima bello* iungunt interpp. Ergo erit, insignis, clara, conspicua, ex κλός. Praestat forte, *ibat bello*, ad

Virbius: insignem quem mater Aricia misit,
Eductum Egeriae lucis, humentia circum
Litora, pinguis vbi et placabilis ara Dianae.

762 *Verbius* et *Aretia* Rom., ex more veterum pronuntiandi. *Atria* Goth. pr. *Ariola* Parrhas. 763 *Hymettia* ab Heinsio, qui tamen ipse improbat, et ab Burmanno relictum miror: nam Cuningham. post Ruaeum, Catroeum, Trappium *humentia* recte retraxit. Monuit quoque Io. Schrader. Emendatt. p. 8. Sed retinuit forte viros doctos dubitatio, vnde tam erudita lectio in poetam venerit. Fraudem tamen detegere in promtu est. Vera lectio est *humentia*, quam praestantissimi codd. Rom. et Medic. seruant, vna cum Parrhas. Franc. et ed. Ven. ap. Burm., sicque emendatum per Naugerium ed. tert. Ald. 1513. Scriptum hoc fuit in aliis *vmentia*, *vmētia*, *humecia*, in Gud. *ymetia*, quod alii ap. Heins. depravarunt in *himetia*, *himecia*, *imetia*, *ymettia*, *hemetia*, *hymetia*, vnde perperam eruditiores *Hymettia* fecerunt, quod alienissimum ab h. l. est. Quod vero multo etiam magis fraudi fuisse videtur, fuit adscriptus locus alter huic simillimus lib. IX, 584 *Symaethia circum Flumina* etc., vnde in Leid. transiit *Symetia*, in Goth. sec. *Sinnetia*, in alios *Cymetia*. Nemo itaque dubitet, *humentia* veram esse lectionem: vt recte censuere Guell. cum Gisanio, Cerda et aliis. Vs. 764 dubito an satis sanus sit; certe languet illud: *vbi ara Dianae est pinguis et placabilis:* etsi bene noui *pinguis*, vt Homeri πίονα νηὸν, ad victimarum frequentiam, *placabilis*, ad Scythicam religionem referri, qua homines mactabantur, quod nunc Ariciae non ita fiebat; vt hactenus adeo, quae olim implacabilis bellum; multo tamen magis malim iungere tertio loco *bello insignem:* ne *insignem* nudum frigeat. *Egeriae* fons et *lucus*, in quo educatus fuit Virbius, ad Ariciam est; alius vulgo narratur prope Romam ad portam Capenam. Fabulam vtrique communem esse de Numae cum Egeria congressu, putabat is, qui diligenter de eo egit, Cluver. p. 931. 932 sq., sed Ariciae nemus et fontem esse Egeriae domum, antrum autem Capenarum sub Auentino fuisse locum congressus cum Numa, subtiliter docuit Holdsworth. Disc. IV. Pro Egeriae fonte nostra aetate etiam tertius locus venditatur II millia extra portam S. Sebastiani, vulgo *Caffarelli* vocatus. 763. *humentia littora*, ad lacum Aricinum, vbi ara Dianae seu templum.

Namque ferunt fama Hippolytum, poſtquam arte nouercae
Occiderit, patriasque explerit ſanguine poenas
Turbatis distractus equis, ad ſidera rurſus
Aetheria et ſuperas coeli veniſſe ſub auras,
Paeonis reuocatum herbis et amore Dianae.
Tum Pater omnipotens, aliquem indignatus ab vmbris
Mortalem infernis ad lumina ſurgere vitae,
Ipſe repertorem medicinae talis et artis

dici poterat, iure videri poſſet *placabilis dea:* id quod a dea ad aram translatum, vt ſit ara placabilis, qua litatur, ad quam dea adeo placatur. At ingrata ſunt quae copulantur: *pinguis et placabilis ara.* Saltem *et* deletum malim: *pinguis vbi placabilis ara Dianae;* ſic *ara pinguis* eſt *Dianae* nunc *placabilis.* Cluuerius in Ital. ant. p. 934 legit: *pinguis vbi implacabilis ara Dianae,* vti *immitem* dixit Silius. 766 *Deciderit* pr. Hamb. pro var. lect., quod Burmanno placebat propter v. 768, mihi non item. *expleuit* idem et Witt. *ſ. menſas* Leid. pro diu. lect. 769 Vulgg. *Paeoniis*, quod quatuor ſyllabis poetae probatum eſſe non potuit: a Παιών, quod Apollinis cognomen eſt (deflexum quoque in Παιήων, e quo Παιήονιος ap. Hom., Παιάων), Παιῶνος, Παιώνιος, duci debuit: vide v. c. Pauſan. 1, 24. At Παιόνιος ad Παίονας Thraciae et Macedoniae ſpectat. Scribendum *PaeonIs*, aut ſaltem *PaeoniIs* accipiendum tribus ſyllabis, quod et Brunck. monet. In Doruill. erat *Paeonis.* 771 *ad limina* aliquot ap. Burm. et edd. apud Cerdam: qui recte monet *lumina* requiri propter *vmbras.*

Diuerſus ille a lacu Albano. 765—769. *arte nouercae,* dolo, τέχνῃ Phaedrae. *explerit ſanguine poenas*, nouae dixit, vt exſoluere, exhaurire, dare, quantum imperatum eſt, morte luere. *turbatis* pro conſternatis. *ad ſidera — veniſſe ſub auras,* ornate pro reuixiſſe. *Paeoniis herbis* ſimpl. pro medicantibus, medicis, a Paeone deorum medico, Apolline. Iliad. ε, 401. De Aeſculapio Phoebi f., quod mortales in vitam reſtituerat, a Ioue fulmine percuſſo, obuia eſt fabula. Locus claſſ. Apol-

Fulmine Phoebigenam Stygias detrusit in vndas.
At Triuia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, et nymphae Egeriae nemorique relegat: 775
Solus vbi in siluis Italis ignobilis aeuum
Exigeret, versoque vbi nomine Virbius esset.
Vnde etiam templo Triuiae lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi; quod litore currum
Et iuuenem monstris pauidi effudere marinis. 780

773 *Phoebigenam* recte iam inde ab Aldd. constanter habent edd. *Poenigenam* Seruius in suo habuit, „*matris poena genitum*: alii Phoebigenam *legunt*, *vt Probus*." Addit Sabinus etiam Apronianum ita legere: quod miror; nam in Mediceo *Poenigenam* occurrit, inepta lectio, nata ex errore calami: *Phoenigenam*, quod in multis est. *Poeniginam* Rom. *Penigenam* Goth. tert. *Phoenigenam* Mentel. pr. *Denigneam* Rottend. sec. De Aesculapio, Phoebi f., a Ioue fulmine percusso obuia est fabula. Tum *detraxit* Doruill. *ad vndas* Rom. Medic. Gud. a m. pr. et al., etiam edd. ap. Pier., itaque erat praeferendum, vt sibi constarent editores. 776 *ibi* Medic. a m. pr. Ven. et iterum v. sequ. cum Hamb. *ignorabilis* Medic. 777 *que* deest Pier. plerisque; atque ita malit Pierius. *Verbius* Gud. et Doruill. v. ad v. 762. 778 *Triuiae templo* al.; et sic editum ante Pier. *luco T. templisque* Goth. tert. *sacratas* Doruill. 779 *littora* Ven. Markland. ad Stat. I Silu. II, 45 coni. *litora circum Heu iuuenem*, suaui lusu. Tum *quo littore* aliquot Pier., perperam. 780 *pauide* Gud. a m. pr. *effundere in armis* Doruill. *effudere in harenis* Goth. tert.

lod. III, 10, 3, vbi Not. pag. 701. Pind. P. 3, 96 sq. 775. *relegat*, legat, mandat, tradit, commendat. Alii *relegat ad nemus*, segregat: vt Georg. III, 212 *tauros procul atque in sola relegat Pascua*. Tum *ignobilis*, in bonam partem, vtpote in secessu et solitudine, placide adeo et tranquille; alias *ignobile aeuum* effertur. 778. Religiosus igitur erat mos, vt ad lucum curru vehi nefas esset: Caussa ab Hippolyti quadrigis rapti fortuna in his

Filius ardentis haud ſecius aequore campi
Exercebat equos, curruque in bella ruebat.
Ipſe inter primos praeſtanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, et toto vertice ſupra eſt:
Cui triplici crinita iuba galea alta Chimaeram
Suſtinet, Aetnaeos efflantem faucibus ignis:
Tam magis illa fremens, et triſtibus effera flammis,
Quam magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnae.

781 *haud ſegnius* pars Pier., item Doruill. et Witt. a m. pr. cum Goth. tert., perpetua aberratione. *haut ſetius* Rom., pro more ſuo. v. ad Ge. II, 277. 784 *Venerat* Goth. ſec., peſſime. v. Not. Hic vſ. deeſt Menag. pr. 785 *crinata* alter Menag. et Ven. 786 *afflantem* Menag. pr. et Franc. cum binis Goth. 787 *Iam mag.* Medic. *Tum* Goth. alt. *Quo mag.* Goth. apud Quinctil. lib. IX, 3, qui inter archaiſmos refert. Scilicet vulgare erat: *Quo — Hoc.*

vſſ. arceſſitur. *haud ſecius,* etſi equi a luco parentis arcebantur, haud minus tamen filius eos agitabat.

783 ſeqq. De Turno vid. Excurſ. VII, de eius copiis Excurſ. VIII. *vertitur* docte ad animi corporisque vigorem deſignandum, mouet, agit ſe, pro incedit, vt στρέφεσθαι, et Homerica κορυθαίολος et αἰολοθώρηξ. *ſupra eſt, ὑπερέχει.* Comparant intpp. Iliad. γ, 226. 227. de Aiace. 785—788. manifeſte veſtigiis Homeri inſiſtit, ornatis ſane verbis, ſed vt rei miraculo fidem parum faciat. Recte Iliad. ε, 4 ſqq. Diomedis galea aerea, clipeus et thorax in ſole coruſcans ignem effundere narratur; idemque etſi paullo magis in miraculum conuerſum tribuit Achillis galeae Iliad. σ, 205 ſqq. Virgilius expreſſit eum locum lib. X, 270 ſqq.; hic vero etiam auxit prodigium, cum galea, Chimaera ornata, furente in praelio Turno, inter motus rapidos et multiplices ita coruſcet, vt Chimaeram, quo magis pugna exardeſcat, eo magis flammas ſpirare dicat. Hoc monere ſatius erat, quam inani reprehenſione vel laude locum atterere, quod Scaliger

At leuem clipeum ſublatis cornibus Io
Auro inſignibat, iam ſaetis obſita, iam bos,
Argumentum ingens, et cuſtos virginis Argus,
Caelataque amnem fundens pater Inachus vrna.
Inſequitur nimbus peditum, clipeataque totis
Agmina denſentur campis, Argiuaque pubes,
Auruncaeque manus, Rutuli, veteresque Sicani,

789 *Ad* Gud. *Et* Sprot. 790 *inſignabat* Doruill. *inſigni ibat* Goth. ſec. *obſtita* Rom. *iam bis* alter Menag. 793 *pilata* nonnulli ap. Cerdam: ex Aen. XII, 121 *pilataque plenis Agmina ſe fundunt portis.* 794 *denſentur* Heinſ. ex Medic. aliisque. Defendit quoque Seru. conſ. ſup. ad Ge. I, 248. 419. Alii *denſantur.* Variabant Pierii quoque codd. 795 *Arruncae* Ge. Fabricii codex, et ſic ille vel *Aruncae* ſcriptum malebat; vetere more. Mox *Siculi veteresque Sicani* Seru. ad I Aen. 2 laudat; memoriae, vt credi par eſt, vitio. Male tamen me habent hi *Rutuli* ſequentibus mox v. 798 *Rutulis collibus:* vt adeo Seruii errorem cupide amplectar.

quoque facit Poet. lib. V, c. 3, (p. 228 ed. 1561) impugnans Macrob. V, 13 extr., in quo hoc reprehenditur, quod ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ Homericum toties repetiit Virgilius IX, 733. X, 271. VIII, 620. Eſt autem *galea crinita triplici iuba,* ἔχουσα τρεῖς λόφους, quam τρυφάλειαν dictam volunt pro τριφάλεια. 787. *illa* Chimaera; non galea, etſi paullo durius. 789 ſq. In clipeo expreſſa Io cum Inacho fluuio: nam ab hoc ducebat genus Turnus ſup. v. 371 ſq. ibique Excurſ. *ſublatis cornibus Io* ornate pro Io cornuta: argumentum etiam in gemmis expreſſum (v. Lippert. *Dactyl. Mill.* II, 1, 18): Male pro ablatis, demtis, Cerda et al. Locum perquam ſimilem laudant interpp. ex Europa, quod Moſchi eſt Idyll. II v. 43. 44. *nimbus peditum* νέφος πεζῶν Iliad. δ, 274 et al. *Argiua pubes:* pertinet ad originem Turni et colonos Argiuos, qui cum Danae ad Italiam venerant; v. Exc. VII. *Aurunci* h. l. ſunt qui cis Lirim habitabant. vid. Excurſ. VIII ad v. 723. *Sicanos,* int. reliquias ex iis, quae ad Ti-

Et Sacranae acies, et picti scuta Labici:
Qui saltus, Tiberine, tuos, sacrumque Numici
Litus arant, Rutulosque exercent vomere collis,
Circaeumque iugum; quis Iupiter Anxurus aruis

796 *Sarranae* et *Saranae* aliqui: *Saturnae* Menag. pr. *Gauranae* edd. Macrob. V Sat. 15, vbi Thuan. *Gaurinae*. Sed *Gaurus* apud Puteolos alienus ab his locis. v. Exc. VIII, vbi ad h. v. Mox *Lybici* Menag. pr. *Libici*, *Linici* Goth. bini. 797 *Munici* Leid. 799 *Axurus* rectius scribi post Vrsinum putabat Heinsius, quoniam sic in codd. Silii VIII, 333, et in numo gentis Vibiae expressum (vid. Thesaur. Morell. Hauerk. tab. 2, II. Nec simulacrum Iouis Anxuris, quod Guellius ad se peruenisse narrat, aliud quam huius numi fuisse arbitror. Quem autem altero loco numum, alienum a Ioue Anxure, laudat, qui *Iouem crescentem* exhibebat, is Gallieni vel Salonini esse debuit; diuersus est numus, cuius alteram faciem laudat cum capra sine sessore et verbis: *Ioui conseru. Aug.*, qui inter raros habetur, v. Bandur. T. I, p. 164): et quia Ζεὺς Ἄξυρος dictus sit *imberbis*. Sed illa etymologia ad grammaticorum nugas est ableganda; nam Volscum nomen Anxur est; tum, litteram *n* excidere in numis et titulis, nihil noui. In Graeco Augusti numo Iouis caput cum voce Ἄγξυρος occurrit apud Golzium Numism. Gr. Augusti t. 75, XXIIX, verum aut sibi fraudem fieri passus est aut facere voluit aliis. Codices deprauationibus suis vulgatam confirmant. Rom. *Auxyrus*, alii *Anxirus*, *Auxurus*, *Anxyrus*, *Anxyris*, *Anxiris*, *Anxeris*. Sed Mediceus diserte *Anxurus* cum binis Goth., et parte codd. Heins., cuius Cod. Scheff. *Anxur et aruis*, vnde ille malebat *Axur et aru.*, frustra. In Aldd. *Anxuris;* etsi Ald. sec. 1505 dederat *Anxurus*, tamen reditum est ad illud alterum, nec ab eo decessum nisi a Pulmanno et Dan. Heins., qui reuocarunt *Anxurus*.

berim in Rutulorum finibus consedisse videntur: lib. XI, 317. cons. Excurs. VIII ad v. 783 et Excurs. II ad lib. VIII. *Sacranas acies* et reliqua vid. in eod. Exc. VIII. *Sacrani* Ardeatium agmen videtur fuisse e vere sacro natum aut certo numini, forte Magnae deum matri, consecratum; obscura enim rei est memoria. *Sacrumque Numici Littus:* proprie ipse Numicius amnis sacer, δίος. *Anxur* Volscorum nomine Iupiter appellatus, pueri forma in numis occurrit; vt adeo cum Veioue comparari

Praesidet, et viridi gaudens Feronia luco;
Qua Saturae iacet atra palus, gelidusque per imas
Quaerit iter vallis atque in mare conditur Vfens.
Hos super aduenit Volfca de gente Camilla,
Agmen agens equitum, et florentis aere cateruas,
Bellatrix: non illa colo calathisue Mineruae

800 *Foronia* Parrhaf. 801 *Aſturae* alios legiſſe notat Servius: perperam; nam Aſtura fl. et oppidum paullo remotius eſt a Satura palude. vid. Cluuer. p. 1003. Errorem iam Iulius Sabinus arguit. 802 *voluitur* aliqui apud Cerdam, cum Leid. *Iffens* Ven. cf. ſup. 745. *vtens* Goth. tert. 803 *Vulfca* multi, vt ſolent. *Volefa* pr. Hamb. 804 *A. a. comitum* alter Hamb. *florente aetate cateruae*, vana Waddelii emendatio ap. Burm. v. Not. 805 *calathisque* Parrhaf.

poſſit, de quo Ouid. Faſt. III, 437 ſq. Idem vrbi Anxuri, mox Tarracinae, nomen dediſſe videtur: cuius ager h. l. per arua, *queis Iupiter Anxurus praeſidet*, declaratur. Ad tertium inde lapidem *Feroniae lucus*, fons et templum. Fuit ea ex diis Latii Indigetibus, mox modo inter Nymphas relata, modo cum Iunone comparata et pro Iouis Anxuris coniuge habita. Quae Dionyſ. recitat, lib. II, 49, pag. 113 et lib. III, 32, Graecanicae argutiae ſunt. *Satura palus* circa Vſentem amnem ad paludes Pomtinas ſpectaſſe videtur, quae, viginti trium vrbium ſolo occupato, tamen olim non tam late per agrum Pometinum, ac nunc, patebant. v. Cluuer. p. 1003. cf. Silius VIII, 382 ſeq.

803. De Camilla vid. inf. XI, 535 ſeqq. Penthesileae exemplo eam poetae ingenio eſſe ſubnatam nullus dubito. *florentes aere cateruas* h. ſplendentes, fulgentes. Servius notauit Ennii et Lucretii exemplo hoc factum. Sane locus, quem laudat e Lucretio (lib. V, 1441), vbi *mare florere nauibus* dicitur, non tam commodus erat quam alter lib. IV, 452 *Bina lucernarum florentia lumina flammis.* conf. Cerda. Sic ἀνθηρὸς et ἀνθεμόεις pro ἄνθων, et τὸ ἄνθος, τὸ ἄνθε-

Femineas adſueta manus; ſed proelia virgo
Dura pati, curſuque pedum praeuertere ventos.
Illa vel intactae ſegetis per ſumma volaret

808 *volaſſet* Stephanus emendabat ap. Burm., quia *laeſiſſet* ſequitur. Nunc ſatis conſtat, nec alterum ab vſu poetarum recedere. At *infractae* ſegetis Wakefield nunc emendauit in Silua crit. P. III p. 140 atque in ipſum poetam intulit, *verìſſimam hanc emendationem* eſſe profeſſus, *vulgatam ab ineptiente quodam monacho miracula captante profectam.* Ingenioſam eſſe emendationem, quam Homericus locus facile cuiuis offerat, lubenter concedo: vbi equae ἄκρον ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέον, οὐδὲ κατέκλων, *neque infringebant*, ducere poteſt ad *infractae ſegetis.* Enimvero *infractus* quoties apud Maronem occurrit, eſt, valde fractus vel fractus ſimpliciter, ex infringere: neque alio ſenſu *infractus* occurrit apud bonos ſcriptores. *Intactam* ſegetem non eſſe ad etymum reuocandam, quippe in poeta, per ſe patet. Quis enim, ſi Ge. IV, 540 *intacta ceruice iuuencos* audierit, de eo cogitet, an nunquam ne propius quidem admotum fuerit iugum! Etiam in pedeſtri oratione diceremus, tam leuiter aliquem inſiſtere veſtigiis, vt vix terram attingat. Poetica autem ratio non modo permittit, ſed et iubet res in maius augere, vt mirationem faciant. Eſſe loca, in quibus *frangendi* vocabulum occurrit, haud miror; nam verſum Homericum ante oculos habuere, quem ipſe Virgilius expreſſit ſimulque τὸ *intactae* ſegetis ipſe vberius declarauit: *nec teneras curſu laeſiſſet ariſtas.* Vt Claudianus in loco hinc expreſſo de Conſ. Honor. 199 *ſegetemque leui percurrere motu — nec proterat vngula culmos.* Et Ouid. Met. X, 654. 655 *ſicco freta radere paſſu Et ſegetis canae ſtantes* (h. e. intactas) *percurrere ariſtas.* Calpurnius autem Ecl. VI, 57 *Tangeret vt faciles, ſed non curuaret, ariſtas.* Variauit itaque Statius Theb. VI, 640 *Raraque non fracto veſtigia puluere pendent.* At propius ad Maronis rationem accedit ipſe Apollon. I, 183 de Polyphemi celeritate: ſupra mare currebat, οὐδὲ ϑοοὺς βάπτε πόδας, ἀλλ' ὅσον ἄκροις Ἴχνεσι τεγγόμενος. Argutabimurne et in hoc? atqui et hoc expreſſum ſtatim videbis a noſtro: *celeres nec tingueret aequore*

μον de fulgore auri: vnde Pind. Ol. 2, 130 ἄνθεμα χρυσοῦ φλέγει. 806. *ſed adſueta pati praelia dura*, virgo cum eſſet, etc. Velocitatis denotationem v. 808 ſqq. temere reprehendunt viri docti. Nec illa vtique conuenit noſtris ſenſibus; ſed, cum Maro ea vteretur, a vetuſta-

Gramina, nec teneras curſu laeſiſſet ariſtas;
Vel mare per medium, fluctu ſuſpenſa tumenti,
Ferret iter, celeris nec tingueret aequore plantas.
Illam omnis tectis agrisque effuſa iuuentus
Turbaque miratur matrum, et proſpectat euntem,
Adtonitis inhians animis: vt regius oſtro
Velet honos leuis humeros; vt ſibula crinem

plantas. Si *curſus per mare* factus placet, quo *nec planta mari tingitur*, poteſtne displicere *curſus per ſegetem* factus ſic, *vt nec ariſtas attingerent plantae?* Ipſe Maro Ge. III, 194. 195 *per aperta volans — Aequora, vix ſumma veſtigia ponat ariſta.* 809 *arenas* alter Hamb. v. Burm. 810 *fluctus ſ. tumentes* aliquot Pier. 814 *A. haeſere animis* Gud. Idem vir doctus, Wakefield, correxit *oſtri:* quod et ipſum bene dictum eſſet, ſorte quoque facilius: *regius oſtri honos.* alterum tamen doctius: *oſtro.* vt ſit: *honos regius velat oſtro*, purpura: quorſum igitur mutantur ea, quae bene ſe habent, forte etiam melius! 815 *letos h. et f.* Goth. ſec. *humerosque leues* Ven. *vt f. veſtem* pr. Menag. et duo Heinſ. pro diu. lect. cum Goth. tert., ſcilicet tamquam magis obuium. Nam *ſibula* in capilli ornatu nondum reperi; nec tamen probabile ſit, *veſtem* a librariis in *crinem* mutari potuiſſe.

te quaſi per manus erat tradita; expreſſit enim Iliad. *v*, 226—229 de equabus Erichthonii. Similiter de Euphemo Apollon. I, 179 ſq. Alios, inprimis Virgilii imitatores, v. apud Cerdam et al. *Ferret iter*, docte, vt *f. pedes.*

812 ſq. Ornate, quae ſimpliciter Homerus dederat Τὸν δ' ἄρα πάντες Λαοὶ ἐπερχόμενον θηεῦντο Od. *β*, 13. *ρ*, 64. In reliquis argutantur intpp. Indutam illam puta chlamyde purpurea: is eſt *regius honos, qui velat humeros oſtro*, dum ipſe ex oſtro eſt. Accipio *ſibulam* de acu: v. Var. Lect.; in media ſibula eſt acus, quae mordet laci-

Auro internectat; Lyciam vt gerat ipsa pharetram,
Et pastoralem praefixa cuspide myrtum.

816 *aut g.* duo Burm. *ferat* et *illa* alii ap. Pier. 817 *Vt p.* Oudart. cum Goth. tert.

niam: potuit adeo et fibula pro acu dici: et *Lyciam* dixit pharetram, vt solent poetae praestantius genus designare: sic, *arcus Cretici. E myrto* hastilia. vid. Georg. II, 447 et *pastoralis myrtus* de iaculo, quo pastores vtuntur.





EXCVRSVS I

De Caieta et Insula Circes.

Lib. VII, 1. 2 *Tu quoque littoribus nostris, Aeneia nutrix, Aeternam moriens famam, Caieta, dedisti* — 10 *Proxima Circaeae raduntur littora terrae* etc. Cum Virgiliani carminis praestantia, etiam inuentionis laus, inprimis in doctrinae copia et sermonis poetici ornatu, spectanda sit: nos operae pretium in hoc facere putamus, quod legentium animos ad haec potissimum duo capita in interpretatione nostra aduertere studemus. Exspectatur itaque a nobis, vt in his quoque posterioribus sex libris in iisdem rebus illustrandis praecipuam aliquam operam collocemus: idque eo magis, quo *nouum fabularum genus*, Italiae domesticum, parum a plerisque perspectum et cum Graecis mythis in vulgari antiquitatis doctrina confusum, in iis tractatur. Ne vero legentium animos oculosque distineamus ac distringamus, reiectis ad librorum calcem disputationibus exspatiabimur interdum et nonnulla excutiemus accuratius. Facient haec ipsa diuerticula ad recreandum animum ex commentandi et variae lectionis enotandae taedio,

quod quidem nonnunquam, quomodo reprimeremus, vix habere videbamur.

Caietae memoriam non praeteriit poeta, quandoquidem inter fabulas veteres de Aeneae erroribus ea occurrebat, nomenque promontorii portusque et vrbis in Latii et Campaniae finibus ab ea ductum vulgo ferebatur: vt taceam Formiis *aedem Apollinis ac Caietae* a Liuio XL, 2 commemoratam. Vid. Dionys. I, 53. Strabo VI, p. 330. Victor O. G. R. 10. Adde Solin. 8. Ex quibus locis quoque discimus, a cremata Troianorum classe (ἀπὸ τοῦ καίειν) nonnullos, Caesarem inprimis et Sempronium, nugantes suo more in nominum originibus, nomen repetiisse. cf. ad lib. V Excurs. VI, et Cerdam ad lib. VII, 2. Varie quoque tractatam esse fabulam ex eo apparet, quod alii Aeneae, alii Creusae, alii Ascanii nutricem Caietam ediderant. Nutricis autem in vetere vita, vt educandis pueris praecipua opera, ita magna erat reuerentia, vt parentali ea pietate coleretur. Res inprimis in tragicis obuia. Facit autem etiam hic iustorum nutrici persolutus honos ad Aeneae pietatem declarandam. Haec et similia cogitare debet is, cui haec Caietae memoratio nimis videtur esse tenuis et epico spiritu indigna. Hoc tamen verum est, post similem de Miseno et Palinuro narrationem nouitatem huic Caietae commemorationi deesse. Nec hoc non sensisse videri potest poeta, qui similem aliam de *Baia*, Euxini matre, fabulam (Victor O. G. R. 10) non attigit: nec *Leucosiam* insulam in sinu Paestano a consobrina Aeneae aut *Prochytam* ab eius cognata ibi sepulta (v. Dionys. I, 53) appellatam memorare voluit. Nec sine iudicio videri debet omisisse alia errorum Aeneae in his locis vestigia vulgo credita, quae poetica arte tractari vix poterant, vt *Aenariam insulam a statione nauium Aeneae* dictam apud Plin. III, 6 s. 12. Quid? quod adeo ad Sardiniam Troianos nonnulli veterum deduxerant; parum docte, puto, et ex Iolai nomine, de quo tot fabulae in Sardiniae originibus habentur, opinione ducta: Paus. X, 17, p. 837 extr. quam etiam Silius sequitur lib. XII, 363 sqq.

Ceterum totus ille littoris tractus fabulis priſcis inclaruerat: vt tanto magis poeta noſter decerpere de iis nonnihil potuerit. Non longe a Caieta aberant *Formiae*, Laeſtrygonum, ferorum hominum, qui carne humana veſci ſolebant, ſedes ab Homero nobilitatae: vnde adeo Silio VIII, 531 *regnata Lamo Caieta* dicta eſt. Nec male Ouidius Met. XIV, 158 ſqq. vnum ex Vlyſſis ſociis, Macareum, ſuperſtitem in his locis ſinxit Aeneae occurrere: etſi Achemenidis in Cyclopum antro relicti ex lib. III Aeneidis exemplum Naſoni ante oculos fuiſſe facile intelligitur. Eſt autem ad rerum fidem valde accommodatum, adhuc Troianorum temporibus homines feros et anthropophagos Italiae ſaltibus, lacubus et ignibus ſubterraneis, horridae loca ſaltem nonnulla inhabitaſſe. Hinc et *Caci* memoria. cf. ad lib. VIII Excurſ. II.

Circes inſulam, quam adeundam eſſe Helenus iam praedixerat (lib. III, 386 *Ante et — Aeaeaeque inſula Circes luſtranda)*, non magis praetermittere debuit poeta, cum illa ab heroicis inde temporibus tantopere fabulis frequentata et celebrata eſſet, inprimis ab Homero Odyſſ. κ. *Circeii* quidem notum eſt Latii promontorium: Homerus tamen narrat de eo, tamquam de inſula. *Circeii*, vt Plinii verbis vtar (lib. III, 5, 9), *inſula quondam immenſo quidem mari circumdata, vt creditur Homero, at nunc planitie* (cf. II, 85 ſ. 87). Nata hinc opinio, aggeſta fluminum alluuie terra, inſulam aliquando factam eſſe continentem; v. Theophraſt. Hiſt. Plant. V, 9, quem locum Plinius expreſſit l. c. Nec multum diſſidet, quod Varro tradiderat, vt e Seruio ad lib. III, 386. VII, 10 diſcitur, fuiſſe Circen inſulam, nondum ſiccatis paludibus, quae eam diuidebant a continenti. Quod in priſcae Italiae ſilueſtri habitu quis miretur, cum tales lacus multi adhuc ſint in vicinis locis, hiberno tempore aqua ſtagnantes, cumque inde procedant Pomtinae paludes! cf. Corradin. Latio vet. Tom. II, pag. 242. Itaque Strabo inter loca maritima paluſtria et morboſa etiam Circeios numerat lib. V, p. 353 C et ipſe Circeius mons ipſi eſi, quem mare et paludes

insulam faciunt: τὸ Κιρκαῖον — ὄρος νησιάζον τῇ θαλάττῃ τε καὶ ἕλεσι, p. 355 B.

Aeaeam appellat insulam Homerus, hincque Maro sup. lib. III, 386 *Aeaeae insula Circes*. Fuit quoque τὸ Κιρκαῖον in Colchide v. Apollon. III, 200. II, 402. Quomodo autem veteres in hoc incidere potuerint, vt Circen ex Aea, Colchorum vrbe, Aeetae regis sororem ex Sole et Persa, translatam in insulam hanc collocarent, vix assequatur aliquis, nisi antiquioris Graeciae ignorantiam geographiae animo teneat. Occidentis faciem et fines ante Troiana tempora prorsus ignorabant Graeci, nec ante Homerum nisi fabulosas narrationes de eo vulgo audiuerant. Itaque pone Siciliam magnum Oceanum circumductum vsque ad septentrionem patere credidisse videntur.*) Iam fuit fabula aliqua perantiqua de Circe Solis filia, cui insula in hoc mari assignari coepta: eamque adiisse narrati sunt Argonautae, quorum, seu Tanain seu Istrum invectorum, ex Colchide reditus per talem Oceanum, qualem tunc sibi finxit antiquitas, factus facile credi potuit. Temporum successu orbis hic priscae Graeciae ignotus adiri nauibus coepit, sensimque Italiae, Galliae, Hispaniae notitia aliqua verior ac certior inter Graecos increbescere. Accommodarunt itaque poetae, pro suae quisque aetatis et pro suae scientiae modulo, veteres fabulas ad nouas notitias occidentis, cuiusmodi forte tum erant: atque hinc illa fabularum diuersitas, inprimis in Argonauticis, nata. Nec facile est quicquam aliud, quod Orphicorum Argonauticorum haud infimam antiquitatem, si non verborum, argumenti tamen, aeque arguat, quam ἀνιστορησία locorum in occidentalibus terris; et hoc, cum eiusmodi aliis veteris geographicae notionis vestigiis, est, quod in eo carmine inprimis spectandum veniet, si quis ad illustrandum illud accedet in posterum. Orphicorum igitur auctor iam notitiam aliquam acceperat de procurrente in

*) Scripta haec a me esse memineris iam in prima editione, adeoque ante annum LXXV, vt me mihi constare intelligas.

occidentem Europa, isque Circes insulam extra fretum Gaditanum in Oceano occidentali quidem collocauit (v. 1205 sqq. coll. 1239 sqq.), *Lycaeam* tamen *ad terram*: Κίρκης δόμον — Λυκαῖον ποτὶ χέρσον: in qua *Ligures* latere nullus dubito, adeoque praefero cod. Voss. Leid. lectionem, quae in aliis quoque locis recipi in contextum debebat, Λιγγαῖον, quae propior est ad vulgarem sonum Λίγυες. Apollonius IV, 646 de Argonautis: οἱ ἔθνεα μυρία Κελτῶν καὶ Λιγύων περοῶντες ἀϋτῆι. Errori autem locum fecit hoc, quod Ligures olim, Iberica gens, late tenebant maritima loca non modo Galliae et Italiae, sed et Iberiae. Itaque ipsae Gades in Liguribus memorantur, et Λιγυστίνη prope Gades ap. Steph. Byz. h. v. ex poeta puta antiquo; et apud Auien. Ora marit. 284 *Ligusticus lacus*, et magis fabulosa 131 sqq. 196 sq. (cf. Wernsd. p. 1443). Traduntur certe Ligures Sicanos, Ibericam gentem, ex Hispania pepulisse (vid. Thucyd. VI, 2. Dionys. I, 22. Diodor. V, 6. Silius Ital. XIV, 34. 35, loca excitata olim a nobis ad Guthrianum opus Tom. III, p. 73). Permixti mox iidem Ligures cum Celtis passim habitarunt, ex quo genere Salyes erant. v. Strabo IV, p. 311 A; itaque loca circa Massiliam et Rhodanum ad Ligures referuntur: sic ap. Apollod. II, 5, 10 et in loco Aeschyli ex Prometheo liberato ap. Dionys. I, 41. cf. Aristot. de Mirab. audit. T. II Opp., p. 725. (c. 91.) et Strabon. IV, p. 277 B. Intra Alpes tamen et Apenninos, a Celtis diuersi, coluerunt. v. Strabo lib. II, p. 190 C. In Homericis quidem Ligures non memorantur. Antequam tamen Italia superior Graecis penitius innotuerat, per Ligures eam vniuerse declarare solebant. Tenendum hoc est propter multa poetarum loca. Ita Circes quoque insula ad Ligures referri: Λιγυστὶς ἡ συῶν μορφώτρια Circe ap. Eurip. Troad. 437. Atque adeo Cytaeam Colchidis Λιγυστικὴν ab ea dixit Lycophr. 1312, vnde perperam Eustath. ad Perieg. 76 coloniam Ligurum in Colchidem ductam effinxit. Itaque Padi quoque ostia et succinum ad Ligures referebant veteres, conf. Plin. XXXVII, 3 s. 11, et hinc corruptum nomen *Lingurii* v. c.

apud Strabonem lib. IV, pag. 310 B. πλεονάζει δὲ καὶ τὸ λιγγούριον παρ' αὐτοῖς (τοῖς Λίγυσιν), ὅ τινες ἠλεκτρον προσαγορεύουσι. Lingurium ex ea, quam supra posuimus, Λιγγεῖς, pronuntiatione nasci potuit; factum adeo Lyngurium et Lyncurium, quod nomen ad lapidis genus translatum, et nata ex etymo fabula de nato lapide ex lyncum vrina. Accidit autem nomini Ligurum, vt multis in locis corrumperetur. Ita ap. Apollod. I, 9, 24 et II, 5, 10, vbi v. Not. p. 210, 398; porro ap. Aristot. H. A. I, 15, vbi post Reines. Var. Lect. p. 74 restituit Schneider. Etiam planta Ligustica, Λιγυστικὸν, mutata in Λιβυστικὸν v. Salmas. ad Solin. p. 899. In Auieni O. M. 196 *pernix lucis* praeclare *pernix Ligus* emendabat Schrader Emendatt. praef. p. XXIX. Latere quoque Ligures Λίγυας arbitror in *Lynceï* nomine apud Lycophr. 1240, vbi Aeneam dicitur exceptura esse Τυρσηνία Λυγκεύς τε θερμὸν ῥεῖθρον ἐκβράσσων ποτῶν, Καὶ Πίσσ', Ἀγύλλης θ' αἱ πολύβρηνοι νάπαι. Audiuerat Alexandrinus poeta de thermis Etruriae et Liguriae: estque ei fluuius aliquis Ligur, Λιγὺς, vel Λιγεὺς, et corrupte Λιγγεὺς, vt ibidem in aliis scribitur, et excudendum erat. Apud eundem ab Aeneae posteris vrbs exstruenda narratur circa Circaeum: tam late Latii locus, quo Roma condita, designatur: v. 127 Ἐν ὀψιτέκνοις ὀλβίαν δωμήσεται Τύρσιν, μακεδνὰς ἀμφὶ Κιρκαίου νάπας etc. Cuius loci perdoctam interpretationem dedit Cluuerius Ital. ant. p. 762 sqq. Homerus, qui locorum nonnullorum situs per Siciliam et Italiam, littoralem saltem, paullo accuratius norat, seruato *Oceani* vocabulo (cuius notio vna eademque nec fuit nec esse potuit, variata illa iam ante Homerum, vt paullo ante diximus) Vlyssis errores ad Italiae oram retulit ac disposuit, Circesque adeo insulam ei loco assignauit, qui Circaei promontorii et portus nomen seu tunc iam habuit seu inde accepit. Nomina, iam in Argonauticis obuia, esse commentitia, ipsa etyma docent; nam Αἶα est antiquum nomen Terrae; frater Αἰήτης, terrigena; pater *Sol*, et mater *Perse* Oceanina; quoniam insula in Oceano occidentali sita ferebatur.

Circe veneficiis celebrata est inde ab Homero. Fuit hoc antiquorum temporum, vt etiamnum inter populos barbaros res est satis frequens, vt passim in minus notis locis crederentur esse populi vel familiae vel homines, qui veneficiis et magicis artibus pollerent. Ex Strabone l. c. lib. V, p. 355 B, apparet, herbarum copiam ac frequentiam in his locis memorabilem nonnullos prodidisse: quod tamen ipse potius ad Circes fabulam accommodatum putauit: φασὶ δὲ καὶ πολύῤῥιζον εἶναι, τάχα τῷ μύθῳ τῷ περὶ Κίρκης προσοικειοῦντες. De veneno mortifero in monte Circaeo obscura est narratio in Audit. Mirab. f. 79. Arboribus frequentissimum esse promontorium Circaeum, diserte narrat Theophrast. Hist. Plant. V, 9, inprimis myrtis, quarum genus aliquod humile et generi coronario proximum enascebatur in Elpenoris (qui ex Vlyssis sociis fuit) tumulo, ceteris amplioribus dissimile. Quod si hunc exscripsit Plinius, lib. XV, 29 f. 36, parum diligenter dixisse videri debet vniuerse: Myrtus — *primum Circeiis in Elpenoris tumulo visa traditur*. cf. Not. ad v. 11. Fuere tamen eiusmodi fabulae de arboribus in heroum tumulis enatis plures: vti de platano in Diomedis tumulo: cf. inf. Exc. I ad lib. XI.

Ceterum *fabula de Circe* vna ex iis esse videtur, quam Homerus ab antiquiore aliquo poeta tractatam acceperat, qui forte voluptatum vim ad mores hominibus belluinos induendos hoc *mytho de mutatis a Circe in belluas hominibus* docuerat. Conuertit fabulam, vt tot alias, Homerus in narrationem rei, quae vere ita euenerit, et ad Vlyssis socios transtulit. Ita vetus *mythus historica narratio* facta est. Sane haec intra coniecturae fines subsistere, nec fide historica substructa esse bene memini; sufficit, ea analogiam habere cum aliis similibus, quae Homerus in facta et res gestas mutauit. Alioqui recte et hoc statuas: poetam haec ex vetere Argonauticorum poeta accepta Vlyssis erroribus intulisse, seriusque alium in fabulam ethicam haec mutasse. Lepidum est commentum, commentum tamen, d'Hancarvillii, qui haec loca adiit, in *Vasis Etrusc.* T. I, p. 65, natam de Circe fabulam ex locorum facie; rudere enim in

his locis ac mugire fractos ad ſcopulos maris fluctus, vt belluas in Circaeo fremere credas, in quas mutatos eſſe ſocios, quos deſiderabat, Vlyſſes credere potuit.

Virgilius narrationem Homericam copioſe ab hoc poetarum heroe tractatam leuiter attigit: ſed, quo ſe Homerum facile ſuperare videbat, rerum ac verborum dignitatem addidit, qua Homerica narratio deſtituitur.

EXCVRSVS I*


Pecten et Κερκὶς *in antiqua textrina.*

VII, 14. *Arguto tenuis percurrens pectine telas.* Expectamus virum doctum, qui poſt Salmaſium et Braunium omnem veterum textrinam, a noſtra arte textoria tam diuerſam, cum iugo olim adſtarent, qui texerent, et ex alto deorſum penderent ſtamina, recognoſcat et exponat diligentius: rem per ſe obſcuram, multo magis propterea, quod non vna ratio texendi fuit. Etiam Pollux antiquiorem aliquam rationem norat, verbis enim *κατὰ τὴν ἀρχαίαν ὑφαντικὴν* vtitur lib. VII, ſ. 36, verum apponit ille verba ſine explicatione: quae nec ipſa eundem vbique vſum habuere; eadem vbi occurrunt in ſcriptoribus aut adiuncta non habent, aut metonymice dicta nihil definiunt. v. c. in Theocr. Idyll. XVIII, 33. 34. Cum noſter verſus conuerſus ſit ex Homero: neceſſe eſt *κερκίδα* et *pectinem* eſſe eodem ſenſu dictos. Iam *pectinem* non eſſe poſſe eum, quem noſtri homines appellant *(Kamm)*, manifeſtum fit ex altero loco in Il. χ, 448 vbi Andromache *ἱστὸν ὑφαίνει*, cumque exterrita eſſet auditis lamentis, *τῆς δ' ἐλελίχθη γυῖα, χαμαὶ δέ οἱ ἔπεσε κερκίς.* Nam, ſi noſtratium inſtrumentum fuiſſet, pecten eius manu excidere non potuiſſet. Nec in Marone locum haberet, quandoquidem hic *Circe percurrit pectine telas;* at noſtro more ipſa tela, ſtamen, percurrit pectinem. Iam *κερκίδα* quoties alias occurrit, eſſe fere videmus acutum quid, radium, virgam, bacillum. In Sophoclis Antig. 976 Phinei filiis oculi effoſſi *κερκίδων ἀκμαῖσι*, apud Antonin. Lib. 25 Orionis filiae *ἐπάταξαν ἑαυτὰς τῇ*

κερκίδι παρὰ τὴν κλεῖδα in collo et mortuae corruunt. Euryſtheo oculos effodit Alcmena κερκίσιν apud Apollod. II, 8, 1. Porro *pectinem* et *radium* eſſe eundem, apparet inf. ex Aen. IX, 476 *Excuſſi manibus radii reuolutaque penſa*, quod verſum eſt ex Homerico ſupra memorato, vbi κερκὶς erat. Ergo *pecten*, *radius*, κερκὶς, deſignant eandem ſeu ſimilem rem. Etiam *radio* pulſantur fides lyrae, vt et *pectine*: docent autem monumenta, hunc fuiſſe tenuem bacillum vel virgam variis formis effictam.

Si itaque quaeritur, qui ſit *pecten* et κερκὶς in textrina antiquiore, neceſſe eſt vſum eius fuiſſe in discriminandis filis ſeu ſtaminibus, ſiue vt via pateret immittendo ſubtemini, ſiue vt ei inuolutum vel circumuolutum affixumue eſſet ipſum ſubtemen transmittendum per ſtamina: hoc alterum forte dixeris probabilius, quia *argutus pecten* in noſtro dictus eſt, et alibi ei ſtrepitus tribuitur: v. ad Ge. I, 294. add. locum v. 46—48 in Epithal. Laurentii et Mariae in Wernsdorf. Poet. Lat. min. Tom. IV. P. II. p. 495 paſſim in Anthol. vt in Antipatri Carm. XXII ſec. Brunck. Archiae Carm. XI. Vt ſubtemen coiret et condenſaretur, *ſpatha* erat, forma tamen prorſus diuerſa a noſtro inſtrumento, quo trama denſetur. Atque haec, in editione priore ad h. l. et ſup. ad Ge. I, 294 recte expoſita, vt in altera editione deſererem, nullo adduci modo debebam.

Videntur ſane in texendi arte et inſtrumentis nonnulla diuerſum in modum ſe habuiſſe ſequioribus temporibus; nam locus apud Ouidium Met. VI, 54 ſqq. noſtrorum temporum texturae magis conuenire videtur: quae tamen et ipſa eſt admodum diuerſa in diuerſis generibus: ea, qua homines in eo genere, quod *hauteliſſe* appellatur, vtuntur, proxime accedit ad antiquiorum morem: vt taceam morem texendi Indorum, Islandorum aliorumque rudiorum populorum, qui antiquiori texendi rationi maxime reſpondere videtur. Verum hic de textrina apud Virgilium ad Homericum exemplum comparata agebatur.



EXCVRSVS II

De acceſſu Aeneae ad Italiam.

VII, 29 ſqq. *Atque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum Proſpicit* etc. Appellunt tandem Troiani ad Italiam, ſecundum Virgilium ipſa Tiberis oſtia ingreſſi: *et laetus fluuio ſuccedit* (Aeneas) *opaco;* cf. 201 *Fluminis intraſtis ripas;* it. 303 *optato conduntur Thybridis alueo*, ſuper quibus locis fruſtra argutatur Cluuer. p. 880. 881; facta tamen, quod omnium quoque conſenſu traditur, eſcenſio ad orientale littus in Laurentum agro. Locorum formam Exc. III animis ſubiiciemus.

Vix in grato ſolo conſederant, cum noua prodigia eos exceperunt. Nam humi recubantes, et, vt a longa nauigatione feſſi facere ſolent, cibo potuque ſe reficientes, pro menſa panem pomis, quibus veſcuntur, ſubiiciunt, moxque, coena facta conſumtis et his, *ſe menſas comediſſe* adeoque vetus vaticinium, ex nonnullorum fide iam olim a Sibylla Erythraea datum, quod hunc errorum terminum figebat, ne ad vlteriores occidentis oras pergerent, ad

euentum perduxisse vident, vt a poeta copiose narratur; nec id sine dignitate epica factum, vt iam alias declaratum est. conf. Excurs. VIII lib. III. Frequentata est fabula omnium, qui de Troianorum in Latium aduentu meminerunt, memoratione; plerumque simpliciter, sine mensae materia expressa, vt in Conone 46, vbi λόγος οὗτος κατημάξευται, siue Conon siue Photius adiecit, tritam esse fabulam significans. Sed inest diuersitas in mensae materia, quam alii non libum sed apium fuisse tradiderunt. Dionys. I, 55 vtriusque narrationis facit mentionem, σέλινά μεν πολλοῖς ὑπέστρωτο, καὶ ἦν ταῦτα ὥσπερ τράπεζα τῶν ἐδεσμάτων· ὡς δέ φασί τινες, ἴτρια καρποῦ πεποιημένα πυρίνου, καθαρότητος τῆς τροφῆς ἕνεκα. Etiam Dio in Exc. Vales. n. III τραπέζας σελινίνας οὔσας memorat ἢ ἐκ τῶν σιληροτέρων μερῶν τῶν ἄρτων (ignorauit Dio aut Tzetza potius ad Lycophr. 1232, vnde haec a Valesio ad Dionem retracta sunt, panem priscis hominibus nihil aliud quam crustulum et placentam fuisse; ignorauit quoque Victor O. G. R. 10 *consumto quod fuerat cibi, crustam etiam de farreis mensis, quas sacratas secum habebat, comedisse)* et Domitius apud Aurel. Victor. O. G. R. 12 *mensarum vice sumendi cibi gratia apium, cuius maxima erat ibidem copia, fuisse substratum, quod ipsum consumtis aliis eduliis eos comedisse* etc. Diuersitatem narrationis post tot harum rerum in superioribus exempla non modo aequo animo ferre didicimus, verum etiam, quid inde sequatur, quomodo a pluribus tale argumentum tractatum, aut iactatum multo sermone, quantaque inde poetae rerum copia ad manum esse debuerit, satis vidimus. Hanc tamen diuersitatem narrandi admodum miratur Toupius in Emendatt. in Suidam P. I, p. 38. 39, cumque inter alia placentarum genera, quae infinita apud veteres sunt, in σελήνας incidisset, quae lunatae et μηνοειδεῖς erant, totum de *apio* commentum *ortum habuisse ex corrupta illa lectione historici alicuius veteris, quam bona fide exhibuit Dio*, τραπέζας σελινίνας. *Atqui scriptor iste — procul dubio dederat* τραπέζας σεληνοίας: coniectat ingeniose et scite; nec tamen vere.

Sane quidem plures, Italicas inprimis, fabulas a verborum similitudine ductas nemo neget. Hoc ipsum de mensis comestis vaticinium verborum lusu contineri supra vidimus; et aliorum quoque populorum fabulae, in primis Romanenses, a nominum similitudine vel vario significatu petitae sunt, ingeniis hominum agrestibus et incultis in iis fere ad maiora se acuentibus. Ita de Melusina fabulam satis probabiliter suspicantur viri docti natam esse ex aequiuocatione vocis Celticae *Melus*, quae suauem et amabilem notat, et alterius vocis *me* et *lusen*, quae media sui parte serpentem esse significat. Ne tamen simile quid in Toupii coniectura locum habeat, facit hoc, quod σελῆναι inter pistoria opera exquisitioris artis fuerunt, quae adeo ab horrida antiquitate aliena sunt, nec, quomodo historicus res Troianas exponens, cum de panibus dicendum esset, placentas rarioris formae et nominis subiicere potuerit, intelligitur. Saltem hoc dicendum erat, fuisse forte veterem aliquem tragicum, qui, quod poetae licet, vbi oraculi illius vel euentus meminisset, pro pane vel placenta, quae priscis hominibus pro pane erat, genus exquisitius σελήνας aut τραπέζας σεληναίας poneret; etsi vel sic alia difficultas manet, quod non σεληναῖα πλακοῦντα illa dicta, sed ἐπισέληνα. Neque autem improbabile fit, etiam sine vocabulorum soniue fraude ad apium panes seu placentas deduci potuisse. Fac fuisse aliquem, qui, cum oraculum omnino pronuntiasset, sedes fore eo loco, quo mensas essent absumturi Troiani, aut cum rei euentus, non declarata satis ratione ac modo, narratus esset, vt a Lycophrone factum videas v. 1250 — 1253, deductos Troianos in Italiam et in herba recubantes exhiberet, vt Virgilius fecit; quidni pro mensis dederit herbas cibis substratas? cumque eas ipsas essent comesturi, genus tale ponere debuit, quod edule esset et in talibus locis frequens. Tale autem apium esse, nemo facile ignorat, nisi verba forte ac sonos discere ac tenere consueuerit notione nulla subiecta. Nam condonandum est viri doctissimi elegantiae quod inter cetera posuit: *Vidistin quidquam inficetius aut ridiculum magis? Troianos pro mensis* apium

adhibuisse, atque eo denique, more Asinorum, vesci potuisse. Non assequor, quid ille de hac planta statuerit. Etsi enim apii nomen latius patet, et incertum est, quale apii genus *veterum apium* sit, cum alii cum Matthiolo *petroselinum* nostrum, alii nostrum *Celery* id habendum esse statuant (verum apium in Aegypto se reperisse Alpinus rer. Aegypt. III, 9, p. 158 asserebat; erat de eo narratio apud Theopompum, lib. VIII Philippic., vt ex Theonis Progymn. 2 intelligo), manet tamen hoc, inter edulia illud fuisse. Si tamen fabulae caussa et ratio a verborum lusu reuocanda esset, potiore loco haberem Fabricii ad Dionem coniecturam, ex permutatione vocum τῆλις, quod foenum graecum, silicia est, vnde τήλινον vel σήλινον ἄλευρον dictum, aut forte ex voce τηλία vel σηλία, quae pistorum arca vel tabula frumentaria est, in σέλινον aliquem incidisse. Sed, vt diximus, alienae sunt a re tales argutiae; nec res tanti est, vt diutius ei inhaereas. Nobis de poetae copiis instituta erat disputatio.

Alterum prodigium, quod Troianis in noua terra obiectum fuit, est sus cum XXX foetibus. v. VIII, 81 sqq.; fabula quidem nihil per se habens vel dignitatis, vel suauitatis, qua tamen vix alia inter Romanas origines celebratior; etiam multis numis, inprimis Adriani et Antonini Pii, insignita; forte etiam gentis Sulpiciae, scrofa inter Dioscuros, Penates, iacente. Nam Lauinio condendo locus, et post XXX annos deducendae coloniae Albae Longae tempus, ab eo ostento peti solebat. Vetustatem ipsa declarat immundi animantis commemoratio, ab elegantiore aeuo abhorrens. Omnino prisca Italia magnos suum greges alebat, inprimis Etrusci et Galli, adeo vt scrofam inueniri contigerit, quae mille porcorum gregem ex se prognatum duceret. V. loc. non indignum lectu Polybii Exc. Vales. XII, 2. Itaque poeta, qui mythis domesticis Graecis fabulis intexendis nouitatis iucunditatem captabat, ad popularium suorum iudicium non insuauiter aut leuiter suem albam commemorasse videri debet. Poterat forte rem ornare, cum etiam haec de alba sue fabula multis modis a veteribus

narrata sit, quas, cui libuerit, apud Dionys. I, 56, Sext. Aurel. Vict. 12 ex Catone, Lycophr. 1257 sqq. (Locus in eo sic interpungendus: Κτίσει δὲ χώραν ἐν τόποις Βορειγόνων, Ὑπὲρ Λατίνους Δαυνίους τ' ὠκισμένην Πύργους, τριάκοντ' ἐξαριθμήσας γονὰς Συὸς κελαινῆς [nigram pro alba memorat] etc.) et Tz. ibi et ad 1232 (vnde in Dionis Excerpta locus inseritur), Varron. de L. L. IV, p. 35. ed. Dordr. Seruium ad III, 390. VIII, 43. 81, et ex Fabio Pictore ap. Syncell. Chronogr. p. 199 D. cognoscere licet; quo ipso poetae defensio parata est, cum fabulam tam insignem omittere noluerit. Signum eius suis Lauinii ostendebatur: quod narrat Varro RR. II, 4, 18, et, quod mireris in poeta locorum et rerum Latii alioqui admodum ignaro, Lycophron. 1259. 1260, Ἧς (συὸς) κῲ πόλει δείκηλον ἀνθήσει μιᾷ | χαλκῷ τυπώσας κῲ τέκνων γλαγοτρόφων. (vbi ipse Aeneas dicitur esse is, qui *ἀναθήσει*, *consecrabit* illud signum) eoque loco, quo sus cum porcellis immolata fuerat, sacellum (ἡ καλιὰς) Dionysii aetate supererat lib. I, 57. Rem seciſſe inutilem videri potest poeta in hoc, quod Tiberinum deum facit praedicentem ostentum (VIII, 42 sqq.); cum praedictum hoc idem iam olim esset ab Heleno lib. III, 389. Verum etiam in hoc veterem auctoritatem secutus esse deprehenditur ex Dionys. I, 56, vbi narratio vulgaris exponitur. Sequitur enim Aeneas porcam ab ara se proripientem in mediterranea, cumque in colle, vrbi condendae parum idoneo, procubuisset, repente vox ex nemore allapsa dubitantem confirmat. At de auctore vaticinii tradiderant alii aliter. Nam vna cum oraculo de mensis absumtis Dodonae vel Erythris datum illud prodiderant ii, quos Dionysius sequitur lib. I, 55, et ex Caesaris et Lutatii fide, qui eosdem fere auctores habuisse videntur, Sextus Aurel. Victor c. 11 *Scrofam* narrat *incientem*, (grauidam) *quam cum e naui produxissent, vt eam immolarent, et se ministrorum manibus eripuisset, recordatum Aeneam*, quod aliquando ei responsum esset, *vrbi condendae quadrupedem futuram ducem*. Scilicet, vt ex h. l. intelligitur, scrofam in nauibus Ilio aduectam narrauerant alii, vt

Lycophron. l. c. 1256 Συὸς κελαινῆς, ἣν ἀπ' Ἰδαίων λόφων| Καὶ Δαρδανείων ἐκ τόπων ναυσθλώσεται — Et Varro de LL. l. c. Alba — *id ab sue alba cognominatum. Haec e naui Aeneae cum fugisset Lauinium, triginta parit porcos. Ex hoc prodigio post Lauinium conditum annis triginta haec vrbs facta, propter colorem suis et loci naturam Alba Longa dicta.*

De *loco, in quo sus inuenta est,* adhuc nonnulla monenda sunt, cum poeta eum ita declarare videatur, quasi *eodem in loco* mox vrbs condenda et condita fuerit: nam Aen. III, 389 sq. Helenus: *Quum tibi sollicito secreti ad fluminis vndam Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus Triginta capitum fetus enixa iacebit, Alba, solo recubans, albi circum vbera nati:* Is locus vrbis erit; *requies ea certa laborum.* Et VIII, 42—48 vbi oraculum a Tiberino repetitur: *Littoreis ingens* — (si modo, quod dubito, vss. 46. 47. 48 recte ibi locum habent) Memorat ergo poeta locum ad Tiberim, *secreti ad fluminis vndam,* et *hic* vrbem condendam esse. Atqui in iis locis vrbs condita ab Aenea memoratur nulla.

Conueniunt tamen in eo plura Virgilii loca, vrbem ab Aenea conditam esse, ex qua reliquus fatorum ordo ductus esset. vnde statim Aen. I, 5. *Multa quoque et bello passus, dum conderet vrbem, Inferretque deos Latio.* Eam *Lauinium* fuisse, dubitare non sinit ipse poeta lib. I, 259 Iupiter ad Venerem: *cernes vrbem et promissa Lauini moenia.* Hic Aeneas bellum geret, *moresque viris et moenia ponet,* et hinc Ascanius *regnum ab sede Lauini Transferet et Longam multa vi muniet Albam.* In ea vrbe deponenda erant sacra ac Penates: lib. II, 294. 295. III, 159. 160. Et lib. XII, 193. 194, vbi Aeneas: *mihi moenia Teucri Constituent, vrbique dabit Lauinia nomen.* Verum ea longius fuit a Tiberi et a loco Suis inventae remota. Dices Lauinium serius esse conditum, et *aliam vrbem* iam *antehac* fuisse eductam *ad Tiberim,* ad quam spectauerit vaticinium. Verum post escensum statim ad Tiberim munita fuere *Castra* lib. VII, 157 sqq. de qui-

bus v. Excurſ. III. At vrbs condita fuit haud dubie Lavinium.


Scilicet ab vſu loquendi haud eſt alienum, vt *hic* et *is* latius, vicinis locis comprehenſis, accipiatur: quod multo magis accommodatum erat vaticinio obſcure res enarranti: *Is locus vrbis erit;* ea terra, in qua iuxta amnem ſus inventa fuerit; non autem ſpatium illud terrae, in quo ſus iacebat: vt nec *tempus* vrgendum eſt in oraculo: quaſi ſtatim poſt eſcenſum factum ſue conſpecta, et menſis ambeſis, (lib. III, 255—257) vrbs condenda fuerit. Subuenerant tamen ſcriptores antiquae famae de vrbe in loco, in quo ſus inuenta fuerat, condenda, dum hoc adiiciebant: Suem iamiam mactandam effugiſſe, et Aeneam, qui eam perſequutus erat, peruenisſe ad eum locum, in quo aliquando vrbs condita fuit: v. Dionyſ. I, 56 ſupra laudatum, et Aurel. Vict. O. G. R. c. 11. Iterum tamen variatam reperimus narrationem, cum vaticinium modo ad Lauinium, modo ad Albam Longam referri videamus in iisdem ſcriptoribus. Obſcura quoque eſt Maronis ſententia (in vaticinio l. c. III, 387—393 et VIII, 42 ſqq.); ſed oſtentum ad Albam Longam ſpectare ſatis diſerte declarat, vrbem ab Aenea conditam eſſe Lauinium; etſi ſuem eo ſtatim loco mactat, quo ea viſa fuerat VIII, 81—85.

Commemorata haec a me ſunt etiam propterea, quoniam vidi viros doctos duplicem Albam ex his Virgilianis locis prodidiſſe. Sunt *Xauerii Matthaei per faturam exercitationes* Neap. 1759, qui pag. 59 *diuerſam ab Alba Longa* aliam *veterem Albam in Tiberis* littore fuiſſe ſtatuit, eamque a poeta his verbis declarari: *Hic locus vrbis erit — ex quo* (loco, vnde) poſt XXX annos, *Aſcanius clari condet cognominis Albam.* Atqui iſtius antiquioris Albae nusquam alibi facta mentio occurrit.

Hactenus poetam veteres fabulas ſuſcipere vidimus; ſed hoc non ſine iudicio factum etiam ex hoc iudices velim, quod alias in eadem re non infrequentes nec obſcuras fabulas ſprenit et neglexit; qualis illa eſt, quam Dionyſius tamquam ab indigenis acceptam narrat lib. I, 55, quod eſcenſu

facto in magna aquae penuria scaturigo ex solo emicuit. Fons Solis inde appellari coepit, cum binis aris adstantibus. Aliud oraculum Apollinis Delphici, vt Aeneas ibi consideret, vbi duo maria inuenisset, e Domitio apud Sext. Aurelium Vict. c. 12, sed indocte, narratur, nam ad duo stagna aquae salsae in agro Laurente trahitur, quod ad mare Etruscum et Lacum Ostiensem referendum erat; vt iam monitum video a Cluuerio p. 882. Tandem ostentum in Lauinio condenda oblatum ignis sponte exorti, aquila ac vulpe super eo contendentibus, multo minus a poeta tractari potuit: etsi numis gentis Papiae nobilitata. (Vide vel Eckhel Tom. V, p. 267). Nata et haec anilis fabula videtur ex signis aquilae et lupi in foro Lauinii positis, quae Dionys. vidit, lib. I, 59.

Classem Troianorum in ipsis Tiberis ostiis incensam a mulieribus duce Roma quadam, tradiderant olim scriptores apud Dionysium I, 72 (p. 58), in quos inciderat Polyaenus Strateg. VIII, 25, 2, vbi idem Troianarum mulierum facinus exponit. cf. ad lib. V Exc. VI. Quod autem poetae *Thybris*, non *Tiberis* scribitur, qua de re tam multa argutantur Grammatici, illud ad dignitatem epicam spectare puta, cum forma vocis sit magis recondita ex Graecis poetis et scriptoribus translata, quibus Θύμβρις et Θύβρις est, sono ipsis magis frequentato.



EXCVRSVS III

De locorum, in quae Troiani escensum fecere, situ: adeoque de agro Laurente et Troia noua, vrbibus Laurento et Lauinio, Numicio fl. Iuturnae lacu, et vrbe Alba Longa.

Nunc *de locorum*, ad quae ex posteriorum Aeneidis librorum res dispositae sunt, *situ* paucis videbimus, quantum quidem ad consilium nostrum conferre videri potest. Nam alio et suo more tractarunt haec Cluuerius Ital. ant. et Vulpius Latio ant.

Escendisse Troianos ad *littus Tiberis orientale* locus VII, 29—36 diserte docet. (Nam ex illo versu VII, 241. 242 *inssisque ingentibus vrget Apollo Tyrrhenum ad Thybrim et fontis vada sacra Numici*, parum docte appulsum Troianorum ad Numicii fl. ostia transtulere nonnulli, in quorum aliquem incidisse videtur Zonaras, qui

idem fere tradit. Sed Numicium posuit Maro poetica ratione omnino ad regionem designandam). Faciem littoralis plagae et Tiberini ostii describit poeta admodum diversam ab ea, quae nostro aeuo conspicitur. Nunc arena multa obtinet, aut ager apricus; idque iam Rutilii tempore ita se habuit, Itin. I, 181. *Laeuus inaccessis fluuius vitatur arenis, Hospitis Aeneae gloria sola manet.* at Aeneas *ingentem ex aequore lucum Prospicit; hunc inter fluuio Tiberinus amoeno Vorticibus rapidis et multa flauus arena In mare prorumpit* etc. Quae tamen nemora non soli poetae ingenio deberi credendum est. Nam primum incultarum terrarum, antequam habitatores nactae sint, plerumque is habitus est, vt siluosae et paludosae sint; tum alia passim veterum poetarum loca, vbi de Romae originibus tradunt, vtramque Tiberis ripam arboribus densam exhibent. Tandem meliore etiam Italiae cultu Romanorum tempore littus hoc Ostiense lucis abundasse Lancisius docuit in Diss. de Villa Pliniana in Opp. P. II, p. 122, vbi in aggestiones littoris Ostiensis factas, solo in mare ad III milliaria producto, post alios viros doctos inquirit.

Igitur a laeua seu orientali Tiberis littore late, ex poetae non modo mente, sed et ex vera locorum indole, patuit silua, et ea quidem adhuc Commodi tempore *lauris* frequens, vt ex Herodiano intelligitur lib. I, 56. Tenebant haec loca *Aborigines rege Latino*, ipsi *Laurentes* dicti: lib. VI, 892 *Laurentes populos vrbemque Latini.* Idem nomen vrbis, *Laurentes* vel *Laurentum*, ab inuenta, dum condebatur, lauro; vt VII, 59 — 62 narratur: id quod poetae relinquendum; potuerunt enim etiam aliae nominis esse caussae: forte ipse laurorum per haec loca laetus prouentus. Ager autem vsque ad mare ac Tiberim patens *Laurens* vel *Laurentinus* fuit dictus. Nomen tamen interdum Maro, vt poeta, latius ad totum Latium traduxit: vt cum lib. VII, 650 *Turnum Laurentem* appellat, et *Laurentem Maricam* lib. VII, 47. Ex quo quidem loco male nonnulli Laurentes vsque ad Lirim habitasse collegerunt.

Nec illud turbare quenquam debet, quod et Latini vrbem *Laurentem arcem* poeta, VIII, 1, aut *Laurentes muros* lib. X, 671, et idem *Laurentia caſtra* lib. X, 635, nouam Troiam appellat. In epithetorum ornamentis nulla ſubtilitas a poetis et religio expectatur.

Aeneas e loco, ad quem appulſa claſſe copias eduxerat, altero die miſſis, qui vicina explorarent, oratores Laurentum ad regem Latinum legat. Interea *caſtra* munit VII, 157. 159, qui locus inde *Troiae* nomen obtinuit. Eo alluſum lib. X, 26 *muris iterum imminet hoſtis Naſcentis Troiae*. cf. v. 74. 75. In Troiae huius, Laurenti, Lauinii et Lanuuii nominibus valde turbant aut nugantur Grammatici, antiquiores et ſeriores hiſtorici, vt Seruius paſſim. Ita Charax Ardeam appellarat Τροίην ap. Stephan. Byz. in Ἄρδεα. Dio ex Tzetza excerptus p. 21. 42 Λαύρεντον τὸ καὶ Τροίαν λεγόμενον. Appian. in Excerpto ex Photio Cod. 57 *littus Laurentum* et *oram maritimam Troiam* dictam perperam narrat. Satis eſt ſemel de hoc monitum eſſe. v. inpr. Vulpii Vet. Lat. Tom. VI, p. 13 ſeqq. Sed et veteres paſſim ſcriptores, vt Strabo V, p. 330 B. (p. 229) Troianos egreſſos ſtatim Lauinium condidiſſe aiunt. Nomen Troiae ex Liuio iam notum eſſe poteſt, lib. I, 1 *ab Sicilia claſſe Laurentem agrum tenuiſſe: Troiae et huic loco nomen eſt. Ibi egreſſi Troiani.* Et Seruius ad VII, 158 *Et ſciendum, ciuitatem* (parum proprie dictum), *quam primo fecit Aeneas Troiam dictam ſecundum Catonem et Liuium.* Quatuor a mari ſtadiis ſeu paſſus quingentos eam diſtare Dionyſius adiicit lib. I, 53, vnde recte Virgilius VII, 158 *primas in littore ſedes* dixit. Strabo enim, qui lib. V, p. 229, XXIV ſtadia memorat, de Laurento loquitur, non de Troiae ſitu. cf. Cluuer. p. 880, et Vulpius l. c. p. 40 ſqq.

Locus hic a Troianis captus munitusque (χάρακα ἔθεντο etiam Dionyſ. I, 53), quem *Troiam nouam* appellant ſcriptores, eſt is, quem poeta fere *caſtrorum* nomine ac notione deſignat, quemque Turnus oppugnat lib. IX. Τειχομαχία caſtrorum Achiuorum partem Iliadis conſtituit

insigniorem. Sed Maro similem pugnam locorum situ variauit praeclare. A dextra moenia ad amnem pertingebant (IX, 469 *nam dextera cingitur amni)*, quam partem Turnus in castris interceptus petiisse putandus est (v. 790 *Turnus paullatim excedere pugna, Et fluuium petere ac partem, quae cingitur amni)*; inde enim se in Tiberim saltu immittit v. 815. In proximo subducta erat classis Troianorum, aggere cincta et fluuio tuta IX, 68 sq. *Classem, quae lateri castrorum adiuncta latebat, Aggeribus septam circum et fluuialibus vndis Inuadit.* Ab altera parte mare erat; nam *porta* castrorum *proxima ponto* commemoratur IX, 238. cf. Seru. ad c. l. et ad VII, 31. Erat tamen campus inter mare et castra satis patens, quo Rutuli ordines explicare et vrbem oppugnare poterant. Nam Troiani *murorum in parte sinistra oppositere aciem* etc. IX, 468. Ex hoc locorum situ etiam illustranda est Nisi et Euryali nocturna profectio. v. ad lib. IX, 195.

Non longe a castris his et a Tiberi versus orientem aberat *Laurentum*, eo loco situm, qui nunc *Paterno* et *Torre di Paterno* vocatur, vt docent Cluuer. Ital. ant. p. 883 et ex Fabretto Vulpius Vet. Lat. Tom. VI, p. 29. Locum *S. Lorenzo* alii perperam Laurenti vestigia habere crediderunt. Ad vrbem iter Aeneas fecit agmine ad laeuum, a septentrione, circumducto, per saltus et cliuos siluis illo tempore consitos: de quibus v. inf. XI, 513 sqq. 522 sqq. Ad dextram versus littoralem plagam aperiebat se camporum planities, in qua equestris pugna facta, In eosdem campos descendebat agmen pedestre, cum ad vrbem appropinquaret: XI, 903—907. Castris ibi positis altero die, foedere et certamine singulari inter Turnum et Aeneam frustra constituto, tumultuaria exoritur pugna: quam cum in neutram partem inclinari videret Aeneas, subito partem exercitus ad vrbem oppugnandam admouet. Tandem in eadem camporum planitie concurrunt Turnus et Aeneas pugna facta, quae Aeneidem absoluit. Fugit fracto ense Turnus: inclusum se videt vndique a corona

ſpectantium. *Atque hinc vaſta palus hinc ardua moenia cingunt* XII, 745. Scilicet hae ſunt *paludes Laurentinae*, ad vrbem vsque productae: quibus Laurens hic tractus etiamnum inuius et inacceſſus eſt: idem tamen apris frequens, quos toties poetae memorant. v. Cluuer. p. 886. 887. Vulpius l. c. p. 36. Et de iis ipſe Maro lib. X, 107 ſqq. *aper*, quem multos annos *defendit palus Laurentia, ſilua paſius arundinea.* Erat igitur paluſter hic tractus paſſim ſiluis conſitus: vti omnino magnam agri Laurentini partem *ſilua Laurentina* occupabat. Latius tamen ea antiquioribus temporibus procedere debuit. Ea eſt, de qua lib. IV vſ. 381 ſqq. accipiendi: *Silua fuit late dumis atque ilice nigra Horrida.* Per has fugam faciebat Niſus caſtris egreſſus ad interiora loca verſus montes Albanos, et qui iis ſubeſt, lacum Albanum, ad quem Latinus armenta tum habebat: ibid. 387 ſq.

A Laurento ſi ad orientem paullo altius in mediterranea proceſſeras, III M paſſuum a mari, *Lauinium* ab Aenea fuit conditum: *vrbs et promiſſa Lauini moenia* lib. I, 258. Tria iſta paſſuum millia redeunt ad XXIV ſtadia, quae Strabo lib. V, p. 350 B et Dionyſ. I, 56 memorant. A Roma aberat millia paſſuum XX. Sita vrbs ἐπὶ λόφῳ τινὶ ap. Dionyſ. I, 45, ſiue collis is fuit, in quo nunc *S. Petronellae fanum* eſt, v. Cluuer. p. 894, ſeu non longe ab hoc loco collis, qui nunc *Monte di Levano* appellatur. Ita Holſtenius ſtatuebat: v. Vulp. l. l. p. 31 et 86. Ibidem alii pro vetere Lauinio habuerunt oppidulum *Patrica* vel *Pratica*, quod MIb paſſus ab eo colle abeſt. Iis Vulpius hactenus accedendum ſtatuebat, vt ibi *lucus Patris* vel *Iouis Indigetis* fuiſſe videatur; eſſe enim nomen a *Patre* Indigete ductum: nec longe abeſſe fontem Numicii, ad quem Lauinium ſitum fuiſſe vno ore omnes tradunt. In hanc vrbem delati ſunt Penates Troiani: de quibus ſup. Exc. IX ad lib. II egi: Varro de LL. IV, p. 33 *Oppidum, quod primum conditum in Latio ſtirpis Romanae Lauinium; nam ibi dii penates noſtri. Hoc a Latini filia, quae coniuncta Aeneae, Lauinia appel-*

lata: in editiſſima collis parte, et quidem Veneris Frutis templo, cuius etiam Strabo V, p. 355 A (p. 232) meminit, conditi, ſi Solinum audias c. 8, vbi v. Salmaſ. p. 49, atque in eo loco relicti, etſi Alba longa condita et ſede regni facta. Etiam ea in re portentum interceſſit, quod Dionyſ. I, 67 exponit, et de quo auctoritatem Annalis Pontificum, Cincii, Caeſaris, Tuberonis excitat Victor O. G. R. 17. Colonorum quidem numerus non adeo magnus eſſe potuit ab initio, ſiquidem iis Io, vel, vt alii tradiderant, IoCC iugera ſatis fuere ad arandum: v. inf. ad lib. XI, 316 ſq. Duxit enim ex ea narratione Maro agrum ſuum a Latino rege, vt Troianis aſſignaretur colendus, propoſitum, vt ibi videbimus. Nomen vrbi a *Lauinia* inditum conſtans fuit fama a maioribus accepta, etſi, quae illa fuiſſet, varie erat traditum: v. Dionyſ. I, 59. Lauinum quoque Latini fratrem videntur prodidiſſe olim quidam, vt e Seruio colligas ad lib. VII, 59. Sed de his, aliisque, quae ad conſilium noſtrum non faciunt, videndi Cluuerius et Vulpius Lat. ant. Tom. VI. add. Lucatelli Diſſ. in *Diſſ. dell' Accademia di Cortona* Tom. VII, p. 109. Hoc vnum monebimus, *Laurolauinii* nomen ad ſeriora tempora poſt Veſpaſianum ſpectare; colonia forte ex Laurentibus et Lauinatibus in vnam vrbem conſcripta. Peccat in hoc Seruius ad VII, 59 et alibi cum aliis.

Nobis *Numicius* adhuc verbo commemorandus eſt, inter Laurentum ac Lauinium defluens amnis, alteri huic tamen propior. Eum ſub monte S. Petronellae ex antro in ſubiectos agros pronum decurrere narrat Cluuer. Ital. ant. p. 894. At ex lacu Nemorenſi prodire et nunc ſub nomine *Rivo di Nemi* latere Ligorius tradidit. Sub oppido Patrica alii eum inueſtigarunt: quod tamen ad eadem loca ſpectat. Alii nunc exaruiſſe eum affirmant; et interceptum amnem iam Seruius notauit ad lib. VII, 150. In hoc fluuio Aeneas, pugna ad eum ſeu cum Etruſcis ſeu cum Rutulis facta, interiiſſe, certe oculis ſublatus eſſe creditus eſt: factum ei ad ripas ſacellum, cum luco, *Iouis* vel *Patris indigetis* nomine; aut, quod credere par eſt,

antiquioris numinis in hoc loco a priſcis Latinis culti ſacra ad Aeneam retulere ſeriores: vti tot alia veteris Latii numina ex ſuis opinionibus interpretati ſunt Romani. Inde Numicii nomini religio aliqua ineſſe coepit. Vtitur eo poeta aliquoties omnino ad deſignandum Latium: v. c. VII, 242. Fontem fluuii lacum vel ſtagnum fuiſſe tradunt ex Aen. VII, 150 *haec fontis ſtagna Numici:* Sed ſi grauior auctoritas alia nulla eſt, poetam ornate pro fonte ſtagna fontis dixiſſe arbitrari malim. Etſi toto ſuo decurſu fluuiolus lacubus interceptus tardoque ac tacito motu ſimilis ſtagno fuiſſe videtur, nam alueum habuit vluoſum et limoſum: Ouid. XIV Met. 598. 599 *Littus adit Laurens: vbi tectus arundine ſerpit In freta flumineis vicina Numicius vndis:* et v. 601 *tacito curſu* de eodem.

Haud longe a Numicii fonte, nec niſi VI M paſſuum interuallo, *Iuturnae* fuit *lacus* et fluuius et fons: quem ex montis Albani radicibus, vtque perhibetur, ex occultis lacus Albani meatibus, prodeuntem in occidentem ferri, mox in lacum haud magnum diffundi, inde in Tiberim deferri eique V milliario ab Oſtia, VII ab vrbe Roma, miſceri tradunt Cluuer. p. 722 et inde Vulpius Lat. ant. Tom. VI, p. 225. Eſſe ei nomen nunc *Treglio;* lacum tamen, ante centum et quod excurrit annos, fere totum exaruiſſe hic idem teſtatur Tom. V, p. 218 (quo tamen loco Iuturnae lacum cum altero illo confundit, quem poeta lib. XII, 745 memorat). *Iuturnam,* Nympham, Turni ſororem, adeoque Dauni filiam (vnde XII, 785 *Daunia dea* eſt), edidit Maro noſter: an vetere auctoritate, non conſtat; argute tamen ſeu inueniſſe ſeu vſurpaſſe dicendus eſt. Fontis enim in iisdem locis ſiti numen curare populares ſuos et tueri aduerſus aduenas recte videri poterat. Etiam hoc ad locorum ſitum ſpectat, quod Iuno cum Iuturna actura in Albanum montem deſcendit lib. XII, 134 *At Iuno e ſummo.* Fuiſſe Iuturnae nomine deam Latii indigenam, et quidem fontis numen, ſatis conſtat. Argutatus eſt in nomine iam Varro LL. IV, 10 eſſe ductum a iuuando eiusque fontem haberi ſaluberrimum. Adiiciunt alia commenta

Seruius ad XII, 139 et alii. Fuit tamen Romae quoque *Iuturnae lacus* et *fons:* vide v. c. Ouid. Fast. I, 708 seqq. et post alios Vulpium Vet. Lat. Tom. I, p. 346 sq.; itaque et *Iuturnalia* festum. Fontium omnino nympham edere voluisse videri potest Virgilius XII, 139. 140 Diua — *stagnis quae fluminibusque sonoris Praesidet* et v. 142 *Nympha decus fluuiorum:* Sed, tamquam poeta, genus pro individuo posuisse videri debet, et ornamenta adiecisse. Ornans quoque epitheton *sonoris;* nec alia vis inesse putanda. Ornauit porro idem fabulam de nympha a Ione amata ibid. 140 sqq., quam suo more exposuit Ouid. Fast. II, 585 seqq. Alia Numicii fl. nympha fuit *Anna perenna,* parum lepide de Didonis sorore interpretata a poetis Romanis.

Ab his inde locis surgit campus in cliuum, qui ad montem Albanum ducit, in quo XXX a Lauinio annis condita est ab Ascanio *Alba Longa:* quae res ostento suis albae iam Aeneae fuit significata VIII, 81 seqq. *Ecce autem subitum* etc. Varro de LL. IV, p. 35 *Hinc* (Lauinio condito) *post XXX annos oppidum alterum conditur Alba: id ab sue alba cognominatum* — Albae exstructionem iam Iupiter Veneri praedixerat Aen. I, 267 — 271 *At puer Ascanius — et longam multa vi muniet Albam.* Vrbis conditae etiam alio loco meminit poeta lib. V, 597 *Ascanius, longam muris cum cingeret Albam.* Ab vrbe nomen accepit *mons Albanus.* Sed illo tempore, quo Aeneas Latium adierat, *Tum neque nomen erat neque honos aut gloria monti,* XII, 125. Sub monte *lacus Albanus:* de quo lib. IX, 387 *lacus, qui post Albae de nomine dicti Albani.* Qui minus accurate haec tradiderant, Albam ab Aenea conditam dixerant; vt ap. Conon. 46.

EXCVRSVS IV

Veteris Italiae origines, populi et fabulae ac religiones.

VII, 37 sqq. *Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum, Quis Latio antiquo fuerit status* etc.

Primum obseruandum est, Virgilium Latii res non persequi, nisi quatenus ad Aborigines spectant, adeoque eorum origines pro rerum in his locis initiis ponere; etsi, ante Aborigines, Siculos, partim etiam Vmbros, in his locis fuisse constat. Porro tenendum, Aborigines hos, seu, quod videbimus, Ausones, populorum per Americam ferorum et siluestrium more, dispersis per Italiam, ipso locorum inter amnes ac montes situ fines regente, sedibus, et in plures populos ac nomina diuisos, habitasse. Religiones adeo ac ritus sacrorum et numina domestica inter tot populos non omnino eadem fuisse mirum non est. Fuere tamen etiam religiones ac fabulae omnibus tamquam a communi stirpe ortis communes. Vtrumque genus in suam rem conuertit poeta: atque hinc in seq. libris *fabularum nouus ordo* exoritur: ex variorum Italiae populorum, Aboriginum maxime Latii, historiis et religionibus petitus. De vtraque re omninoque de vetere Italia paullo accuratius nunc dispiciendum est, vt pluribus Virgilii locis vna opera lux affundatur, vtque, quale historiarum veterum genus poeta, quoque iudicio amplexus sit, appareat. Nec vero sex posteriorum librorum lectione delectari potest aliquis, qui veteris Italiae statum non imbiberit animoque suo repraesentare sibi vitam illam antiquam possit. Procliuiore quoque studio ad declarandam hanc Italiae antiquitatem feror, quo plura viri docti, nulla subtilitate iudicii *(criticam historicam* appellamus) adhibita tradiderunt, quoque pauciora rite et ad scriptorum aeuique prisci fidem moremque sunt explorata et constituta.

Intra *Aboriginum stirpem* poetam Latii res continere et includere modo diximus. Qui illi fuerint, quaestio est

inter veteres et recentiores variis modis agitata. Ponemus hic ea, quae, poſt diligentem in his rebus alio loco collocatam operam, ex ceteris maxime nobis ſe probarunt, eaque aliis rationibus illuſtrabimus; quantum quidem ad doctam poetae interpretationem ſatis eſſe videbitur.

Fuere *Aborigines* ex antiquiſſimis veteris Italiae habitatoribus, ſed *poſt Vmbros* et *Siculos*. Quae de eorum origine vulgo tradita legimus, ex nominis fere cauſſis parum feliciter petita ſunt. Mihi vero ne id quidem liquere videtur, an antiquum eorum nomen illud fuerit. A ſeterioribus, qui antiquas res memoria vel litterarum monumentis repeterent, inuentum nomen puto, vt primos Latii et locorum circa Tiberim ad mare properantem cultores deſignarent, tamquam αὐτόχθονας, reſpectu ad aduenas habito, qui deinceps in eadem loca confluxerant. Obliterunt poſthaec Aborigines ſub Latinorum nomine, quod principio partem tantum populi, qui ſub rege erat, deſignaſſe, nec, niſi Albanorum regum creſcentibus opibus, latius patere coepiſſe videtur. Virgilius tamen, vt poeta, iam Aeneae tempore Latium et Latinos ex ſequentium temporum conditione aeſtimare potuit.

Antiquiorum auctorum, quos Dionyſius exſcripſit, fide conſtat, *Aboriginum* memoriae et nominis *prima veſtigia* circa Reate, vltra Velinum lacum et fluuium, in Vmbris occurrere. Ex his locis verſus mare vicina quaeque deinceps tenuerant, et in iisdem locis plura loca eorum memoriam ſeruabant Dionyſii adhuc tempore, quem vide lib. I, c. 14—17. 18 cum illuſtrationibus locorum, quas dedit *Cap Martin de Chaupy* (in *Decouverte de la Maiſon d'Horace* Tom. III, p. 112 ſqq.). Vt adeo Aboriginum nomen ad vnum aliquem non valde potentem aut late habitantem populum ſpectaſſe neceſſe ſit.

Mature cum barbaris illis promiſcue habitarunt Pelasgi; terram a populis per ſolitudines errantibus male habitatam facile occuparunt aduenae, vt noſtris aetatibus Americam. *Pelasgi* qua origine fuerint, nondum quicquam ſatis explorati habeo. Ex Thraciae quidem locis eos

in Graeciam descendisse satis liquet; liquet etiam hoc: a Phoenicibus eos habuisse litteras; vnde tamen perperam colligitur, eos Phoenicia origine et ipsos fuisse: hoc inter certiora refero, antiquissimo iam tempore Pelasgos cum Aboriginibus fuisse permixtos: id quod Dionysium adduxit, cum insigniores inter Romanos scriptores Catonem, Sempronium et alios Romanam originem ad Graecos referre videret, vt omnino Aborigines nullos alios ab origine quam Pelasgos fuisse arbitraretur, quod Cluuerius et plerique e nostris secuti sunt. Verum Dionysius rem ipse ita tradit, vt, *quid* ex iis, quae a se narrata erant, ad Romanorum opiniones comparatis, *sequatur*, non, quid verum et exploratum sit, exponere videri velit.

Pelasgorum tres potissimum fuisse in Italiam deductas colonias narrant vulgo fere omnes; vnam ab Oenotro ex Arcadia, XVII aetatibus ante bellum Troianum, alteram e Thessalia, Deucalioneo aeuo, et tertiam ab Euandro LX annis ante b. Troi., vt facile intelligas, non nisi serius a chronographis ex coniectura, secundum rerum et aetatum comparationem subtiliorem, haec esse constituta. Antiquissimus ille Oenotri et Peucetii ad Italiam accessus satis diserte a Dionysio exponitur lib. I, c. 11 sqq. De *Peucetio* v. inf. Excurs. VIII ad v. 691. Consedisse dicitur Oenotrus cum suis in sinu Lametino seu Hipponiate inferioris Italiae, qua Bruttiorum aliquando ager patuit; et primum quidem intra Lametinum et Scylleticum seu Scylaceum sinum se continuerunt, hinc ad Laum vsque fl. et Metapontum, tandem ad Silarum et Bradanum fines sedium extenderunt; mox et vltra eos ipsos fines progressi sunt; vti altera parte agrum obsederunt, qui Bruttiorum postea dictus est. Conf. quae ex Antiocho Syracus. narrant Strabo VI, p. 254. 255 et 264 f. Dionys. I, 35, II pr. Aristot. Polit. VII, 10, vbi et *Chones* ex Oenotriis fuisse narrantur; Nam, quod etiamnum per Americae solitudines euenire videmus, ex communi stirpe oriundae tribus, locis ac sedibus disitae, nouo nomine celebrari solent. Versus Iapygiam et ad Ionium Mare habitasse Chonas τὴν καλουμένην Σίριν Aristoteles ait l. c.

cf. sup. Exc. XXI ad lib. I. Male ex corrupto Stephani loco in Βρέττος Bruttios primos et ante Oenotrios incolas venditant nonnulli, vt nuper *Grimaldi*, vir cetera sagax (in *Annali del Regno di Napoli* T. I, p. 131. 138 sq.). Proprio nomine Oenotriam appellauit loca circa Aesarum et Crimisam, quae Philoctetes adiisse dictus est, Lycophron v. 911. 912.

Quando et quomodo Pelasgi ex his locis ad Aborigines illos in Vmbris finitima quaeque infestantes peruenerint, nec ipse Dionysius habet, quod afferat, nec res per se satis sit probabilis. Quomodo enim ad vlteriora progressa exigua Pelasgorum turba per tot barbaros populos ad mediam vsque Italiam penetrare potuisset? Verum ex tota Dionysii disputatione satis apparet, hos Oenotrios cum Aboriginibus, ex sumta illa opinione seu hypothesi, a Graecis Romanorum stirpem esse repetendam, permiscери, multoque peius pro iisdem haberi; vt mihi adeo satis liquere videatur, primae huic Pelasgorum coloniae, si modo ea vnquam fuit, nihil plane cum Aboriginibus esse commune, nec quicquam amplius teneri posse, quam hoc: antiquissimis iam temporibus de Pelasgorum sub Oenotro sedibus in inferiore Italia occupatis famam fuisse inter Graecos.

Altera Pelasgorum colonia, sub Deucalionea tempora deducta, ea est, a qua Aboriginum cum Pelasgis in vnum populum coalescentium origo repetenda videtur. Ex Thessalia illi eiecti alii in alias terras, pars per Epirum, oraculo Dodonae accepto, quod etiam Macrob. I Sat. 7 recitat, Ionium traiecerant, et tempestate vexati ad ostium Padi Spineticum appulerant. Ibi pars castra et vrbem muniunt, alii ad interiora terrae pergunt, et Vmbris primum, tum Aboriginibus lacessitis, vbi ad Cutiliam euentum habere vident Iouis Dodonaei responsum illud, cum his foedus faciunt, agrique parte accepta aduersus Siculos belli societatem ineunt hosque tandem ab vtraque Tiberis parte sedibus eiiciunt. v. Dionys. I, 18—21. Sed Pelasgi, ab egregio rerum hominumque auctu, aliquando post variis calamitatibus et dissensionibus domesticis agitati, in varias par-

tes disperſi ſunt. Pauci, qui remanſerant, Aboriginum nomini ſuum paullatim ſubmiſerunt. v. ibid. ad c. 30. Acceſſerunt mox Pelasgi ex Arcadia ſub Euandro, de quibus alio loco videbimus; tum Graeci cum Hercule aliique. Dubitari itaque non poteſt, in media hac Italia (nam de extrema Italia coloniis Graecorum variis temporibus occupata non agimus) magnam Aboriginum partem ab eo inde tempore Pelasgicae et Hellenicae ſuiſſe ſtirpis, multaque ex horum ſermone et religionibus illos adſciuiſſe. Quo ipſo poeta paratam habet excuſationem, quod multa in his locis ad Graecanicam religionem deflexit; eius enim veſtigia paſſim etiam Dionyſius agnoſcebat inprimis Faleriis c. 21.

Nec tamen Aborigines propterea Pelasgicae ſtirpis habendos videri pronuntiauimus. Recte, ſi quid videmus; Faciunt enim multa, quae hic enarrari nequeunt, manifeſtum, Aborigines ad *Auſonum* nomen pertinuiſſe, quod late per totam Italiam ſedes non vno nomine habuit, vt tamen Aborigines ad Circeios aut forte ad Lirim vsque habitarent: quandoquidem Latinum nomen, quod in illius locum ſucceſſit, eo vsque pertinuit; hinc vero qui per Campaniam et reliquam Italiam inferiorem habitarunt, paſſim Auſonum nomen ſeruarunt; vnde apud Feſtum, in *Auſonia*, ea pars Italiae, in qua ſunt Cales et Beneuentum, prima Auſonum ſedes fuiſſe traditur. Ad Lirim vrbs Auſona adhuc ſub Romanis fuit, nam V. C. 440 ea cum Minturnis et Veſcia ab iis capta, *deletaque Auſonum gens*: Liu. IX, 25. Ex eodem genere homines fuiſſe neceſſe eſt, qui loca intra Lametinum et Scylacium ſinum tenuere, antequam Pelasgi Oenotrii ea occuparunt. Pars eorum alia *Opicorum*, vel *Oſcorum*, ex Opſcis, nomen habuit, quorum ſuperſtes ad ſeriora tempora fuit numerus per loca Campaniae proxima Atellis, vnde et *linguae Oſcae* nomen manſit, quam Aboriginibus et Auſonibus communem fuiſſe adeoque Latinae ortum dediſſe neceſſe eſt. Pars Auſonum in *Sabinos* abiit, pars in *Auruncos*, cultu illa horridior; facta ſcilicet magna vitae et morum mutatione, alii veterem

asperitatem retinuere; aliis Graecarum coloniarum artes et instituta adsciscentibus. Consentiunt cum his loca Aristot. de Rep. VII, 10 ᾤκουν δὲ τὸ μὲν πρὸς τὴν Τυρρηνίαν Ὀπικοί, καὶ πρότερον, καὶ νῦν καλούμενοι τὴν ἐπωνυμίαν Αὔσονες, et Dionys. I, 72 ex Aristotele, Ὀπικὴ, *in qua Latium.* Et Thucyd. VI, 1, cum Dionys. I, 22 *Siculos, dum Opicos fugerent, in Siciliam traiecisse:* etsi Thucydides Siculos in inferiore Italia quaesiuisse videtur: quia Italia ab Graecis antiquioribus de extrema parte dici sollenne erat. Omnino autem mirum non est, in tanta populorum cognatione nomina saepenumero promiscue poni.

Ab hac communi *Ausonum stirpe* ortum duxere tot nominibus *diuersi Italiae populi:* permixti quidem illi passim cum Pelasgis, alibi cum Siculorum et Vmbrorum reliquiis, forte etiam cum aliis, qui a Gallis, Liguribus, Liburnis aliisque Illyrici generis populis orti erant; Ausonium tamen nomen vbique fuit superius et Ausoniae originis vestigia mansere vbique non obscura. *Sabini* quidem, qui ea loca inhabitabant, in quibus Ausones seu Aborigines Vmbris expulsis successerant (Dionys. I, 14. II, 48. 49), pro vetustissimis eius stirpis fuerunt habiti: ad eos originem referebant *Picentes, Peligni, Marrucini, Vestini, Marsi, Aequi, Hernici, Samnites.* A Samnitibus *Frentani, Hirpini, Lucani,* et ab his *Bruttii* prouenerant; a Samnitibus etiam *Campani,* qui priscos locorum incolas, Ausonum et Auruncorum nominis, cum Etruscis, agris passim eiecerant. Accuratius haec exponere tanto opportunius fuit, quo multa, quae in sequentibus ad poetae interpretationem afferentur, sine his vix intelligi possunt.

Habemus iam communem Ausonii generis stirpem, de cuius remotiore origine inquirendi locus nunc non est; etsi procliue est a Celticis populis eam repetere. Ad Ligures, Ibericum genus, olim eam retulere scriptores apud Dionys. I, 10. Verum nec definiri quicquam in agrestium gentium originibus tam antiquis potest, nec ad vnum sed ad plures e septentrione et occidente aduentantes barbaros populos prima Italorum origo referenda esse videtur.

Progredimur nunc ad alterum, quod posuimus: novum in carmine nostro fabularum ordinem, quas *Italicos mythos* appelles, ab iisdem priscis populis, inprimisque ab Ausonibus et Aboriginibus, procedere: modo adolescentum, qui haec legent, animos eo adhuc intenderimus, vt Romanorum originem linguaeque Latinae causas suo ipsi iudicio ex superioribus intelligant: cum Romani Albanorum coloni fuerint, ex Aboriginum, hoc est Ausonum, genere, sed cum Pelasgis, et, si famae fundus vere fuit, cum Troianis ac Graecis mixto, ad intelligendum in promtu est, sermonem Romanum a Latinis inprimisque ab Albanis profectum, communem eundemque cum sermone Ausonum, huiusque nonnisi dialectum fuisse, excultam temporum successu, cum ceterorum Ausonicae stirpis populorum sermo antiquam asperitatem retinuisset. Habuere igitur populi Italici, primo ritus ac religiones, in multis quidem haud abludentes a Graecis, cetera proprias ac domesticas; habuere a Pelasgis Iouem, Iunonem, Mineruam, Vestam, Martem, cum aliis; habuere ritus sacrorum cum antiquioribus Graecis fere communes; etiam mythos nonnullos Graecanicis similes; habuere alios ritus ac mythos variatos, mutatos, alios proprios ac domesticos a Graecis abhorrentes; barbariem et horridam vetustatem in iis facile agnoscas, inprimisque superstitiosum deorum metum, quem sane iniicere animis poterant magnae ac crebrae naturae conuersiones et perturbationes in his locis ex tremoribus soli, ex ignibus subterraneis, eorumque eruptione, ex aquarum stagnatione siluarumque vastitie. Necyomanteum Cimmeriorum erat in finibus anthropophagorum Laestrygonum; sacra humana in locis ad Tiberim, Fauni oracula incubatione in victimarum caesarum pellibus accepta. Habebant iidem fabulas et narrationes suas a maioribus acceptas super origine sua ac primo vitae cultu, symbolis fere ac symbolicis personis expressas, ad quas magna pars Italicarum fabularum redit, tum super illustrioribus aliquot viris vel heroibus, et nonnullis naturae euentis insignioribus, sed fabuloso illo sermonis et narrationis genere ex-

poni solitas; neque poetarum ingeniis, vt inter Graecos factum, expolitas et ornatas; sed ipsa argumenti tristitia aut foeditate notabiles, vt de Caco latrone. Itaque Italici mythi longe a Graecae fabulae suauitate absunt; nec varietas grata inest, et maior ornatus pars ab ineptis verborum lusibus aut veteris sermonis ad recentiora verba interpretatione vel inflexione ducta: Cum enim veteres ritus, vt fit, et essent admodum mutati et caussa eorum ignoraretur: ariolatione incerta multi ritus et sacra interpretari conati ad verborum lusum et originem confugerunt et inde fabularum caussas deduxerunt. Passim tamen Graecanicae quoque fabulae aspersa sunt vestigia aliqua.

Ea quidem, quae VII, 45 sqq. exposita sunt, de quibus Exc. V videndus, haud dubie *Aboriginum* vel *Latinorum* habendi sunt *mythi*, qui mox inter Albanos seruati, tandem ab his ad Romanos peruenerunt. Latinus a Fauno ortus Pici nepos et Saturni abnepos proditur; quod ita intelligendum, vt illos inter maiores, stirpis vero auctorem vltimum Saturnum habuerit. Sic inf. 219 *Ioue Dardana pubes Gaudet auo.* Aboriginum alii mythi fuere de *Iano*, de *Camenis*, de *Anna Perenna*, de *Angerona*, de *Carna*, de *Ope*, symbolicae fere naturae, sed plerique obscuriores, cum ipsis nominibus, quae apud Varronem, Festum, Macrobium, Augustinum, Arnobium et alios sunt videnda; vt adeo vix sit operae pretium, in illis otium consumere: inprimis, cum pauca integra ac sana, pleraque commentis et interpretamentis foede contaminata ad nos peruenerint. Certatim enim ab historicis, grammaticis, et multo magis a doctoribus Christianis allaboratum est, vt antiquitatem obscurarent ac tandem penitus extinguerent. Rara itaque fortuna vix vnam et alteram veteris Italiae religionum interpretationem seruauit; etsi sunt in iis nonnullae, quibus priscorum hominum sermo symbolicus egregie illustratur. Sic Vulcani, qui ignis est, vxor apud Macrob. Sat. I, 12 editur *Maia*, hoc est Terra, Mater magna, sed cum notione auctus: vnde eadem *Maiesta* dicta fuit. Apud Tusculanos *Maius* erat Iupiter. Eadem cum Maia *Ops*,

Bona Dea, *Fauna*, *Fatua*, habita: vid. Macrob. ibid. *Vertumni* et *Pomonae* fabula ex ipso nomine lucem habet: eam v. apud Ouidium et Propert. IV, 2.

Sed in his fabulis magna facta esse videtur perturbatio, *quatuor* potissimum, si recte iudico, *modis*. *Primum*, cum, communi licet stirpe oriundi, diuersi tamen et per varias Italiae partes dispersi, populi proprios quisque quosdam suos haberent mythos: ad Aborigines seu Latinos eos trahere serior coepit aetas, inprimisque e Romanis quisquis veteres historias conscripserat. Videndus in hanc rem inprimis Sext. Aurel. Victor; add. locus Tzetzae ad Lycophr. 1232, quem ad Dionem retraxit Valesius. Ita factum ab iis, quos Virgilius alio loco sequitur. Nam, quod modo eum vidimus Latini maiores edere Faunum, Picum et Saturnum atauum, id paullo post v. 177 sqq. deserit. In Latini regia: *Quin etiam veterum effigies ex ordine auorum Antiqua ex cedro; Italasque paterque Sabinus Vitisator, curuam seruans sub imagine falcem, Saturnusque senex Ianique bifrontis imago Vestibulo adstabant.* Hic *Sabinus* ad Sabinos, qui inter vetustissimos ex Ausonibus fuere, referendus est, gentis a nonnullis, vt a Catone, auctor habitus; etsi alii aliter de populi origine et nomine argutati sunt. Silius VIII, 424 *Sabum* vocat. conf. Pompon. Sab. ad h. l. VII, 178. *Italus* autem ad Oenotrios spectat, quos Ausonum sedes in extrema Italia occupasse et, quod probabile est, cum iisdem promiscue habitasse, supra vidimus. Namque in his locis primum Italiae nomen auditum est, siue ab Italo rege siue ab alia caussa ductum. conf. Excurs. XXI ad lib. I. Italum Oenotrios, qui dispersi habitabant (νομάδας), ad agriculturam adduxisse, leges scripsisse et, inter alia, sodalitia conuiuiaque publica (συσσίτια) ad suum vsque tempus frequentata constituisse narrat Aristoteles de Rep. VII, 10, quod frustra conantur ad Saturnum reuocare. Quidni Oenotriis suas fabulas relinquimus?

Altera mythorum Latinorum interpolandorum ratio ab allegoricis narrationibus profecta, quas in historiarum

ordinem et numerum ſeriores retulerunt: quod idem inter Graecos et omnes omnino terrarum populos factum eſſe modo in multis modo in paucis manifeſtum eſt. Ita Saturnus, Faunus, Ianus, inter Latini maiores relati ſunt, qui tamen ſymbolica fuerunt nomina ac ſigna, quibus varias res phyſicas et ethicas declarabat vetus Italia; vt Excurſu V videbimus.

Sed maiorem mutandi et ad peregrinam indolem inflectendi mythos Latinos licentiam, *tertio* quidem loco, attulit inſanum Graecanicae doctrinae in patrias hiſtorias et religiones inferendae ſtudium inter Romanos, quod a pluribus cauſſis profectum eſt. Partim enim domeſticae hiſtoriae antiquioris ignorantia, et plenior expeditiorque Graecarum rerum cognitio, partim Graecorum hiſtoricorum exemplum in originibus veteris Italiae e Graecia arceſſendis, eorumque de veterum Pelasgorum communibus cum Auſonum vel Aboriginum gente ſedibus narratio et disputatio, partim denique animaduerſa in nonnullis Graecanicae originis et linguae veſtigia eo adduxerant multos, vt omnia, quae in antiquitate Italiae obſcura et parum explorata eſſent, ad Graecos referre, ex Graecis moribus, inſtitutis, et opinionibus illuſtrare, et ea, quae a Graecis discreparent, ad eorum verba et res accommodare ſtuderent. Eſt ea ſtudii hiſtorici inter omnes populos infantia, vt ſuarum rerum origines aptas et nexas eſſe velint ex illuſtri aliquo ſui ſeu priſci temporis populo. Maiores noſtri regum ſtirpes ad Troianos vel Graecos referebant. Similiter Romani omnium fere Italicarum vrbium nomina et origines a Graecis repetebant, quandoquidem colonias Graecas in multis Italiae paſſim locis conſediſſe acceperant.

Huius generis mythologiis pleni ſunt Grammatici, inprimisque Macrobius: in quibus tempus conſumere ſigillatim exponendis nolim quemquam; ſatis eſt rem omnino tenere. Sed, quod grauius eſt, antiqui iſti ſcriptores, quos illi adhuc integros verſabant manibus et exſcribebant, iisdem opinionibus erant imbuti. Ex qua ſecta *Cato* inprimis fuit, qui ſero litterarum Graecarum ſtudio ad pra-

vam eam rationem deductus esse videtur. Eidem adiungit P. *Sempronium Asellionem* Dionysius I, c. 11. *Caecilium*, qui Graecam vrbis Romae originem ediderat, Strabo memorat lib. V, p. 352 C; qui tamen forte est *Cincius*, cuius nomen apud Dionysium quoque lib. I, 74, p. 59 Hudſ. Κάιντος in Cod. Vatic. scriptum esse video, vel *C. Acilius*, cuius annales graece scripti a Claudio aliquo conuersi legebantur. Eos, qui graece res patrias conscripserunt, Romanos Graecas quoque fabulas esse amplexos, nemo mirabitur; vt *Q. Fabium* in Annalibus et *L. Cincium* in Annalibus Graecis (ap. Dionys. lib. I, c. 6), *A. Albinum, qui Graece scripsit historiam*, Cic. Brut. 21, et *Cn. Aufidium*, Tusc. V, 38. Enimuero necdum alium quemquam scriptorem veterem, quantum quidem ex fragmentis intelligi potest (inspiciat aliquis v. c. librum de Orig. G. R.), reperi, qui non Graecas fabulas sectaretur. Varro quoque eidem studio nimium indulsit, vt vel ex vno loco de R. R. III, 1, 6 satis intelligi possit. Inprimis autem in vrbium Italicarum originibus e Graecis fabulis repetendis laborarunt tantum non omnes, vt nec modum nec rationem seruarent; nam leuissima quaque rerum nominumue similitudine arrepta originem, causam, et conditorem in Graecia reperisse sibi videri solebant. Hoc idem tot virorum doctorum exemplum obfuerat Dionysio Halicarnassensi, viro acutissimo, vt vrbem Romam iam inde ab initio ad Graecae coloniae morem descriptam, opibus inter Regem, Senatum et Populum, sapienter ad trutinam exaequatis, reique publicae partibus subtiliter constitutis egregie fundatam, tamquam in tabula picta exhiberet.

Prauo hoc Graecae doctrinae studio doctissimos ex Romanis si quis imbutos fuisse audierit, non amplius mirabitur Etruscos a Tyrrhenis, Sabinos a Lacedaemoniis, deductos ferri; Tibur esse Argiuorum coloniam (VII, 672); Halesum, Agamemnonis filium, Auruncos e Campania ducere (ibid. 723 sq.); Ariciam Dianae amasium Hippolytum excepisse (761 sq.). Comparet aliquis Fastos Ouidii v. c. lib. IV, 63 sq. et ad sacrorum rituum festorumque

cauſſas et origines ibi traditas attendat, aut ad Quaeſtiones Romanas Plutarchi. Innumera huius generis ſunt alia apud Seruium, Plutarch. Romul., Iuſtin. XX, 1 pr., Solinum c. 8 et apud Grammaticos. De inſtituto talia perſequuti eſſe videntur Alexander Polyhiſtor et Auianus aliquis „qui iambis totum Liuium ſcripſit," vt Seruius ait ad lib. X, 388, item Hyginus *de vrbium Italicarum origine*. Si forte mireris, quomodo his ſomniis tantum tribuere potuerit antiquitas, recordandum eſt ſimilis vanitatis, qua viri docti ſuperiore aetate omnem veterem Italiam ex Hebraicis Lexicis (Phoenicia verba ſe tenere putabant) repetiere.

Ita tandem factum eſt, vt pauci Latini mythi propriam ſuam naturam retinerent. Ita Saturno ea tribuerunt, quae Graeci de Κρόνῳ ſuo narrabant, etiam auream aetatem (v. c. Aen. VI, 793—795) et Iouis impia conſilia. Faunos, qui Latio et Etruriae proprii ſunt, cum Panibus, Satyris, et Silenis miſcuerunt, adiuncto etiam Baccho; Camenas Nymphas cum Muſis: et ſic porro. Leucotheam fecerunt ex Albunea, Portumnum ex Melicerta, qui Phoenicum vtique nauigationibus ad Graecos peruenerat, forte is iam a Cadmo illatus et Palaemonis nomine inſignitus. Adſciuerunt quoque paſſim religiones et nomina deorum graeca, quae obliterarunt antiqua; ita Venerem receperunt et Dioscuros. Res tandem eo adducta, *vt peſſimi fabularum ſuarum interpretes eſſent Romani*. Nec quicquam fuit Italis adeo domeſticum ac proprium, quin a Graecis repeterent. Ipſum Ianum ex Perrhaebia Theſſaliae qui adducerent, fuiſſe video apud Plutarchum Qu. Rom. p. 269 A, alios, qui ex Creuſa, Erechthei Athenarum regis filia, natum, apud Victor. O. G. R. 2. Quid? quod Ianiculum ab Ione, Creuſae filio, ex Euripidis fabula noto, fuere qui conditum traderent ap. Aurel. Vict. O. G. R. 2. Maia, quae, vt ſupra vidimus, mater Terra erat, ad Maiam Mercurii matrem reuocata eſt. Nerienes, Virtus vel Fortitudo inter Sabinos, in Nereidem eſt depranata. Gell. conſ. XIII, 22. Corrupere quoque ſacra ſua Romani ad-

mixtis alienis opinionibus, vt Lupercalium ritus arreptis fabulis de Pane Graecorum.

Tandem *quarto* loco ineptis et prauis etymologiis turbatae sunt historiae antiquae Italiae plus quam credi potest. Hoc quidem studium veteres res ac ritus ex nominum origine interpretandi, ipsamque adeo verborum originem investigandi, iam inter Graecos parum ad sermonis indolem et grammaticam rationem fuit tractatum, inter Romanos autem intra meros sonorum lusus substitit; quod e Varrone, Catone, Cicerone et aliis infinita exemplorum copia docet, vt Grammaticorum volumina taceam. Eadem res ipsis historiis et fabulis noxae fuit, dum eas ex nominum originibus interpretati variis modis interpolarunt veteres scriptores. Vt Vmbros quasi Ombrios dictos, Thuscos a sacrifico ritu dictos, et similia omittam: de Aboriginibus quam multa illi commenti sunt ex vocis sono! Latium a latendo cum duxissent, quae non excogitarunt in eam rem! Hinc fuga Saturni in Italiam et latebrae. Anna Perenna in Didonis sororem mutata et Nympha Numicii illa facta, cum dea esset ex indigetum numero, et haud dubie anni initia fausta designaret. conf. Macrob. I Sat. 12 Ianuario — *et publice et priuatim ad Annam Perennam sacrificatum itur; vt annare perennareque commode liceat.* Ardea, Rutulorum vrbs, nomen habens cum aue ardea commune, fabulam absurdam peperit auis ex vrbis incensae cineribus enatae. vid. Ouid. Met. XIV, 574. 580. Virbius heros in Hippolytum deflexus quasi bis vir et vitae redditus ib. XV, 497 sqq.

Fuisse iam inter Graecos scriptores *Dioclem Peparethium* et alios, qui Italicarum vrbium origines hunc in modum interpretarentur, docent exempla apud Dionys. lib. I, 34 sq. 49 sqq. 72 sqq. In Parallelis Plutarcho tributis magnus eorum numerus laudatur, qui Italica scripsere, Aristides Milesius, Theotimus, Alexarchus, Cleonymus, Theophilus, Dorotheus, Aristocles, Meryllius, Chrysippus, Agesilaus, Aristobulus, Alexander Polyhistor; cum his Xenion apud Macrob. I Sat. 9. Adde his eos, qui Tyrrhe-


nica scripserant, vt Sostratus. Omnes hos Graecas fabulas in Italiam transtulisse apparet, seu opinione falsa deceptos, seu prauo studio ductos. Omnino serius ad Graecos Italicarum rerum notitia paullo luculentior peruenit. Nam etiam illo tempore, quo Graeci nauibus Italiae littora frequentabant aut Graecia Magna ciuitatibus Graecis potentibus florebat, interiores tamen terras pauci adiisse videntur. Itaque fragmenta, quae ex priscis Graecis scriptoribus noua super Roma et vetere Italia affert primis in libris Dionysius, miram prodere videntur inscitiam doctisque hominibus prorsus indignam.

Fabulas autem super Italicis rebus procudendi facultatem et materiam Graecis ingeniis praebuit inprimis primo Herculis profectio cum Geryonis armentis per Italiam facta (conf. Apollod. II, 5, 10), tum Homerica narratio multis mirisque fabulis de maris terrarumque facie variata, de Vlyssis erroribus et ad Italiae littora accessu. De Hercule quidem fabulas innumeras, magnum inprimis vrbium numerum Italiae ab eo vel ab eius filiis conditarum, narraverunt, Vlyssis autem progenie aut sociorum stirpibus omnem passim Italiam frequentarunt. Ipsi adeo Ausones ab Ausone, seu Circes filio ex Vlysse seu Calypsus, ortum habuisse narrantur. Festus: *Ausoniam appellauit Auson Vlyssis et Calypsus filius eam primam partem Italiae, in qua sunt vrbes Beneuentum et Cales* (hoc quidem, vt supra vidimus, recte; nam ea Italiae pars Ausoniae nomine proprie insignis fuit); *deinde paullatim tota quoque Italia, quae Apennino finitur, dicta est Ausonia* (hactenus vere; sed reliqua fabulose) *ab eodem duce, a quo etiam conditam fuisse Aruncam vrbem ferunt* (Suessa Aurunca, ab Auruncis habitata). Ab Vlyssis et Circes tribus filiis, Romo, Antia et Ardea, tres vrbes conditas et nominatas Xenagoras tradiderat ap. Dionys. I, 72 (p. 58). cf. viros doctos ad Stephan. in Ἄρδεα et Cluuer. pag. 976. Latinum Circes et Vlyssis filium iam Hesiodus prodidit Theog. 1011. 1013, Telemachi et Circes filium alii, forte ipse Telegoniae auctor, carminis cyclici: v. Hygin.

f. 127, vbi v. Intpp. add. Geopon. XI, 2, vbi v. Niclaſ. Corruperant Telemachi nomen et tradiderant Telephi filium alii, quos Cedrenus ſequutus eſt p. 135 D. Huius generis multa in primo ſtatim libro Dionyſii et Solin. cap. 2 cognoſci poſſunt. Traducta quoque res ad alios a Troia ſeu reduces ſeu profugos. Ita Capys Campaniam tenuit. Alia v. ap. Seru. ad Aen. I, 242. Quae omnia ſi ſemel animadverſa et perſpecta habueris, ducta illa ex praua opinione, ſed cum ratione certa, multarum obſcuritatum et difficultatum nubem ex vetere hiſtoria facile dispulſam eſſe intelliges.

Quid quod ſatis probabile mihi ſit, etſi aliquid pro liquido et explorato in his, quorum nulla fides hiſtorica eſt, tradere velle ineptum ſit, ipſam fabulam de Romulo et Remo a lupa lactatis a nominis interpretatione eſſe profectam: nam a *ruma*, ſeu *rumi*, quod vetus mammae nomen eſt, Romae nomen deduxiſſe nonnullos videmus; vt alios a *virtute* ac *robore* ad Graecam vocem ῥώμην. Ignoratio originis, a qua nomen vrbis ductum eſſet, hominum animos ad coniecturas conuertit, quae poſtea in narrationes abierant. Quod ſi verum eſt et ex antiquioribus ſumtum, quod Seruius ad lib. VIII, 90 et alibi habet, vt Tiberis priſcum nomen *Rumon* fuerit (neque illud adeo abhorrens ab antiquiſſimo aquarum et amnium nomine per Celtas et Graecos vulgato: *Rha, Rho, Rhu, Rhiu, Rhiw, Rhei* [ῥέω, ῥόος],) non improbabile ſit, vrbis nomen a flumine eſſe ductum, et omnia alia, quae narrantur, pro commentis ſeriorum aetatum eſſe habenda.

Sed de his nolim cum quoquam, cui aliter videatur, contendere. Mihi ſatis eſt dilucide ſatis expoſuiſſe naturam et cauſſas corruptarum fabularum veteris Italiae, vt mihi via ac ratio expeditior ſit ad ea, quae in ſequentibus erunt tradenda.



EXCVRSVS V

Hiſtoriae veteris mythicae Italiae capita potiora de Saturno, Iano, Pico, Fauno, Latino.

VII, 45 ſqq. *Rex arua Latinus et vrbes Iam ſenior longa placidas in pace regebat. Hunc Fauno et Nympha genitum Laurente Marica Accipimus: Fauno Picus pater: isque parentem Te, Saturne, refert: tu ſanguinis vltimus auctor.* Cum haec ſint quaſi potiſſima hiſtoriae veteris mythicae Italicae capita, disquirendum de iis eſſe videtur paullo accuratius. Multo magis, quoniam vulgari opinione vera facta, homines et res antiquae tamquam vere geſtae, in his tradi credantur, ita vt tamquam fide hiſtorica accepta regum antiquorum res et facta exponi a ſcriptoribus putentur.

Ad *Saturnum* videmus Latini genus ſimulque fabulas veteris Italiae tamquam ad caput et originem deductas

ſubſiſtere, nec vlterius procedere. Eſt autem de *Saturno* mythus proprius Aboriginibus ac domeſticus, nec quicquam aliud, ſi recte iudico, quam ſymbolicum nomen melioris vitae, cuius initia a frugibus inuentis, ſatione et meſſe repeti ſolent: non quaſi cum philoſophica aliqua ſubtilitate haec excogitauerint aut arte aliqua expreſſerint; ſed quia animi ſenſa aliter quam per rerum ſenſibilium formas ac ſpecies eloqui nequeunt rudes populi, deficientibus verbis; et mala fraude mecum ageret, qui haec cum allegoriae, rei prorſus diuerſae, ſtudio confundere, meque in antiquis rebus eam amplecti pronuntiaret. Itaque falx Saturno addi coepit; eoque narratum, ad cultum vitae eum Aborigines adduxiſſe: *Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo — Is genus indocile ac diſperſum montibus altis Compoſuit legesque dedit.* Aen. VIII, 319 ſqq. Addita quoque coniux Ops, h. e. Terra. Commenta ſeriorum apud Macrob. I, 7. 8. 10 non moror.

Cum a Graecis tractari coepiſſent fabulae Italicae, ad *Cronum* illi ſuum referre coeperunt *Saturnum*. Factum id iam ab Ennio in Annal. Nam fragm. p. 30 *Saturnus, quem Coelu' genit*, et a L. Accio in Annalibus apud Macrob. I, 7 extr. legitur, verſibus inde adſcriptis; etſi de illo nomine dubitare licet. Inde turbatus et interpolatus eſt antiquus ille mythus, et narrata de Saturno ea quoque ſunt, quae Graeci a Phoenicibus accepta de Belo ad ſuum Cronon transtulerant: vt iam ſupra monitum (Excurſ. IV, p. 135). Falcem, meſſis ſymbolum, modo ad ἅρπην Κρόνου et reſciſſa Caeli pudenda, modo ad tempus, quod omnia demetit, reuocarunt.

Vt autem Graeci Cronum in Italiam transferrent, etiam ſitus Italiae verſus Graeciae occidentem eos impuliſſe videtur; *Occidentem* enim locis inferis, adeoque Tartaro, quo Cronus detruſus deliteſcit, finitimum credidit antiquitas. Hinc Ionium et Adriaticum mare Κρονίην ἅλα appellatum videas v. c. apud Apollon. IV, 510. 548 et al., et Κόλπος Ῥέας apud Aeſchyl. Prometh. 836. Iuuabat quoque in partem nomen *Latii* a latendo ductum, quod ad Cronum trahi

poterat, qui Iouem fugiens eo venerat. VIII, 320 *Arma Iouis fugiens et regnis exul ademtis.* Ex his manifestum fit, quo tot doctorum virorum somnia ex etymo vocis ducta recidant, etiam suauis illa interpretatio vocis *Chittim* cum Latio comparatae.

Receptus inde est Saturnus in Annales tamquam *gentis conditor* et legum vitaeque mitioris auctor rexque Latii vetustissimus; vti nullus facile est populus, qui non idem symbolica nomina pro stirpis suae auctoribus habuerit. Difficultatem ac molestiam fecit mox scriptoribus *Ianus*, quem et ipsum mitioris vitae inter veteres Italos auctorem traditum videbant.

Est *Ianus* hic et ipse inter mythos Latinos referendus deusque eorum domesticus. *Nam tibi par nullum Graecia numen habet*, ait Ouid. I Fast. 90; nec dubito, eum ab initio nihil aliud quam almae naturae, excultaeque eius dotibus vitae, symbolum aliquod fuisse. Itaque in Saliaribus carminibus *deorum deus* audiebat (Macrob. I, 9) tamquam principium rerum adeoque etiam deorum. Traductum postea symbolum ad alia cognata, vt designaret omnium rerum initia et origines, mox rerum vices, tempora, annum eiusque vertentis se noua exordia, mundi quoque seu caeli ortum et occasum, et sic porro: ita enim, vt in varios significatus symbola detorquerentur, ipsa res ac necessitas ferebat. Ita ipsum complexum siderum et caelum designasse dicendus secundum Messalam apud Macrob. l. c., ipsum chaos et ex eo orta rerum facies apud Ouidium in Fast. I pr. Plura alia, etiam multarum rerum inuenta, ad Ianum retulere seriores non modo Grammatici sed et scriptores Romani, vt ex Ouidii Fast. lib. I intelligi potest, partim rerum similitudine partim nominis origine ab *eundo* repetita inducti. cf. Macrob. Sat. I, 9. Seru. ad Aen. VII, 610 et al. Quod belli pacisque habebatur arbiter, ortum forte non aliunde habuit, quam quod eius religio erat antiquissima: vnde inualuerat, vt bello indicto templum eius ad supplicationes pateret. Distinguenda ab iis alia a seriboribus adscita, vt prudentiae opinio a duplici facie; nec pro

mundi anima Ianum dictum esse antiqua auctoritas firmat, aut inter sidera Iani numen ortum, ita vt nauicula inter Booten et Virginem ab initio dictus et habitus Ianus esset: quae nuper fuit ingeniosa V. C. *Dupuis* opinio: Critolai enim fides nulla est, Grammatici in phaenomena Arati ludentis, in libro supposititio Plutarchi, Parall. p. 307. 308.

Cum hoc nomen symbolicum mox et ipsum inter vetustissimos *Italiae heroes* seu *deos* esset relatum, dubitatum est *inter Ianum et Saturnum*, vter altero esset antiquior. Plerique tamen Ianum priorem Italiam obtinuisse narrant, et aduenam Saturnum ab eo esse exceptum: cf. Ouid. Fast. I, 233 sqq. et Macrob. Sat. I, 7. Cum itaque Maro noster lib. VIII, 319 *primum* Saturnum in Italiam venisse dicat, multa argutati sunt etiam veteres, vt hanc difficultatem expedirent. Talis disputatio apud Aurel. Victorem O. G. R. c. 1 legitur: quam inanem esse, ex superioribus facile intelligitur. Nec vero Ianum excludit Virgilius, sed *primus* nihil aliud est, quam primis h. e. antiquis temporibus, prima hominum aetate. Sed forte tota illa de Saturni, et quidem naui vecti, Iano regnante in Italiam aduentu narratio nullam grauiorem caussam ac fundum veri habet, quam quod antiqui numi altera parte nauis rostrum, altera Ianum bifrontem habebant; etsi his de signis dici vix potest quam multa veteres argutentur. cf. Ouid. Fast. l. c. et Plutarch. Quaest. Rom. p. 274 D. E. Neque absimilis, suspicor, ratio induxit, vt Ianum Saturnumque in regni societate vixisse traderent: quandoquidem vicinis collibus nomina eorum erant imposita: *Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen* lib. VIII, 358.

Secundus a Saturno apud poetam nostrum *Picus* memoratur l. c. VII, 48. 49 *Picus — isque parentem Te, Saturne, refert.* Primum omnino sanguinis auctorem per parentis vocem saepe declarari, et notus est loquendi mos, et Burmannus ad h. l. monuit. Iani vtique ex Venilia filiam, *Canentem*, vxorem habuisse narratur. Multa sunt in hac historiae antiquae parte nomina ab initio symbolica, etsi obscurae nunc fere interpretationis, quae in viros ac semi-

nas abiisse videntur. Ianus quidem secundum alios *Camesen*, sororem ac coniugem, secundum alios *Veniliam* in matrimonio habuit. Camese vix alia fuit quam Camesna et Camena, vt Casmilus, Camillus (v. Aen. XI, 543. cf. Varro de LL. VI, 3); vetus Italiae numen, ad plures deas, *Camenas* dictas, traductum, quas cum Musis aliquando confuderunt Romani. Lucum iis cum fonte Numa dicauerat: ad eas enim pleraque carmina sua, hoc est vaticinia, referebat (Plut. in Numa p. 65 A.). Camesene nomen fuit antiquissimum montis ac loci, cui Ianiculum oppidum impositum erat. Hyginus illud nomen a Camese duxerat, qui cum Iano eas terras tenuisset: sed narrauerat hoc ex Graeco homine, Protarcho Tralliano: apud Macrob. Sat. I, 7; at cf. Athen. XV, 13, p. 692 E. Venilia autem inter deas marinas videtur fuisse, confusa illa quoque cum Salacia. Sed Varro de LL. IV, 10 disiungit eas: *Salacia, Neptuni, a salo, Venilia a veniendo* etc. Salaciae quoque nomen in Sexti Pompeii numis legi probabile fit, in quibus SAL. legitur: de Salacia itaque docte disputantem videbis Eckhelium in Doctrina num. vet. Tom. VI, p. 27. 28.

Ex hac igitur Venilia susceptam Iano filiam *Canentem* in matrimonium accepisse narratur Picus, v. Ouid. Met. XIV, 333 sqq., qui copiose fabulam persequitur, qua a Circe in venatione conspectus, cum eius amorem sprevisset, in picum mutatus fertur. Eandem fabulam attigit Virgilius lib. VII, 189 sq. *Picus — quem capta cupidine coniux Aurea percussum virga verfumque venenis Fecit auem Circe sparsitque coloribus alas.* Picus vel picumnus priscis Italis inter sacras fuit aues inprimisque auguriis probatus, idem Marti sacer: v. Serv. ad lib. VII, 190. Nisi itaque nominis interpretatio fabulam istam mutatae formae peperit, nata illa esse potuit ex antiquo signo iuuenis cum pico in capite. Tale signum memorat Ouidius in Circes aedibus Met. XIV, 313 sq., vt augurandi peritia in Pico expressa fuisse videatur. Quo ipso declaratur id, quod apud Virgilium lituum manu tenet eius signum in Latini regia positum: v. 187 *Ipse Quirinali lituo — se-*

debat — Picus equum domitor. Seruius quoque ad e. l. ex Pontificalibus libris probare vult, Picum augurio clarum fuisse. Apud Valer. Fl. VII, 232 Circe, etsi simulate, profitetur se Pici matrimonio haberi.

Pici filium prodidit *Faunum* Virgilius: *Fauno Picus pater;* et lib. XII, 766. 769 est Faunus *Laurens deus.* Martis filium ediderant alii: Dionys. I, 31. Appian. fragm. lib. I. Cum in eius aetatem Euandri et Herculis accessus ad Italiam a Graecis relati essent, frequentior eius ab iis facta mentio. Ex tot inaniter plerumque de hoc Fauno dictis haec tenebimus: Primum numen fuisse antiqui Latii, idque fatidicum, Faunum; fuere autem priscae Italiae, et priscarum fere ac barbararum gentium omnium, dii fatidici tantum non omnes: haec enim futura praenoscendi ac praedicendi facultas in numine inprimis hominum rudium animos mouebat: nec aliter barbari Americae et Africae populi de diis suis statuunt; et interdum omnem religionem, cultum et notionem numinis, ad opinionem et spem comperiendi futura e diis et sacerdotibus redire videmus. Faunus tamen inter fatidicos deos inprimis eminuit: eratque eius celebre oraculum in luco Albuneae apud Tibur; de quo v. lib. VII, 82 sqq.; ab eo enim acceptum nobile illud responsum de Lauinia. Symbolicum quoque nomen est *Fatuae* pro vxore Fauni habitae futura praemonentis. v. Iustin. XLIII, 1. Videntur autem oracula illa aliquando, ferius forte, versibus rudibus fuisse reddita, quod versuum genus *Saturnios* appellarunt veteres: cf. Varro LL. VI, 3. Inconditos versus poetarum superiorum Ennius vellicabat hoc nomine; *scripsere alii rem Versibus, quos olim Faunei Vatesque canebant.* (Redigi versus illos horridos ad metrum aliquod in summa asperitate posse docuit nuper Hermannus in docto libro de metris Graecorum.)


Hoc numen Romani de Pane Graecorum interpretati sunt: inde etiam Faunos (v. Aen. VIII, 34) ad morem Panum et Satyrorum produxerunt. Grammaticorum commenta non attingimus: v. Victor O. G. R. c. 4. Habiti

Fauni inter comites Bacchi et orgia celebrantes, etiam in artis operibus: qua de re egimus in *Antiquar. Abhandl.* c. II, p. 53 sqq.

Inde inter priscos Italiae seu Latii reges idem Faunus relatus est, modo Martis modo Pici habitus filius, quod Virgilius amplexus est l. c. Eo regnante Euander ex Arcadia in Italiam venisse ferebatur. v. Dionys. I, 31, Iustin. XLIII, 1, O. G. R. 5. Constituerunt adeo inepti homines annorum numerum, quos regnauerit Faunus cum ceteris regibus. Syncell. p. 171.

Ex Fauno et Marica Nympha *Latinus* natus est, quo regnante Aeneas ad haec loca venit. *Hunc Fauno et nympha genitum Laurente Marica Accipimus.* Fuit autem *Marica* dea Minturnensium ad fluuium Lirin, cuius lucus in eo littore fuit non ignotus, pro Venere male apud Seruium habita; nam ea Murcia erat. An a Virgilio pro eadem cum Circe habita fuerit, disputatum est in Notis ad lib. XII, 164 *Solis aui.* Sed Latini genus diuersimode traditum fuit; nec modo per Graecos scriptores, iam inde ab Hesiodo Theog. 1011. 1013, et a Telegoniae auctore: cf. sup. Excurs. IV ad h. l. sub f.; verum in ipsis Italicis mythis. Herculis filium ex Hyperborea puella fuere qui narrarent, vti Pallantem ex Lauinia Euandri filia ab eodem Hercule susceptum fabulati erant: Dionys. I, 43. Alii ex filia Fauni et Hercule natum Latinum, ap. Iustin. XLIII, 1. Sed omnino multis hoc nomen celebratum fabulis, quas nunc disponere non vacat, adeoque nec colligere. Hoc vnum monebimus: esse nunc eius nomen proprium, vt Latinus rex fuerit; quod apud vetustiores tantum appellatiuum fuisse probabile est, vt vnum aliquem ex regibus Latinorum, cuius verum nomen ignorabatur, designaret. Apud Seruium ad lib. VII, 47, quem pleniorem dedit Iulius Sabinus, *Hyginus ait plures in Latio reges appellatos Latinos.* Vulgo tamen narrantur Latini ab eo nomen accepisse; quod vix ita se habere potuit, cum Latii vox antiquior ipso rege fuerit, vnde Latini dicti. Mirum est, quod apud Cononem Narrat. 3 occurrit, vbi Latinus in in-

feriorem Italiam, ad veteres Pelasgorum ab Oenotro adductorum sedes, reuocatur: filiam ille suam Λαυρίνην Locro Alcinoi fratri Italiam extremam insidenti despondet; occiditur vterque ab Hercule hospite. Scilicet omnino Graeci mythographi, quoties regem Italici soli nominare volunt, Latini nomine vtuntur. Pro Latino, ad quem Aeneas venit, Faunum Martis f. memorat Appian. lib. I in Excerpt. ex Photio. Antiquior Latii rex Dercennius ab ipso Virgilio commemoratur lib. XI, 850. Siue tamen fuit Latinus aliquis, seu non fuit, intelligendus vtique est rex vrbis et exigui tractus Laurentis, qui partem tantum Latii constituebat; totius Latii nondum illo tempore erat regnum, nec vnquam fuit, nisi Romanorum.



EXCVRSVS VI

De oraculo Fauni in luco Albuneae in agro Tiburtino.

VII, 81 sqq. *At rex sollicitus monstris oracula Fauni Fatidici genitoris adit, lucosque sub alta Consulit Albunea.* Sententiam verborum et vim in notis declarauimus. In agro Tiburtino ab occidente lucus erat, in quo aquae Albulae, medicatae et sulfureae; ex earum fontibus vnus est *Albunea*, fons et Nympha, forte et Sibylla. cf. ad Tibull. II, 5, 69. In hoc luco, Albuneae dicto, oraculum fuit Fauni: de quo accurate agit poeta. Nostra adhuc aetate imminent Anienis catarractis ruinae templi, quod Sibyllae Tiburtinae esse volunt viri docti, nullo grauiore, quam quod vetere fama ita traditum est, argumento. Hoc idem templum nonnulli a poeta spectari et versibus his describi contendunt. Copiose hanc opinionem adstruxit Vulpius in Vet. Latio, T. X, c. 5. Sed, vt solent ex Italis multi, modo patriae suae, modo locorum vel antiquitatis amore, plerumque etiam

rerum ac sermonis ignoratione, multarum vrbium sedes et ruinas praue interpretari, ita vir doctus in poeta vsum loquendi, orationis vim et rationem, sententiam, communem sensum, omnia euertere maluit, quam veritati concedere. Vt Sibyllae templum ad hos Albuneae lucos reuocare possit, interpungit v. 82 post: *oracula Fauni, Fatidici genitoris, adit. Lucosque*, vt scilicet Fauni templum res a Sibyllae oraculo diuersa sit. Fauni autem templum in Laurentum finibus collocat, vbi Inui Castrum fuit (sup. VI, 776). Opinionis tamen auctoritatem nullam affert hic et alio loco T. V. Lib. IX, cf. c. 7, quam oleastrum Fauno sacrum ex Aen. XII, 766. Sed haec et reliqua omnia contortissima sunt, vt in his haerere necesse non sit. Sibyllae Albuneae nomine signum marmoreum in villa Atestina habetur, quod etiam in Vulpio aere expressum est; de quo tamen, nisi accuratius exploratum fuerit, nihil cum fide pronunties.



EXCVRSVS VII

De fabularum Graecarum vsu, et de Italicarum in illarum naturam deflexarum habitu; tum de Turno.

VII, 371. 372 *Et Turno, si prima domus repetatur origo, Inachus Acrisiusque patres mediaeque Mycenae.*

Prauum inter Romanos scriptores, inprimis veteres, fuisse studium deflectendi veteres Italorum mythos ad Graecas fabulas et repetendi origines rerum vrbiumque Italicarum e Graecia, supra Excurs. IV diserte expositum est.

Quod tum inter caussas corruptae historiae memoriaeque omnis veterum Italorum obscuratae retuli: hoc Virgilius, summus poeta, seu communem opinionem sequutus, seu, si acriore iudicio verum perspexit, vtilitatem tamen amplexus, pro adiumento praeclaro ad expediendam carminis sui materiem adsciuit, erroremque, rerum veritati historiarumque fidei infestissimum, poeticis rationibus accommodauit sollertissime.

Cum enim *Italicas fabulas*, vt nouitate rei placeret, carmini intexere constituisset, statim occurrisse necesse est hoc: eas quidem, quae carmine tractari possint, fabulas esse paucas, plerasque asperas et inficetas nominibus: cuius modi Salacia est, quae Neptuno coniux data, Nerienes, quae Virtus erat ac Fortitudo, eadem fere, quae Graecorum Minerua. Vna est egregie ad poeticum vsum informata fabula de Ora, Iuuentutis dea, Quirino deo pro coniuge data, vt Herculi Hebe. vid. Gell. XIII, 22 et ibi Not. Sed haec quoque ad Graecum exemplar procusa est, et ipsum videtur nomen Graecum esse, Ὥρα. Esse eam Hersiliam, sed deam factam narrauit Ouid. XIV Met. sub fin. Vidit igitur Maro fabulas Italicas tanto tractabiliores et carmini accommodatiores fore, quo magis ad Graecam illae rationem attemperarentur, nominibus aut inflexis aut mutatis aut translatis. Inde etiam totius carminis aequabilis

tenor ac color, faciesque elegantior ac doctior proueniebat. Cum autem, quod sup. Excurs. IV vidimus, tot diuersorum populorum Italiae, quos eiusdem stirpis quasi surculos ac propagines aut populi eiusdem tribus appelles, tam multae, et diuersae quidem nominibus, re tamen ad idem fere redeuntes, essent narrationes de auctoribus ac primis heroibus regibusque: selegit quidem ex iis poeta nonnullas, quas carmine tractari posse videbat; ex earum tamen ipsarum indole intelligitur, quanta cautione in iis transferendis opus fuerit: cum non modo obscuriores pleraeque essent doctisque viris multo minus notae ac Graecanicae, verum et horridi aliquid et agrestis, aut ieiuni inconditique haberent, quod ne Virgiliana quidem elegantia iis vbique abstergere potuit. Ex hoc genere sunt: bellum inter Laurentes Troianosque cerua caesa, quae Siluiae in deliciis erat, concitatum; Caeculus scintilla ab Laribus foco impositis desiliente a matre conceptus (cui similis fabula de Romuli et Remi ortu apud Plutarch. Romul. p. 18 D. E. occurrit); Cacus, qui ignem ore vomebat; mutatae in Nymphas naues; Ocnus, Mantuae conditor; Camilla infans hastae illigata et trans amnem iacta; strix Turni os circumuolans mortemque portendens. Quae fabulae cum poetae summi arte et ingenio expolitae vix nitescant; prorsus omittendae fuere aliae. Nec vero hoc mirabitur, qui meminerit, Graeciae veteris fabulas ab initio forte non minus a poetica elegantia, suauitate et dignitate, alienas, magno plurium poetarum sibi inuicem succedentium studio fuisse expolitas; Italicis autem fabulis similem fortunam nunquam contigisse, vti nec artium maturum cultum. Itaque in his videas nonnulla, quae ne definita quidem et constituta satis sunt, vt attributa deorum, quae apud Graecos artificum opera egregie sunt disposita et descripta. Inde factum arbitror, vt falx, quae Saturno proprie erat tribuenda, Sabino adiecta sit lib. VII, 178. 179 *paterque Sabinus Vitisator, curuam seruans sub imagine falcem.* Clauis proprium est insigne Iani. At apud Festum in *Claudere* Portumnus clauim manu tenere dicitur,

vt deus portuum. Qua re adduci se passus erat Heinsius ad Ouid. Met. XIV, 334, vt Ianum aliquem Portumnum sibi fingeret.

Haec cum ita se haberent, deligendae fuere Maroni fabulae ex multis paucae, eaeque non modo succo et sanguine, verum etiam habitu ac specie, vt ita dicam, Graecanicae fabulae vestiendae. Quo ipso et nouitatis aliud genus consequutus est poeta, et permixtis inter se illigatisque fabulis Graecis Italicisque ornamenta habuit in promtu, quae pro lubitu aut consilio adhibere posset. Originibus autem populorum et vrbium Italiae a Graecis repetitis, non modo contextus rerum et carminis aequabili, nec a se abhorrente, facie habituque procedit: verum etiam fabulas Homericas, quae carmini omnium maxime accommodatae esse solent, vt adiungere posset Italicis, adeoque narrationum copias haberet paratissimas, effectum est. Ceterum in hoc genere imitatorem habuit perpetuum Silium Italicum, perdoctum poetam.

Dardanum quidem ex Corytho Etruriae vrbe ortum habuisse, absurda est narratio, si de historica ratione quaeritur (v. Excurs. VI ad lib. III). Poeta tamen oraculorum ambages in ea egregie fundauit (vid. Disq. II, p. LXXXI, conf. VII, 205 sqq.).

Herculis reditus per Italiam, abductis Geryonis armentis, de quo tam iucunda instituitur libro VIII narratio, Graeca est fabula, diuerse a diuersis ornata; vide v. c. Conon. Narrat. 3 post Dionys. I, 34. 39 sqq. et Victorem O. G. R. c. 6.

Missa ad Diomedem a Latinis legatio ad petenda aduersus Troianos auxilia, et narratio legatorum de Diomedis rebus, praeclari episodii laudem habet. Eo autem careremus, nisi vetus fabula Diomedeas insulas huic heroi consecrasset, Dauniaeque vicinia poetae locum feciisset, quo commode intexi posset.

Pulcerrimum locum de Amata, furore Bacchico correpta, lib. VII, 376 sqq., tractare poeta non potuisset, nisi cum aliis Graecis ritibus ac religionibus etiam sacra

Bacchica in Italiam illata esse ex tot Graecarum rerum originibus probabile fieret: inter Etruscos quidem, et hinc per reliquam Italiam, iam satis antiquis temporibus ea sacra recepta fuisse ex Etruscis Graecisque monumentis probatum alio loco dedimus. Reprehensus est a priscis Criticis apud Seruium locus lib. XII, 83 de Turni equis, *Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia.* Excusationem tamen poetae, qui Graecam nympham heroi Italo iunxit, habemus in tota fabulae, quam instituit, ratione.

Inter Troianos, a quibus gentium Romanarum illustrium originem repetit poeta, est etiam Capys lib. X, 145 *Et Capys; hinc nomen Campanae ducitur vrbi.* Capuam a Capy dictam credidit antiquitas: v. c. Liu. IV, 37. conf. Silius XI, 30. 299. Iam autem nomen erat illustre inter Aeneae maiores Capyis, et inter reges Albanos alius: v. lib. VI, 868; et inter eos, quos adduxerat Aeneas in Italiam, Capys non extremo erat loco. conf. lib. I, 183. II, 35. IX, 576.

Recensus populorum, qui Latinis tamquam auxiliares copiae adscripti sunt, inter elaboratissimos poetae locos est. Suauitatis tamen, quam habet, maxima pars a fabulis Graecis ducta est. Verum nec eius omnino vlla ratio reddi potest, nisi teneas hoc, omnes *populos, qui cum Turno in Latini partibus sunt, Graeca origine ortos* ferri; *Aeneae* contra *socios* addi *prisca origine Italica.* Qua de re seq. Excurs. VIII agetur.

Est scilicet eius artificii, quod modo exposuimus, argumentum vix aliud illustrius quam de *Turno* narratio, quando quidem is inter primarios Aeneidis heroes est, adeoque magnam carminis partem ad eius nomen et personam accommodari necesse fuit. Fuisse de eo fabulas domesticas coniicere licet; et multo magis liceret ex paterae, vulgo pro Etrusca habitae, in Museo Venuti Cortonensi, argumento; Hercules enim claua virum prosternit, adscriptis vocibus: HERCLE. THVRN. modo litterae non essent obscurae et extritae. Verum his relictis omne Turni nomen ad Graecas, quae de eo ferebantur, fabulas reuocauit

Maro. Dumque adeo Graecae fabulae semel in Turnum essent translatae, ad multas alias patefacta est hoc ipso via et aditus.

Turni itaque originem poeta a *Danae*, Acrisii regis Argiuorum filia, Persei matre, repetiit: fabulam vulgarem sequutus, qua *Ardea a Danae, Persei matre, condita* credebatur: Plin. III s. 9. Danae enim vitio a Ioue accepto intra arcam a patre inclusa inque mare praecipitata, inde ad Seriphum, vnam ex Cycladibus, delata, a piscatore reti extrahitur. Vide Pherecydis narrationem apud Schol. Apollonii IV, 1091. Alii a praedonibus repertam narrasse videntur. Inde Plinium XXXV, 40 s. 32 illustrandum arbitror: *Artemon* pinxit *Danaen, mirantibus eam praedonibus.* Accessit hinc alia fabula: Danaen fuisse ad Italiam delatam, ibique eam Ardeam condidisse. Naui quidem cum sociis aduectam poeta noster tradere maluit: nam lib. VII, 409 *Audacis*, inquit, *Rutuli ad muros, quam dicitur vrbem Acrisioneis Danae fundasse colonis Praecipiti delata noto.* Inque eo adeo a vulgari narratione recedit Maro, quam Seruius male ad loci huius interpretationem admouet, ad v. 372, cuius nota apud Pompon. Sab. plenior extat. Qua Italiae parte Danaes appulsus factus esset, non constante satis fide traditum videtur: aliis ad Apuliae littus, aliis ad Ardeatem agrum, escensum factum prodentibus. Tota tamen fabula nugatorio, quantum quidem video, verborum lusui originem debet, ac si Daunia, quae Apuliae pars est, a Danae Acrisii filia nomen et colonos acceperit. A Daunis autem cum Rutulos ortum traxisse vetus fides esset, Danaes fabula etiam ad Rutulos tracta et reuocata est.

Itaque Turni quoque genus ab eadem Danae repetitum a poeta in versibus supra adscriptis: Turno *Inachus Acrisiusque patres mediaeque Mycenae.* Generis splendorem egregie ornauit poeta, etiam nominum vetustate, pro eo quod dicere poterat, ab Argiuis regibus Turnum genus suum duxisse. Acrisius, Danaes pater, Argiuorum rex, ab Inacho erat oriundus (hinc: *Inachus Acrisiusque*

patres), Perseus autem, Danaes f., Mycenas condiderat regnique sedem fecerat, relictis Argis Megapenthi Proeti filio (hinc: *mediaeque Mycenae* pro media Graecia).

Ex Seruii ad lib. VII, 372 narratione Danae ad Italiam delata, *regi* (addunt alii Pilumni nomen, Rutulorum regem Pompon. Sab. edit) *oblata fuit: qui eam sibi fecit uxorem; cum qua etiam Ardeam condidit: a quibus Turnum vult* (poeta) *originem ducere.* Nihil de his differte Virgilius: sed is Turni genus alia arte ad summam nobilitatem euexit, dum ei maiores assignauit veteris Italiae heroes ac deos creditos; cumque in his a communibus fabulis aliquantum recedat, dispiciemus haec paullo curiosius. Alia narratio apud Serv. ad VIII, 345 occurrit: *alii Danaen cum duobus filiis Argo et Argeo, quos de Phineo habuit, venisse in Italiam, et locum, vbi nunc Roma est, tenuisse, ibique Argum Aboriginum insidiis interfectum loco* (Argileto) *nomen dedisse.*

Turni quidem patrem edidit *Daunum*, nomine antiqui illius Dauni, de quo modo memoratum est, a quo tamen diuersum eum statuere necesse est. Ab hoc designantur Rutuli: *Daunia gens, Daunia plebes:* agitque de eo poeta sic, ac si ille ea loca ante Turnum tenuisset, senex tamen adhucdum viueret: lib. X, 615. 616 *quin et pugnae subducere Turnum Et Dauno possem incolumem seruare parenti;* v. 688 *Et patris antiquam Dauni defertur ad vrbem,* h. Ardeam. Lib. XII, 22 *Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta Multa manu;* v. 43. 44 *miserere parentis Longaeui, quem nunc moestum patria Ardea longe Diuidit;* et XII, 934 ipse Turnus ad Aeneam: *Dauni miserere senectae.*

Mater porro Turni *Venilia* est: lib. X, 76 *cui diua Venilia mater;* illustre nomen a Venilia dea ductum, de qua sup. Exc. V egimus. Sed Turni mater soror erat Amatae, Latino nuptae: vnde lib. VII, 366 ei *consanguineus Turnus*, et XII, 29 *cognatus sanguis*, qua cognatione victum se profitetur Latinus, vt Lauiniam Turno desponderet. Apud Victorem O. G. R. c. 13 *Piso quidem Turnum*

matruelem Amatae fuisse tradit. Paullo ante *consobrinum Amatae* dixerat. Itaque et haec poeta non inuenit, sed in suam rem transtulit.

Porro inter Turni progenitores *Pilumnus:* ibid. *Cui Pilumnus auus.* Non subtiliter cum poeta agendum, qui Pilumnum modo auum, modo parentem (lib. IX, 4), etiam abauum Turni facit (X, 619 *Pilumnusque illi quartus pater);* vtitur enim communibus vocabulis parentis, aui, latiore sensu. Valere autem et hoc nomen ad dignitatem generis augendam debet. Fuit enim Pilumnus nomen dei Indigetis, quem varie interpretantur veteres, modo qui cum Picumno inter deos coniugales sit, atque infantiae mala propellat, modo qui e diis agrestibus sit, pilo inuento rusticis gratus, idem qui Stercutius: conf. Seru. ad lib. IX, 3. 4, lib. X, 76, et Non. Marc. XII, 36. Arguit haec ipsa interpretationis diuersitas vetustatem religionis. Per Pilumnum autem genus suum Turnus ad ipsos deos Saturnios et ad ipsam Iunonem referre debuit, etsi, qua ratione id factum, obscurum sit; nam Iuno lib. X, 618 *Ille tamen nostra deduxit origine nomen, Pilumnusque ipsi quartus pater.*

De *Iuturna*, Turni sorore, Nympha Latii, supra Excurs. III extr. disputatum est.

Etsi igitur Turnus Graecam originem referre videri potuit, ex altera tamen parte inter Latinos populares habitus est. Inde exclusus est coniugio Lauiniae ab oraculo, quod aduenam ei destinauerat, non aliquem e popularibus, lib. VII, 96. In his iisdem vertitur argumentatio Amatae VII, 365 sqq. cf. Not. ad 599. 600.

Quod Turnum Herdonium appellauit Victor O. G. R. 13, grauis est lapsus ex permutatione Turni Herdonii Latinorum principis, quem Tarquinii Superbi fraus euertit. Ceterum de Turno et Ardea post Cluuerium egit copiose Vulpius in Vet. Lat. Tom. V, sed doctrinae subtilitatem in plerisque desideres, copiam facile concedas.



EXCVRSVS VIII

Ad recenſum populorum, qui cum Latino armorum ſocietatem inierant.

VII, 640 ſqq. Cum Virgilii eruditio inprimis miratione nem faciat in veteris Italiae originibus, quas et accurate inueſtigaſſe et commode atque ingenioſe carminis ſui indoli accommodaſſe videtur; non pigebit, in hanc carminis partem excurrere, et, quae ſingulis locis veteres fabulae ei ante oculos verſatae ſint, ſub vnum obtutum exponere.

Primum quidem illud, quod iam diximus, obſeruatione dignum inprimis eſt, quod *in Turni partes*, quem a Graeca origine genus ducere memorauerat, adduxit eos

populos, quibus Graecae origines vulgo tribuebantur: quo ipso rationem aliquam inuenit, qua excitos varios Italiae populos Troianis obiiceret aduersa acie pugnantes. Vetus Graecorum odium aduersus Troianos, nupera Troiae clade nondum expletum, sed eo magis in eos, qui clade superstites profugerant, inflammatum, caussas auxilii ferendi praebet idoneas. Quo illud idem, quod toties monuimus, firmatur, epici carminis Virgiliani fructum satis iucundum vix esse posse illi homini, qui non fabulis illis antiquis, inprimisque Homericis Italicisque, imbutum habeat ingenium. Hoc est, quo summa rerum redit.

Ii igitur, quos hic enumerat populos auxilia Latino et Turno adducentes, ex genere sunt eorum, qui *vrbium* suarum *conditores Graecos* habuisse ferebantur, vti in singulis mox videbimus. Graeca origo eosdem mouet, vt Diomedis auxilia petant inf. VIII pr. Latinos populos ac ciuitates ordine certo seu situs seu vetustatis memoratas expectabat forte aliquis a poeta. Verum lubrico ille insistebat vestigio: ab Alba Longa, quae hoc tempore erat nulla, ortum habere omne nomen Latinum, et ab ea deductas esse colonias XXX Latii ciuitates, vulgo tum constabat. v. Dionys. III, 31 et I, 15. Quid? quod superiore libro, VI, 773—777 aliquot harum vrbium ipse excitaverat, quae tunc adhuc essent *sine nomine terrae.* Sapienter itaque ab hac enumeratione abstinuit, et vetustissimarum tantum vrbium nomina apposuit, nullo certo ordine dispositа: quarum etsi magna pars inter colonias Albae Longae numerata est, tamen eae his ipsis coloniis, quibus iterum frequentatae seu suppletae fuerant, antiquiores creditae sunt. Ordine autem geographico relicto poeticis rationibus melius consuluit poeta; varietatem enim et libertatem in dilectu sibi ita reliquit. Varietatem etiam in hoc sequutus est, quod *Troianorum socios Arcades* et *Etruscos* alio loco commemorandos distulit, illosque nauibus advectos narrauit inf. X, 166 sqq., vbi cf. Serv.

De *Mezentio* alio Excurſu (III ad lib. VIII) dictum eſt: tyrannus ille fuerat Agyllae, vrbis Etruſcorum, quae Pelasgicae originis veſtigia manifeſta retinuerat. vid. Dionyſ. I, 21. Qui ſequitur, *Auentinus*, Herculis filius, Graecam ſtirpem patris nomine ſatis prodit. De eo v. ad v. 655.

670—677. In iis, quae de *Tibure* memorat Virgilius, aperte rationem ſequitur, quam ſupra attigimus, et morem illum, qui veteri hiſtoriae plurimum labis adſperſit, vt vrbium Italicarum origines a Graecis repeterent. Itaque Tiburis originem e Graecia media nonnulli petierunt. Locus claſſicus poſt Plinium XVI, 44 ſ. 87 apud Solinum, vbi c. 2 plures huiusmodi vrbium per Italiam origines exponuntur, tum: *Tibur, ſicut Cato facit teſtimonium, a Catillo Arcade, praefecto claſſis Euandri; ſicut Sextius* (Sextius Niger eſſe videtur, Plinio memoratus, qui graece de medicina ſcripſit. Niſi Sextus Gellius eſt, cuius liber fuit, Origo gentis Romanae.) *ab Argiua iuuentute* (et hoc plures alii ſequuti ſunt, vnde Horatio: *Argeo poſitum colono Tibur*). *Catillus enim Amphiarai filius poſt prodigialem patris* (ſc. terra hauſti) *apud Thebas interitum, Oeclei aui iuſſu cum omni foetu ver ſacrum miſſus, tres liberos in Italia procreauit, Tiburtum, Coram, Catillum, qui depulſis ex oppido Siciliae* (delenda haec vox ab indocto homine inſerta) *veteribus Sicanis* (*Siculos* debebat dicere. conf. Dionyſ. lib. I, c. 16) *a nomine Tiburti fratris natu maximi vrbem vocauerunt.* Cum in condenda vrbe conſociaſſe operas ſuas ferantur fratres, hinc modo *Tiburti* modo *Catilli* ſolius nomen in vrbis origine memorari ſolet, vti *moenia Catili* ex Horatio nota ſunt, et Silius VIII, 366 *Hinc Tibur, Catille, tuum;* cf. eund. IV, 225. *Tiburtus* heros etiam *Tiburs* et *Tiburnus* appellatus fuiſſe videtur. Variant fere libri in nomine, vt apud noſtrum VII, 671, XI, 519. *Tiburni lucum* certe apud Horatium vindicarunt viri docti. Et *Tiburnum* agno-

vit haud dubie Statius I Silu. 3, 74, vbi ſcriptura tantum inter *Tiberinus* et *Tiburnus* variat; et idem *Tiburnam domum* dixit III Silu. 1, 183. Virgilius, fratre Tiburto ad vrbis nouae praeſidium relicto, ceteros duo fratres ad belli ſocietatem mittit. De Tiburte egerunt inprimis Cluuer. in Ital. ant., Franc. Martius in Hiſtor. Tiburtina, et Ant. del Rè in Antiqq. Tiburt. (Tom. VIII P. IV Theſ. Antiqq. Ital.), et nuper Vulpius in Vet. Latio profano Tom. X.

De *Praeneſte* v. 678 ſqq. fabulam poeta domeſticam praetulit, de Caeculo, cum tamen de eius vrbis originibus non minus fabula Graecanica eſſet tradita, qua Praeneſtes, Vlyſſis nepos, Latini filius, eius vrbis auctor ferebatur. A Telegono conditum Praeneſte nomenque ab ilice (πρῖνος) ductum, memoratur in perſonato Plutarcho Parall. extr. Ita enim ludebant hi homines in nominibus. Addit tamen Solin. c. 2 *vt Praeneſtini ſonant libri, a Caeculo.* Plura de Praeneſte vid. apud Cluuerium, Suareſium in Praeneſte ant. et Vulpium Tom. IX Latii prof. Hoc vnum neſcio an ab aliis obſeruatum ſit, quod Praeneſtinis h. l. Gabinos, Anienis accolas, Hernicos et Amaſeni accolas, ſeu ſocios ſeu ditioni ſubiectos adiungit Maro.

De *Iunone Gabina* v. 682 in notis ad e. l. dictum eſt. Quod *arua Iunonis Gabinae* memorat, etſi ea nota eſt poetarum in deſignandis vrbibus ratio, tamen id prouide feciſſe videri poteſt, quoniam lib. VI, 773 (vbi vid. Not.) *Gabios* inter vrbes, quae illo tempore nondum erant, memorauerat. Ceterum etiam Gabiis origo Graeca adſcripta, narratumque eſt, eam adeo Graecis litteris floruiſſe, vt etiam Romulus et Remus liberali diſciplina imbuendi eo mitterentur. vid. Plutarch. in Romulo p. 20 D. Tom. I. ed. Frf. et Par. Dionyſ. lib. I, c. 84 et Feſtum in *Roma*, ex Diocle Peparethio. Quod etſi fabuloſe traditum videtur, *Iunonis* tamen *Argiuae* in eam vrbem recepta ſacra Pelasgos aliquando cum Aboriginibus, hoc eſt, cum Auſo-

num ſtirpe, eam inhabitaſſe arguere poſſunt; niſi alterum ſequi malis, ſerius numen aliquod patrium in Iunonis nomen fuiſſe translatum.

Praeneſtinis, vt iam monuimus, Virgilius adiungit praeter Gabinos et Anienis accolas, *Hernicos*, et addit: *quos, dines Anagnia, paſcis, Quosque, Amaſene pater,* paſcis. Anagnia caput Hernicorum adhuc notum oppidum eſt. Enimuero in Amaſeno fluuio, qui paullo vltra Setiam exortus Priuernum praetergreſſus, per Volſcorum fines apud Circaeum in mare exit, haeret Cluuerius Ital. ant. p. 981, dum ad Hernicos deſignandos eum a poeta memorari arbitratur: inter Anagniam enim, Hernicorum vrbem, et Amaſenum interiectos eſſe Signinos et Setinos. Sed ſumit vir doctus, quod poeta non dat; non enim ille Amaſeni accolas Hernicis annumerat, ſed vna cum Hernicis eos Praeneſtinis tamquam belli ſocios ſub iisdem ſignis incedentes adiungit.

Alii adnotationi locum facit Macrobius Sat. V, 18, qui in verſſ. 689. 690, vbi Hernici cum ſociis *veſtigia nuda ſiniſtri Inſtituere pedis; crudus tegit altera pero*, Euripidem in Meleagro, vnde verſus quoque adſcripſit, — Τὸ λαιὸν ἴχνος ἀναρβύλοι ποδὸς, | Τὸν δ' ἐν πεδίλοις, ὡς ἐλαφρίζον γόνυ | Ἔχοιεν — Virgilio ante oculos fuiſſe contendit, et poetae huius *occultiſſimam diligentiam* inde arguit, quod ab Aetolis hoc ad Hernicos transtulit, qui Pelasgica ſtirpe orti ab Hygino tradantur, a qua etiam Aetoli originem habebant. Locus eſt ſatis copioſus; ſed totum Macrobii acumen, vt ex animo dicam, ineptum eſt, et idoneo fundo caret. Virgilium cum Iulio Hygino Hernicos ab Hernico, duce Pelasgo, ducere, nusquam appareret. Si tamen duxiſſet, nimis longe petita res erat, propterea quod ab Pelasgis Aetoli quoque oriundi erant, transferre ad Hernicos, qui nihil cum Aetolis commune habent, ea, quae de Aetolis narrata ſunt. Sed nec Virgilius Hernicis id praecipue tribuit, vt vno pede calceato, altero

nudo, incedant, verum omnino Praeneſtinorum et ſociorum agmini: neque ille habitus adeo inſolens et ad excogitandum difficilis erat, vt poetae in animum venire non poſſet; tandem et in eo fallitur Macrobius, quod *hunc morem in Italia fuiſſe, vt vno pede calceato, altero nudo, iretur ad bellum, nusquam repererat.* Nam occurrit ille paſſim, vt in Graecis ſic in Etruſcis monumentis, inprimis in vaſis, vt apud Dempſterum in Etruria regali t. 90 in f. Porro, vt Silii imitationem omittam, qui dat lib. VIII, 421 Sabinis *laeuo tegmina crure* (nam gentem Libycam nil moramur lib. III, 279 cui ſunt *laeuo tegmina crure*), apud Liuium quoque IX, 40 Samnitium armatura eiusmodi narratur, vt *ſiniſtrum crus ocrea tectum haberent.* Qui locus Ariſtotelis cenſurae robur addere videtur, qui Euripidem reprehenderat, quod laeuum pedem nudum, dextrum ocreatum, tribuerat Theſtii liberis Aetolorum more; nam apud hos contrarium morem obtinuiſſe (ita enim Ariſtotelis verba ab Euripideis ſeiungo), et id quidem merito; non enim laeuum, ſed dextrum pedem, tamquam anteriorem et praegredientem, nudum et expeditum eſſe debere. Contrarium tamen ſequutus eſt Virgilius, nec minus recte. Nam Euripidis reprehenſio proprie ad rationem adiectam ὡς ἐλαφρίζον γόνυ ἔχοιεν ſpectat: et ſiniſtrum crus recte nudari potuit, quandoquidem ſcuto tegebatur. Ita de priſca Romanorum militia Vegetius lib. I, c. 20 *Pedites ſcutati, praeter cataphractas et galeas, etiam ferreas ocreas* in dextris cruribus *cogerentur accipere.* cf. Lipſ. de Militia Romanor. III, 7. Vtraque adeo ratio vſu et conſilio defenditur. Nam nec minus *laeuus pes*, qui in *gradu militari iaculantis vel ſagittam emittentis anterior* eſt, cum ſcuto tegi non poſſet, ocrea muniri potuit ac debuit. Verum etiam ſi ſcuto tegeretur, vel ſic tamen ille ocrea muniri potuit, dexter nudari, quando in gradu militari hic retro ferebatur, laeuus anterior erat; vt v. c. in gladiatore in opere figlino *(terra cotta)* expreſſo ap. Eminent. Card. Steph. Borgia in Muſeo Veliterno, (Guattani *Monum. ant. ined.* a. 1787. M. Maio tab. III et p. 43. 45.

An anaglyphum No. 132 apud Winckelman. Mon. ant. huc vocari possit, dubito: Achilli armis sumtis alteram ocream cruri circumdat nescio quis.) Alio sensu, (contra quam statuebat Toup. Emendat. in Suidam Tom. I, p. 310. 311 in Καρδοῦχοι) τῷ ἀριστερῷ ποδὶ προβαίνειν accipiendum erat apud Xenoph. in Cyri exped. IV, 2 extr., vbi de barbaris grandiore arcus genere vtentibus: εἶλκον δὲ τὰς νευρὰς, ὁπότε τοξεύοιεν (adeoque dum arcum intendere volebant), πρὸς τὸ κάτω τοῦ τόξου τῷ ἀριστερῷ ποδὶ προβάλλοντες, *sinistro pede in imum arcum* (sc. humi impositum) *immisso*, virium colligendarum caussa. Illustrat rem Arrian. Indic. 16 ἀλλ' οἱ μὲν πεζοὶ αὐτοῖσι τόξου τε ἔχουσιν ἰσόμηκες τῷ Φορέοντι τὸ τόξον, καὶ τοῦτο κάτω ἐπὶ τὴν γῆν θέντες, καὶ τῷ ποδὶ τῷ ἀριστερῷ ἀντιβάντες, οὕτως ἐντοξεύουσι, τὴν νευρὴν ἐπὶ μέγα ὀπίσω ἀπαγαγόντες. Ceterum Euripideum fragmentum ex Meleagro post Schraderum illustrauit Valkenar. ad Phoeniss. p. 623 et in Diatribe de fragm. Eurip. p. 145. Laudat Aetolorum morem etiam Schol. Pindari Pyth. IV, 133, sed nihil inde nouae lucis expectandum. In carmine Anthol. Steph. p. 315. Analect. Tom. III, p. 213, 297 Lycurgi Thracis est signum, quod μονοκρήπιδα eum exhibebat: h. e. vno tantum crure ocreato: vt adeo falcem alteri facile infligere posset.

Copiae, quas *Messapus* adducit, v. 691 sqq., ex *Etruriae* veniunt *vrbibus* iis, quae *Graecam originem* habere credebantur; eaque de caussa ipsae diuersas a ceteris partes sequi existimandae sunt. De Faleriis, Fescennia, Soracte et Capena ex Dionysio, qui adeundus est lib. I, 21, tum ex Plinio et aliis, nolo enim nota repetere, pro certo id constat. Sed Messapum, cum in his commune aliquod aut fictum inuentumque nomen ponere non liceret, vnde poeta arcessiuerit aut in Etruriam transtulerit, non video. Sane in extrema Italia *Messapia* est, Graeco nomine, vt Strabo ait lib. VI, p. 425 B, eadem *Iapygia* dicta. Eam oram variis temporibus varios accepisse cum ex Illyrico tum e Graecia colonos mirum non est. Ex

Illyriis vtique fuere Apuli. Antiquis iam temporibus Pelasgi circa ea loca confederant, *Peucetii* dicti a Peucetio, quem Oenotri fratrem ediderunt. *Peucetium*, *Iapygem*, et *Daunum* fratres memorauerat Nicander apud Anton. Lib. 31. Sane Daunii non nisi pars Peucetiorum fuerunt, vt ex Strab. VI, p. 437 B., et Anton. Lib. 31 colligo. *Sallentinos* ab Idomeneo deductos, lib. III, 400 vidimus. cf. Strabo VI, p. 430 A. Herodotus lib. VII, c. 170 *Cretenses*, qui cum Minoe in Siciliam venerant, postquam inde discesserant, ad Iapygiam appulisse, Hyriamque condidisse narrat: καὶ μεταβαλόντας, ἀντὶ μὲν Κρητῶν Ἰήπυγας Μεσσαπίους γενέσθαι. Scilicet confederant inter barbaros, Messapygas vel Messapios dictos, quorum nomine ipsi deinde censi sunt. Illyricos hos barbaros fuisse credere licet, et hoc inter cetera fabulose narrata recte tradit Nicander apud Antonin. Liber. c. 31. Pars ex iis in Thraciam traiecit, vbi Bottiaei sunt appellati, v. Conon. c. 25, Strab. l. c. VI, p. 427 B, et ibi Not., et mansit adeo nominis memoria in monte Messapio Macedoniae apud Aristotelem Hist. Anim. IX, 45. Supra memoratam ex Herodoto famam respicit Strabo lib. VI, p. 427 B. et p. 431. 432. At vbi ille de Messapio monte agit, lib. IX, p. 621 A. B., cui Anthedon vrbs subiecta est, *montem hunc Boeotiae* ait *nomen a Messapo habuisse, qui ad Iapygiam accesserit eamque Messapiam appellauerit.* vid. ibid. Casaub. Conf. Serv. ad Aen. VIII, 9. Fallitur vero Stephanus Byz., qui Messapum Euboeae montem edidit. Num vero Messapus e Boeotia homines deduxerit, et quo tempore hi Boeoti ad Italiam appulerint, et an nominis Bottiaeorum similitudo narrationi effingendae licentiam fecerit, equidem non dicam. Saltem Messapus aliquis conditor et rex Messapiorum inter veteres celebratus fuit: Plinius III, 11 s. 16 *Calabria — Graeci* Messapiam a duce *appellauere.* conf. Solin. c. 2, p. 10 B. Apud Silium lib. XII, 393 *Ennius antiqua Messapi ab origine regum* editur; et Seruius ad nostrum locum v. 691 *Ab hoc Ennius dicit se originem ducere.* Rudiae enim in Iapygia seu Messapia sitae erant.

Quae cum ita se habeant, ad assequendum difficile est, quomodo hoc vno in loco Virgilius veterem famam deferere et Messapum, cui in extrema Italia sedem constanter assignauit vetustas, Fescenninis, Falisci, ceterisque enarratis Etruriae populis ducem dare maluerit. Videtur certe poeta sequutus esse aliquid, quod nunc ignoratur: nam exornat hunc Messapum eiusque copias et singulari ritu illustrat, quod cum rhythmo et cantu incesserint. An Seruio aliquid tribuendum sit dubito, dum ait: *Ab hoc* (Messapo) *Ennius dicit se originem ducere: vnde nunc et cantantes inducit eius socios et eos comparat cycnis.* Incessum quidem talem cum cantu, et saltationi numerosae similem, multis barbaris vsitatum fuisse satis constat. cf. Cerda ad h. l. Ad Fescenninorum carminum licentiam et iocos vero respicere poetam non credo. Quod Neptuni filium facit Messapum Virgilius, recte ex vetere more loquendi explicat Seruius: *Hic Messapus per mare ad Italiam venit: vnde Neptuni dictus est filius.* Ita enim multi passim Neptuni aut filii aut amasii appellati fuere, quoniam mari aduenerant: v. c. Pelops apud Pindarum Ol. I. Vnde autem in mentem venerit poetae, vt hunc Messapum indomitum igni et ferro faceret, ita fere assequi mihi videor, quod inter eos, quos ducit, Soractis montis accolae sunt, Hirpi illi suo nomine dicti, qui sacrificio annuo, quod ad eum montem fiebat Apollini, *super ambustam ligni struem ambulantes non adurebantur.* Plin. VII, 2. cf. Aen. XI, 587 sqq.

v. 706—717. *Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum Agmen agens Clausus — Vna ingens Amiterna cohors* etc. Fines agri Sabini poeta paullo latius constituit quam ad sequentium aetatum rationes, quas Strabo et Plinius ante oculos habuerunt. Saltem latus septentrionale vsque ad montem Fiscellum extendit, sub quem Nursia posita erat, et ab occidente Hortam, vltra Narem Tiberi immissum, memorat. *Amiternum*, quin-

que circiter millia ab *Aquila* versus Aterni fontem in loco situm, qui *S. Vittorino* vulgo appellatur, non infrequens prisca aetate oppidum esse debuit, si quidem poeta *ingens Amiterna cohors* dicere potuit. *prisci Quirites* respectu Romanorum, qui et ipsi Quirites dicti, ex quo Sabini *Curibus* oriundi cum T. Tatio Romam venerant. *Cures* autem, antiquissimum Aboriginum oppidum, pronuntiari debuit *Quires* vel *Quiris*, Κῦρις, vnde *Quirites* dicti, pro *Curensibus*. Situs Curium fuit in Sabina regione, non, quod Cluuerius p. 675 putauit, in loco *Vescovio* nunc dicto, sed paullo inferius ad sinistram ripam amnis *Corese*, in agri *Farensis* loco *Monte maggiore* dicto, id quod docte declarauit *Capmartin de Chaupy (Decouverte de la Maison de Campagne d'Horace*, Tom. III, pag. 75 sqq.), qui in hoc eodem loco villam sibi redemit et instruxit. Idem pag. 67 sqq. totum poetae locum egregie illustrat; vnde transferemus nonnulla in h. l., quandoquidem nusquam alibi tam accurate haec tractata vidimus. *Eretum* vulgo in colle haud procul Tiberis ripa, *Monte Ritondo*, quaesiuerunt: idem vir doctus situm aliquanto propius ad Tiberim in colliculo explorauit; appellatur locus *Rimane;* v. p. 85. 91. *Mutusca* est *Trebula Mutusca*, situ ex marmoribus et ruinis deprehenso, circa templum S. Victoriae fuit, mille passibus a vico *Monte Leone*, XIV millibus supra Reate, nunc *Rieti* ibid. p. 93. Nec longe abest vicus *Oliveto* dictus, quod ipsum nomen epitheton *oliuiferae Mutuscae* declarat. 712. *Nomentum*, quod inter colonias Latinas sup. VI, 773 commemoratum vidimus, sed in agro Sabino situm oppidum, vestigia habet satis certa viae Nomentanae et nominis in vico *Mentana*. *Rosea rura Velini*. Rosea, seu campi Roseae, in agro Reatino ad lacum Velinum, summae olim fertilitatis, ex Plinio, Varrone aliisque satis noti sunt, vid. Cluuer. p. 679 et Capmartinus l. l. 99 sqq. Magna pars horum camporum lacu demum Velino emisso emersisse videtur: aquarum autem sulphurearum limus ad fertilitatem soli haud dubie profuit. 713. *Tetricae horrentis*

rupes montemque Seuerum in montium iugis fuisse, qui ad orientem Nursiae in Piceno erant, dubitari nequit. cf. Cluuer. p. 692. 693. Vltra oppidum *Leonessa* in *Abruzzo vltra* eos constituit Capmartinus p. 120. 714. *Casperiam* versus Himellae fluuii, qui nunc *Aia* est, fontem sitam, eam esse, quae nunc *Aspra*, satis constat: abfuisse tamen aliquantum ab hac vrbe, et in valle *Presenzano* ruinas conspici tradit Capmartinus pag. 122 sq. *Forulos* in loco inter vetus Amiternum et recentiorem ciuitatem *Aquila* sitos, nunc *Civita Tomassa* dictos, satis exploratum est. Quod tamen poeta Forulos inter *Casperiam* et *flumen Himellae* memorauit, transuersum egit virum doctissimum modo laudatum, vt *Forum nouum*, quod circa Himellam situm fuit, et *Forum Decii* poetam respexisse putaret. Sed poetae hoc condonandum est, vt in regionum situ geographicam subtilitatem deserat. 715. *Tiberim* sc. qua patet inter Narem et Anienem. *Fabaris*, aliis *Farfarus*, nunc *Farfa*, ad Tiberim descendit. 716. *Nursia*, nunc *Norcia*, versus fontes Naris inter montium frigora, et *Horta*, ad ostia Naris, qua Tiberi immittitur, a Plinio oppidis Etruriae annumerata, nihil difficultatis habent. *populi Latini* intelligendi siue de coloniis Latinis in agrum Sabinum deductis, siue de oppidis a Latinis conditis et habitatis, quae temporum successu in Sabinorum ditionem cesserunt. Hoc Cluuer. pag. 651 statuit. conf. Capmartin. pag. 136 sqq. 717. *Allia*, exiguum flumen, Romanorum clade a Gallis accepta satis notum, dubitatur, quo loco defluxerit. Cluuerius esse credidit amnem *Rio di mosso*, Capmartinus amnem *S. Giovanni della Torre*, qui infra *Castel Giubileo* Tiberi iungitur. vid. ibid. pag. 148 sq. Ceterum in *Sabinis* abstinuit poeta ab *origine Spartana* commemoranda, cui comminiscendae morum seueritas opportunitatem fecerat. Vide vel Seru. ad VIII, 638.

722 seqq. *Halesus*, vel *Alesus*, adducit populos e priscis *Auruncorum* et *Oscorum* sedibus. Fuerunt isti veterum Ausonum reliquiae, tandemque a Romanis deleti

sunt. Halesus, *Agamemnonius* dictus v. 723, quod accipiunt vt sit Agamemnonis filius. Id vero alienum a poeta. Nam inf. lib. X, 417 pater ipsi fuisse traditur *vates*, qui senex obiit et filium, cuius fata praeuiderat, in silua educauit. *Agamemnonius* igitur ad originem generis referri necesse est: id quod commentis, super Graeca Italicarum vrbium origine, quae saepe commemorauimus, debetur. Ab Argiuis autem repetitum est genus: *Agamemnone caeso, Et scelus et patrias fugit Halesus opes:* Ouidius Amor. III, 13, 31. 32, vt adeo inter Agamemnonis copias et comites Mycenas reduces Halesus fuisse credendus sit. Sed discedit ab aliis Maro in hoc, quod Campanorum ducem facit Halesum. Nam alii Falisсorum originem et nomen ab eo repetunt: Ouidius Fast. IV, 73. 74, et Amor. III, 13, 31 seq., in qua elegia Iunonis Falisсae sacrum et pompam narrat. Solin. c. 8, Seruius ad VII, 695, Alsium autem Etruriae ei tribuit tamquam conditori Silius VIII, 476. Facilius tamen ad assequendum est, quomodo ad Halesum Falisсi reuocari potuerint; fuere enim Falisсorum Falerii, oppidum; *F*, Aeolicum digamma, adspirationis vicem subire, tot exemplis constat; itaque ex *Halesus*, *Halesii*, *Falesii*, *Falerii*, *Falisсi* facti. Mox *Aurunci* v. 726 intelligendi, qui vltra Lirim habitarunt, quorum Suessa Aurunca fuit. Nam alia Auruncorum pars cis Lirim Latii partem coluit: Ex his sunt *Auruncae manus*, quae Turnum sequuntur inf. VII, 795. Potest Auruncorum pars ab eo perdomita fuisse videri; sic enim lib. XII, 93. 94 Turnus hastam gestabat *Actoris Aurunci spolium:* et *oppida multa capta manu* iam ante v. 22 commemorauerat. Quid quod etiam Auruncos Rutulosque versus Sicanorum fines non longe a Tiberi collocat poeta lib. XI, 316. 318; quo factum, vt inter eos adeo, qui Turnum sequuntur, lib. VII, 795 *Sicani* ponantur: *Auruncaeque manus, Rutuli veteresque Sicani.* Inter Oscorum populos etiam *Sidicini* fuerunt. vid. Strabo lib. V, pag. 237 C., a quibus Teanum Sidicinum nomen retinuit. At *Cales* vetus

Ausonum, tum Campaniae vrbs Liu. VIII, 16. Etiam huius vrbis originem Graecam effinxit Silius VIII, 514 sqq. v. 729. *vadosi Volturni*, qui aliis poetis *rapax*, *celer*, *sonorus*, quam fluuii naturam ipsum nomen, a vulture ductum, respicere videtur. Sed idem fluuius pro diuersis locis, per quae cursum facit, diuersam aluei et cursus naturam habere potest. conf. Burmannus ad h. l. *vadosus est prope mare*, ait etiam Pomponius: sed falso adiicitur: *vbi est Linternum*. *Saticula;* Campaniae vrbs, vnde Saticulani; priscis temporibus Saticulos, ab Ausonum stirpe, colonos habuisse videtur. Epitheton, *asper*, ad locorum situm Tifatis subiectum spectare arbitror; Iidem colles, Tifata, Capuae imminebant Liu. VII, 29, Silius XII, 487. *Oscorum manus*. Opici, Opsci, et Osci, vetus Ausonum gens, quae tamen temporis successu, vt fit, a communi stirpe ita abalienata fuit, vt pro diuersis populis haberi possent Ausones et Osci, conf. Strabo V, pag. 242 C, antiquitus cis et vltra Lirim habitarunt. Sed in Latio mature nomen defecit, serius permansit in Campania. Primi in eorum terris aduenae Cumas condidere Chalcidenses ex Euboea, mox Etruscorum vires in iis locis increbuere, tandem a Samnitibus et Romanis vestigia quoque gentis excisa sunt, quae supererant maxime circa Atellas.

733—743. Iterum aliae de Graeca Italicarum vrbium origine fabulae. *Teleboae* Taphum, vnam ex Echinadibus, incoluerunt, in quam ex opposita Acarnania transierant. Relicta Tapho, Capreas insulam, Surrentino promontorio Campaniae obiectam, eos adiisse, hoc ex loco constat. Rex eorum Telon ex Sebethide nympha, Sebethi fluuii ad Neapolim filia, suscepit Oebalum, qui in continente Italiae, ex aduerso opposito, occupasse narratur loca circa Sarnum, in Hirpinis et in extrema Campania. Fabulam ex nostris petierunt Silius et Statius; quis Virgilio praeiuerit, non constat. *Sarrastibus*, Sarni fl. accolis, Graecam olim originem tributam a nonnullis

fuisse, ex Seruio constat: *Conon* (videtur fabulosarum narrationum auctor fuisse) *in eo libro, quem* de Italia *scripsit, quosdam Pelasgos aliosque ex Peloponneso conuenas, ad eum locum Italiae venisse dicit, cui nullum antea nomen fuerit; et flumini, quem incolerent* (l. quod accolerent), *Sarno nomen imposuisse ex appellatione patrii fluminis* (de quo nescio an aliunde constet) *et se Sarrhastes appellasse. Hi inter multa oppida Nuceriam condiderunt.* Scilicet *Sarnum* olim *Sarrum* pronuntiatum esse necesse est. Neque aliud quicquam super Sarrastibus et eorum origine affert Camillus Peregrinius de Campan. felice Diss. II, n. 24. Qui somnia requirit, adeat *Euboici abitatori di Napoli* p. 263 sqq., qui liber Neapoli sub Ducis *Michele Vargas Macciucca* nomine vulgatus est. *Rufrae* vel *Rufrium* in Hirpinorum finibus, in Samnitium potestate habitum, nunc *Ruvo* in *Terra di Bari;* circa eadem loca *Batulum* et *Celenna* sita fuisse videntur. At *Abella* notum Campaniae oppidum, inter Chalcidensium colonias numeratum a Iustino XX, 1, 13. Quod *malifera* appellatur, etiam *nucis Auellanae* nomine firmatur.

744 sqq. *Aequi, Aequani* vel *Aequiculi,* vel *Aequiculani,* exiguum ad vtramque Anienis ripam tractum inter Marsos, Pelignos, et Sabellos montes inhabitarunt, agrestis et fera gens, a Romanis victa et extincta; vnde poeta: *Horrida gens adsuetaque multo Venatu nemorum duris Aequicula glebis. Nersas* a nemine alio memoratas vidi. *Vsentis* nomen ab amne, qui per Volscorum fines iuxta Tarracinam mare inferum intrat, ductum videtur. Fluuium eodem nomine in Aequiculis fuisse, tradit Pompon.

750. *Marruuia de gente.* Varia sunt veterum et recentiorum commenta. Res ita in ordinem redigenda. Videntur *Marsi* ab initio fuisse *Marri,* vnde vrbs eorum *Marrubium.* Tradit quoque gentis et nominis auctorem

Marrum Silius VIII, 507 ſq. Sed pro more, quem toties attigimus, etiam Marſis e Graeca fabula originem circumſpexerunt Romani ſcriptores, partim a Marſya, Phryge, partim a Marſo, Circes et Vlyſſis filio: in quod commentum vt inciderent, locum fecit partim fama vetus de Marſorum veneficiis, partim promontorium Circaeum, quod Circe inſedisſe narrata fuit. Eius ſoror *Anguitia*, cuius nemus paullo poſt v. 759 occurrit. Vti autem Circe veneficiis celebrata fuit, ita Marſi nobiles ſerpentum incantationibus. vid. Plin. VII, 2. XXV, 1 ſ. 5. Silius VIII, 497 ſeqq. conf. Cluuer., vbi de Marſis pag. 759. Incredibilis eſt ſuperſtitioſae credulitatis veterum circa venena eorumque medicamina varietas. Videat aliquis vel Indicem Plinii in *Venenorum Medelis*. *Archippi* regis nomen poeta ex hiſtoriis accepit. Plin. III, 12 *Gellianus auctor eſt, lacu Fucino hauſtum Marſorum oppidum Archippe, conditum a Marſya, duce Lydorum.* Similia Solin. c. 2 pr.


761. Inter vrbes Italiae, quibus Graeca origo tributa fuit, *Aricia* quoque eſt, Latii haud ignobile oppidum. In proximo nemore Diana peregrino more fuit culta: cum ſacris praeeſſet fugitiuus ſeruus, cui gladio depugnandum erat aduerſus quemcumque alium ſeruum, qui ei victo in ſacerdotium ſuccedere poterat; ἀγῶνα μονομαχίας appellat Pauſ. II, 27, p. 173. Videtur religio ludos gladiatorios conſtituiſſe, ſed inter fugitiuos, vt victor pro rege Nemorali eſſet. Quae religio cum Scythicum ritum referre videretur, narrari vulgo coeptum, Scythicae Dianae ſimulacrum ab Oreſte de Taurica deportatum in eo loco eſſe conſecratum. vid. Solin. 2 pag. 13 C, et alios apud Cluuerium pag. 921 ſeqq. conf. ſup. Tom. I Vit. Virgil. §. 85. Egit de Aricia diligenter poſt Cluuerium Vulpius Vet. Latii lib. XIII, Tom. VII, pag. 179 ſeqq. In eodem Dianae templo heros indigena Virbius (a quo


et collis Virbius nomen duxit, de quo v. *Capmartin de Chaupy. Maiſon de Campagne d' Horace*, Tom. II, pag. 117 ſeqq.) domeſtica religione cultus fuiſſe videtur, quem ex aliqua ſeu formae et attributorum ſeu forte fabularum ſimilitudine Hippolytum ſeriores interpretati ſunt: niſi ad commentum illud nomen Virbii, *bis viri*, *παλιμβίου*, ritusque religioſus arcendi equos a luco (v. inf. 778) duxit: vt veteris cladis memoriam renouari heroi nollent. Addita hinc narratio de Hippolyto e mortuis reducto et in nemus Aricinum a Diana abducto. v. Ouid. Met. XV, 532 ſeqq. Eam fabulam Aricinorum domeſticam fuiſſe, ex Pauſania intelligitur lib. II, c. 27. Nunc poeta Ariciam nympham facit (quod magis placet, quam vt Aricia vrbs ſit, etſi ſic lib. X, 172 *Populonia mater)*, quae ex Hippolyto peperit Virbium. Multis modis tractata eſt fabula ab aliis: vnde diuerſae illae Grammaticorum rationes.

783 ſeqq. De *Turno* eiusque origine dictum eſt Excurſu VII. Tribuit ei poeta v. 793 ſeqq. regnum in *Rutulos*, quorum caput Ardea; Accenſi hi Latinis; etſi interdum de iis ita traditur, vt eos aliunde immigraſſe putes: niſi hoc ad Daunum tantum ſpectat, Turni patrem, qui cum Dauniis terram inſediſſe videtur. Saltem XII, 22 *Sunt tibi regna patris Dauni, ſunt oppida capta Multa manu.* In Excerptis Appiani lib. I *Rutuli Tyrrheni* memorantur; ſed vitioſe; quod etiam monuit nuper cl. Editor. Copiis a Turno adductis accenſet poeta etiam *Auruncos*, cis Lirim ſcilicet habitantes, aliosque a Tiberi inde ad Vfentem vsque incolentes populos: quos tamen nunc ſub imperio habere videri debet, quoniam Latini, bellum recuſantis, partes et munia ipſe ſuſceperat. conf. inf. not. ad XI, 317. Et inter hos quidem *Sicani* ad Tiberim videntur a poeta collocari lib. XI, 317 in finibus Rutulorum: ſeu quod poeta Sicanos pro

Siculis potuit. conf. Excurs. II ad VIII, 314. 328; seu quod alios auctores, qui nunc interiere, sequutus est. Inter populos quoque Latinos memorat *Sicanos* Plinius III, 9. Forte fuere ex priscorum Sicanorum reliquiis, qui hic priscas sedes retinuerant. *Sacranae acies* pro Ardeatibus dictae videntur, quoniam sacra magnae Deum Matris a Sacranis suscepta habebant. Certe hoc *Sacranorum* nomine Sacerdotum fuit collegium in ea vrbe, qui Matris magnae Deum sacra curarent. Marmora bina in eam rem iam laudauit Burmannus e Gudio pag. XX, 8. 9. Vide eadem illustrata a Vulpio Tom. V vet. Latii pag. 209 sqq. Festi locum iam laudarunt intpp. *Sacrani appellati sunt Reate orti, qui ex septimontio Ligures Siculosque exegerunt: nam vere sacro orti erant;* ex quo loco Seruiana lacinia petita ad Aen. XI, 317 f. *Illi* (Siculi) *a Liguribus pulsi sunt, Ligures a Sacranis; Sacrani ab Aboriginibus.* Si tamen Silii versum recordamur VIII, 417 *magnaeque Reate dicatum Caelicolum Matri,* ad ver sacrum ne recurrendum quidem esse videtur. Seruius: *Dicunt quendam Corybantem venisse ad Italiam et tenuisse loca, quae nunc vrbi vicina sunt: et ex eo populos ducentes originem* Sacranos *esse appellatos; nam sacrati sunt matri Deum Corybantes.* Sunt haec commentis similiora: ad sacra tamen Cybeles nomen *Sacranorum* ea ipsa referunt. Propius ad Festum spectant ea, quae sequuntur in Seruio: *Alii* Sacranas acies *Ardeatium volunt, qui aliquando, cum pestilentia laborarent, ver sacrum voverunt* (immo: quos parentes — vouerunt), *vnde* Sacrani *dicti sunt.* Iulius Sabinus Silii verba eo trahit (lib. VIII, 359) *Sacra manus Rutuli. Labici,* pro oppido Labico, seu pro oppidanis Labicanis, quod *picta scuta* habent, non apparet, poetaene ingenio an veteri famae debeatur. Ager Labicanus contiguus fuit Algidensi, Gabino, Tusculano ac Praenestino. Labici situm non

longe ab oppidulo *la Colonna* Holſtenius conſtituit, melius quam Cluuerius in agro oppidi *Zagarolo:* vt docet Vulpius in Vet. Latio Tom. VIII, p. 286 ſqq. (lib. XV, cap. 5). Erat autem inter Latii oppida antiquiſſima, Albanorum colonia eo deducta. Quae Seruius ad h. l. habet, inepti Grammatici commenta ſunt. *Numici ſacrum Littus:* De hoc vid. ſup. Excurſ. III ad h. lib. Reliqua in Notis ad e. l. perſequuti ſumus.





Huic deus ipse loci fluuio Tiberinus amoeno
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus — Aen. VIII, 31.


P. VIRGILII MARONIS
AENEIDOS
LIBER OCTAVVS

ARGVMENTVM

Belli signum Turnus ex Laurenti arce proponit, Latiique totius finitimarumque vrbium sibi auxilia adiungit. Venulus quoque Argos ad Diomedem mittitur, vt eum periculi similitudine ad belli societatem impellat — 17. Quibus rebus permotus Aeneas, copiarumque suarum paucitati diffidens, Tiberini monitu, adverso flumine in ea loca subuehitur, in quibus postea Roma condita fuit; Euandrique regis, qui, ex Arcadia profugus, in Palatino monte oppidum nomine Pal-

lanteum condiderat, auxilium implorat — 100. *Euander Aeneam, aduentus eius cauſſa cognita, benigne hoſpitio excipit; ſacrisque Herculis, quibus tum intentus erat, adhibitum, cauſſam a Caci nece repetitam* 185—267 *ritusque ſacrificii edocet, locaque eius tractus nobiliora obiter hoſpiti recenſet* 310—369. *Poſtridie Aeneas, equitum quadringentorum ſubſidio adiutus, quibus praeerat Pallas, vnicus Euandri filius, partem copiarum ſecundo flumine ad ſuos remittit: ipſe cum reliquis Agyllam, florentiſſimam Tyrrhenorum ciuitatem, petit; cui cum Mezentio, quem ob intolerandam crudelitatem regno expulerat, internecina odia intercedebant* 454—519. *Interim Vulcanus, vxoris blanditiis adductus, priuigno ſuo arma fabricatur* 370—453, *eademque a Venere ad Aeneam deferuntur; qui armorum pulcritudine delectatus, cum cetera omnia tum clipeum inprimis, qui res a poſteritate ſua ſtrenue gerendas habebat depictas, ſtudioſe admiratur* 520 ad f.

Etiam hic liber bello parando conſumitur, inprimisque auxiliis arceſſendis, dum Turnus per legatos Diomedem, Aeneas Euandrum adit. Quae res episodio viam munit elaboratiſſimo de Euandro, quo fabulas veteres Italiae et origines coloniae Arcadicae in Palatino monte exponit, Romanis cognitu iucundiſſimas. Qui autem de Aeneidis praeſtantia recte iudicare vult, non ex noſtrorum ingeniorum et aetatis genio iudicium facere debet; id quod importunum eſſet, etſi plerique ita faciunt; ſed id reſpicere animoque aſſequi, quam delectationem poetae carmina Romanis potiſſimum afferre poterant, quibus ille ea meditabatur. Iam origines Latii et Romae, ad noſtrum forte ſenſum, niſi peculiare ſtudium his litteris addixeris, parum iucundae, Romanis haud dubie eſſe debuerunt cognitu grauiſſimae: et qui delectationem, quae inde capi poteſt, aeſtimare vult, ante omnia ipſis illis originibus accurate cognoſcendis et enodandis operam



— *et maior Martis iam apparet imago.* Aen. VIII, 557.

Vt belli ſignum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, et rauco ſtrepuerunt cornua cantu;

1 *At* Zulich. et Erf. a pr. m. *ſignum belli* pr. Hamb. 2 *crepuerunt* Leid. *ſtupuerunt* Goth. ſec.

impendat neceſſe eſt. Quod idem vt faciat tanto magis interpreti incumbere, recte iudices. Succedit aliud episodium de armis et clipeo Aeneae, quod et ipſum ad Romanorum ſtudia comparatum eſſe manifeſtum fit.

1. Mira res videri debet, potuiſſe Turnum in aliena regia bellum inſtruere et copias parare. Talia animadvertere et poetam reprehendere in promtu eſt. Sed poeta ad priſcas aetates ſingula componere et adornare debuit, non ad ſua nec ad noſtra tempora. In regnis iſtis antiqui aeui ſumma rerum erat apud populum: eiusque voluntatem ſeu impetum exſequebatur rex. Bellum adverſus Troianos plebis ſtudiis ſuſceptum erat, renitente

Vtque acris concussit equos, vtque inpulit arma:
Extemplo turbati animi; simul omne tumultu
Coniurat trepido Latium, saeuitque iuuentus
Effera. Ductores primi Messapus et Vfens,
Contemtorque deum Mezentius, vndique cogunt

3 *Atque a.* Goth. tert. *concessit* pr. 6 *Mesapus* et *Messappus* in codd. 7 *Contemtor superum* Witt. *Mezzentius* Rom., vt al.

frustra Latino; tandemque, quod senectutis infirmitas et solitudo suadere poterat, rerum summam prorsus derelinquit: *Nec plura loquutus Sepsit se tectis rerumque reliquit habenas* VII, 600, et, cum Ianus esset reserandus, Latinus *foeda refugit ministeria et caecis se condidit vmbris.* Itaque Turnus succedere in partes Latini debuit: quo assumto in carminis argumentum nactus est heroem, quem ornaret poeta, et quem Aeneae opponeret. Principium libri parum splendere videtur; repetuntur ea, quae iam satis ex libro superiore constabant: nexum tamen et progressum a superioribus ad alia poscebat oratio. Narratio poetae procedit a v. 9 *Mittitur et magni Venulus Diomedis ad vrbem.* In belli signo, vexillo, ex arce prodendo, Romanum morem adumbrasse videri potest, qui in comitiis superstes mansit, vt vexillum in arce tolleretur; sed puto argutius hoc quam vere dici. *signum* puto per ipsa illa cornua vs. alt. explicari. Sic sup. VII, 512 *Pastorale canit signum cornuque recuruo Tartaream intendit vocem.*

3. Simplicissimum est de apparatu bellico accipere: vbi Turnus equos et arma excitauit, protulit, in medium produxit: extemplo totum Latium ad bellum est inflammatum. Nam *simul* simpl. est copula. *concussit,* concitauit adhuc otiosos. (Aliud est concutere *habenas equorum) impulit,* movit, adeoque manu tractavit et protulit. Nam *impellere arma* de percussione clipeorum accipere durum esse arbitror. Seruius autem

Auxilia, et latos vaſtant cultoribus agros.
Mittitur et magni Venulus Diomedis ad vrbem,
Qui petat auxilium, et, Latio conſiſtere Teucros,
Aduectum Aenean claſſi, victosque Penatis
Inferre, et fatis regem ſe dicere poſci,
Edoceat, multasque viro ſe adiungere gentis
Dardanio, et late Latio increbreſcere nomen.

10 *conſidere* Gud., vt alibi. Illuſtrat Heinſ. 11 *Aduentum* Zulich. Vrat. Ed. Iunt. cum Goth. tert. *Aeneam* edd. plerique. *claſſe* ed. Ven. *vectosque* Leid. a m. ſec. 12 *Auferre* Goth. tert. *ſe ducere* alter. Tum in tertio hemiſtichia v. 12 et 14 permutata: *et fati r. dicere poſſe*, et: *Dardanio et late L. i. n.* 13 *ſe iungere* pr. Hamb. 14 *Dardanium et — nomen* vir doctus in Mitc. Obſſ. IV, Tom. II, p. 380, non prorſus male; etſi enim *vir Dardanius* et ſimilia ſaepe occurrunt, tamen *nomen* nude poſitum minus gratum videtur: *increbeſcere* vulgg. vid. I Georg. 359. Aſperior ſonus antiquioris vſus eſſe et auſteritatem grauitatemque epicam adiuuare videtur.

pro more ſuo argutatur, dum ad ancilia commoueri ſolita refert; nec *arma* pro peditibus, ὁπλίτας, h. l. dici poſſe videntur. De *Meſſapo* copias ex Etruriae vrbibus adducente lib. VII, 691, de *Vfente* 745 et de *Mezentio* 647 ſeqq. iam memorauerat poeta.

9 ſeqq. Ad Diomedem, qui auxilia petant, mittuntur, propter communem originem Graecam, quae Turno tribuitur. vid. ſup. Exc. VII ſq. ad VII. Diomedis autem in Troianos, qui Troia capta profugerant eiusque irae ſe ſubduxerant, inflammatus eſſe debebat animus. Quae huius legationis fortuna fuerit, infra videbimus XI, 226 ſqq. ibique Excurſ. I. *Venulum* ex antiqua fama adſciuit poeta, quantum ex Seruio colligas. Hunc, inquit, fuiſſe conſtat Argiuum; nam Tiburs eſt, vt indicat locus XI, 757. Hunc alii Lauini imperaſſe olim tradunt. *vrbs Diomedis* Argyripa eſt. v. inf. XI, 246 et ibi Excurſ. I. cf.

Quid ſtruat his coeptis, quem, ſi Fortuna ſequatur,
Euentum pugnae cupiat, manifeſtius ipſi,
Quam Turno regi, aut regi adparere Latino.
Talia per Latium: quae Laomedontius heros
Cuncta videns, magno curarum fluctuat aeſtu;
Atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc,
In partisque rapit varias, perque omnia verſat.
Sicut aquae tremulum labris vbi lumen aenis

15 *Quid ſ. inceptis* Oudart. *Quid ſtudeat coept.* Goth. ſec. *quae ſi* tert. Rottend. 16 *cupiet* aliquot Pier. et duo Burm. *cupiant* Ed. Baſ. *capiat* Ed. Ven. 19 Sup. IV, 532 *magnoque irarum fluctuat aeſtu.* 561 *varioque irarum fluctuat aeſtu.* XII, 486 *vario nequicquam fluctuat aeſtu.* 20. 21 Verſus ſupra lecti IV, 285. 286. 20 *celerem nunc huc* duo Goth.

Serv. ad h. l. *et dicere, ſe poſci regem fatis.* ſup. VII, 272 *Hunc illum poſcere fata Et reor* etc. vocabulo de fatis proprio lib. V, 707. VII, 584. 16. *ipſi,* qui iam antiquus eius ſit hoſtis — „Vult autem intelligi, ait Servius, Aeneam etiam contra Diomedem bella geſturum, non tantum propter praeſens imperium, ſed et cauſſa hoſtilitatis antiquae.“

20. De verbis cf. ſup. IV, 285. 286. At comparatio, vt omnes viderunt, ſublecta eſt Apollonio Rhodio III, 754 ſeq. ornata a Marone; niſi quod motae aquae cauſſa ex infuſione recens facta in Graeco poeta non deſideratur: ὕδατος — τὸ δὴ νέον ἠὲ λέβητι Ἥ που ἐν γαυλῷ κέχυται. Ante oculos quoque erat Lucret. IV, 212 *Quod, ſimul ac primum ſub divo ſplendor aquai Ponitur, extemplo, caelo ſtellante, ſerena Sidera reſpondent in aqua radiantia mundi.* Aliorum imitationes nos pro conſilii ratione non tenent. Ceterum laudata comparatio multis, etiam Lowthio *de ſacra poeſi Hebraeor. Prael.* XII, p. 238, quippe in qua

Sole repercussum, aut radiantis imagine Lunae,
Omnia peruolitat late loca, iamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia tecti.
Nox erat: et terras animalia fessa per omnis
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat:

23 *radientis* Gud. et pr. Rottend. cf. inf. 616. 25 multos *lacunaria* legisse narrat Seru., satis indocte. 26 *a. versa* Goth. sec. vss. 26. 27. laudantur in Controuers. Senecae lib. III. controu. 16. a Iulio Montano, nobili poeta: *Virgilii imitationem bene cessisse* censente, *qui illos optimos versus Varronis expressisset in melius:* „Desierant latrare canes vrbesque silebant; Omnia noctis erant placida composta quiete." *Solebat Ouidius de his versibus dicere, potuisse fieri longe meliores, si secundi versus vltima pars abscinderetur, et sic desineret:* „Omnia noctis erant."

obseruata rerum dissimilium similitudo delectet. Nec tamen minus delectat ea propterea, quod animi status et affectio re sub oculorum intuitum cadente praeclare expressa est: id quod genus comparandi suauissimum est. Aliam comparationem Homeri Iliad. ξ, 16 seqq. cum fluctibus e diuersorum ventorum afflatu suspensis conferant studiosi. In *imagine Lunae* argutantur interpretes: est ea pro ipsa Luna, cuius sane imago in aquae superficiem incidit ab eaque redditur. Alius, nec magis feliciter, possit verba *sub auras* calumniari, tamquam minus subtiliter dicta, cum sequantur *laquearia tecti:* verum poetica formula illam subtilitatem respuit. Silius VII, 142 sqq. fere verba ipsa retinuit: *Miscetque exacuens varia ad conamina mentem, Sicut aquae splendor radiatus lampade Solis Disultat per tecta, vaga sub imagine vibrans Luminis et tremula laquearia verberat vmbra.*

26 sqq. Iterum per nouum visum fatalis rerum ordo declaratur: vide Disquis. II T. II s. VI. Noctis declaratio magnam suauitatem habet; Copiosiorem ornatum supra IV, 522 seqq. attulerat: vbi Apollonii Rhodii vestigia animaduertebamus. Nuper in Lexico Homerico alterius Apollonii pag. 490 (pag. 408

Quum pater in ripa gelidique ſub aetheris axe
Aeneas, triſti turbatus pectora bello,
Procubuit, ſeramque dedit per membra quietem.
Huic deus ipſe loci fluuio Tiberinus amoeno
Populeas inter ſenior ſe adtollere frondis
Viſus; eum tenuis glauco velabat amictu
Carbaſus, et crinis vmbroſa tegebat arundo;
Tum ſic adfari, et curas his demere dictis:
O ſate gente deum, Troianam ex hoſtibus vrbem
Qui reuehis nobis, aeternaque Pergama ſeruas,

28 *Tum* duo Burm. emendate *eum* Ald. ſec. 33 *Cum* Iunt. et Ald. pr., ſicque Rom., 35 *Cum* Moret. ſec. *adfatur* Doruill.

Tom. II) etiam illi Alcmanem praeiuiſſe vidimus verſibus forte ſic conſtituendis:

Εὕδουσιν δ' ὀρέων κορυφαί τε καὶ φάραγγες,
Πρώωνες ἠδὲ καὶ χαράδραι·
Φῦλα ὁἐ θ', ἑρπετά θ', ὅσσα τρέφει μέλαινα γαῖα,
Θῆρες ὀρεσκῷοί τε καὶ γένος μελισσῶν·
Καὶ κνώδαλ' ἐν βένθεσσι πορφυ-
ρᾶς ἁλὸς, εὕδουσιν δ' οἰωνῶν
Φῦλα τανυπτερύγων —.

Sub dio Aeneas obdormiit, *ſeramque dedit per membra quietem:* ducta loquendi forma ex altera, qua *ſomnus didi per corpus, ſpargi per membra*, dicitur. Monemus hoc, quod plerique verba tenent, cauſſas ſermonis ignorant.

31. *deus loci ἐπιχώριος θεός.* Ripa Tiberis populis eſſe debuit praetexta: quod nunc aliter ſe habere audio: ſed conf. inf. 95. 96, et VII, 29 ſqq., ibique Exc. III a pr. 33. *tenuis carbaſus glauco amictu*, pro glauca palla carbaſina humeris vel femori fluuiorum iniecta in ſignis veterum. Imitatorem verboſum Claudianum Cerda comparauit in Paneg. Olybr. (I, 214 ſqq.). Adde de VI Conſ. Honorii (XXVIII, 163 ſeqq. Seruius ineptit ad h. l.). 36. 37. *Troianam ex hoſti-*

Exſpectate ſolo Laurenti aruisque Latinis,
Hic tibi certa domus; certi, ne abſiſte, Penates;
Neu belli terrere minis. Tumor omnis et irae
Conceſſere deum.
Iamque tibi, ne vana putes haec fingere ſomnum,
Litoreis ingens inuenta ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum fetus enixa, iacebit;
Alba, ſolo recubans, albi circum vbera nati.
Hic locus vrbis erit, requies ea certa laborum:

38 *loco* Medic., et in marg. *alibi ſolo*. *Laurentum* Seru. ad v. 12. 39 *certiue abſ.* Doruill. *adſiſte* al. ap. Pier. 40 *tumor* Heinſ. e libris ſecundum Pier., alii *timor*. 41 *profugis noua moenia Teucris* ſuppletur verſus in multis, quos Seru. Heinſ. et Burm. viderunt: perperam accepta voce *conceſſere*. Eſſe qui *conſedere* legant, a Taubmanno notatum. 42 *nec vana putes* Rom. *ni vana putas* Gud. a m. pr., non male, inquit Heinſ., immo ad ſenſum peſſime. *Iamque (tibi ne v. p. hunc f. ſ.) Lit.* Parrhaſ. 43 *ſub ilice buxus* Rom., nec niſi recenter correctum. VII. 43. 44. 45. 46 iam ſupra lecti III, 390. 391. 392. 393, nunc, puto, male repetiti. 45 *recubant a. — nati* Medic. 46 Abeſt verſus a Medic. et a pr. m. a Gudiano. Sane ille cum trinis prioribus occurrebat ſup. III, 393. Nunc eo vix careas propter ſeqq. Malim

bus vrbem Qui reuehis nobis. idem orationis color, qui in illis: *Ilium in Italiam portans:* tua ſtirpe et Penatibus ſacrisque adductis cum reliquiis Troianorum. *reuehis* autem propter ſtirpem Dardani fabuloſam ex Italia. v. ſup. III, 167 ſq., vbi cf. Excurſ. VI. 38. *exſpectate* propter deorum vaticinia; cf. v. 12 ſup. ad VI, 687; nempe *exſpectata* dicuntur eſſe ea, quae praedicta ſunt, vt in libris ſacris paſſim; eadem dicuntur *debita*. 40. *Conceſſere* h. reſederunt. Non audiendi Interpp. vett. et recent. Si dicas, necdum tamen Iunonis iram in Troianos ceſſiſſe ſeu placatam fuiſſe; ſi quidem compares IX pr. X, 62; vanam eam eſſe reputa.

42. De hoc offen[illegible], quod iam Helenus vates praedixe-

Ex quo ter denis vrbem redeuntibus annis
Aſcanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. Nunc qua ratione, quod inſtat,
Expedias victor, paucis, aduerte, docebo.
Arcades his oris, genus a Pallante profectum,
Qui regem Euandrum comites, qui ſigna ſecuti,

ſublatos eſſe vſ. 47. 48. *Ex quo — Aſcanius* ſunt enim moleſti (v. Not.) et a Tiberini perſona et conſilio ac tempore alieni: translati huc ex altero loco. Quid? quod ſuſpicari licet, totum locum, forte ex ipſis Maronis ſchedis, a Tucca inſertum eſſe. Lege modo carmen ſic continuatum et placebit illud: *Conceſſere deum; Nunc qua ratione, quod inſtat, Expedias victor, paucis, aduerte, docebo. ex quo* eſt ἐξ οὗ ſc. χρόνου pro ὅτε; nam vt ſit *ex quo*, ſecundum quod portentum, duriſſimum eſt. 47 *tridenis* duo Burm. cum pr. Goth. 48 *condens* alter Hamb. *c. c. vrbem* Goth. tert., quod equidem malim a poeta profectum in vaticinio. 50 *Expediam* a m. pr. Medic. et Gud. *Expedies* Goth. ſec. 51 *hic* Medic. *is* eraſo *h.* Doruill. Iungo autem: *Arcades his oris* ſc. habitant: — *Hi bellum adſidue* ſq. Durius videtur parentheſin facere, et iungere *Arcades his oris — hi bellum adſidue* ſq.

rat lib. III, 388 ſqq., vide Excurſ. II ad lib. VII, pag. 523. — 47. *Ex quo:* ex quo tempore, quando; cum aliquando. Scilicet *hic* non eſt vrgendum, in loco ſuis inuentae; ſed, in his terris XXX annis elapſis Aſcanius Albam Longam condet. Sed v. de his disputata Exc. II ad lib. VII, p. 524. *clari cognominis*, ab *alba* ſue nominatam, et XXX inde anno conditam.

51 ſqq. *Euander* cum matre Carmenta ſeu Nicoſtrata, vate, ex Arcadia profectus, Pelasgos ſuos in loca circa Tiberim adduxit, et in monte, qui inde Palatinus dictus, oppidum Pallanteum, mox Palantium et Palatium appellatum, condidit. Fuerat iam in Arcadia Pallantium pagus, et inter proauos Pallas, a quo hi Arcades orti dicuntur poetae: *genus a Pallante*, h. e. Pallantis progenies. Idem nomen filio Euandri impertitum. v. Excurſ. I ad h. lib. In Euandro potuiſſet poeta omnia ad

Delegere locum, et posuere in montibus vrbem,
Pallantis proaui de nomine Pallanteum:
Hi bellum adsidue ducunt cum gente Latina;
Hos castris adhibe socios, et foedera iunge.
Ipse ego te ripis et recto flumine ducam,
Aduersum remis superes subuectus vt amnem.
Surge age, nate dea; primisque cadentibus astris
Iunoni fer rite preces, iramque minasque
Supplicibus supera votis. Mihi victor honorem

55 *ducent* Hamb. sec. 56 *foedere* alii ap. Seru. et Gud. ac pr. Moret. cum al. ap. Burm., sed offensa aure. 57 *ripis* sane parum commodum, secundum, intra ripas, alueo. *tecto* Menag. pr. pro *recto;* et sic Cerda coni. ad v. 95. 96. Schraderus autem coni. *siluis et tecto fl.* eleganter sane. 58 *in amnem* Witt. *superes remis* aliquot Pier. 59 *age* excidit Rom. et aliis Pier., in aliis suppletum o. Mentel. pr. a m. pr. *ait.* 60 *irasque* complures ap. Heins. et Burm. 61 *donis* multi ap. Pier. et Heins.,

maiorem admirationem struere et parare. Euander gente Pelasgica oriundus vix videbatur bonae spei ac fiduciae locum relinquere Troianis, si repente in eum incidissent. Sed poetae placuit alia ratio, vt per somnum haec denuntiaret, vtque, propter Latinorum in aduenas Arcadas odia, communi periculi metu Troianos et Arcades, Pelasgicae licet stirpis, in foedus et societatem adduceret. cf. inf. 129 sq. Et vero Achaei, si propius inspexeris, qui Troiam expugnauerant, diuersae stirpis sunt. 53. *in montibus*, ne arguteris; est, *in monte* Palatino: et v. 57 *recto flumine* recto fluminis itinere; Nec audiendus Seruius, qui in eo argutatur, quod flexuosam ripam alibi memorauit vs. 95. 59. *primisque cadentibus astris* sub primum diluculum; nam poetis sidera cursu noctis exacto occidere dicuntur. v. ad lib. II, 8. 9. Excurs. II. *Iunoni fer rite preces*, quod idem Helenus sedulo monuerat libro III, 435 sqq., vt videas poetam sibi constare. 61. *victor* h. omnibus ex voto peractis.

Perſolues. Ego ſum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, et pinguia culta ſecantem,
Caeruleus Thybris, coelo gratiſſimus amnis.
Hic mihi magna domus, celſis caput vrbibus, exit. 65
Dixit, deinde lacu Fluuius ſe condidit alto,
Ima petens. Nox Aenean ſomnusque reliquit.
Surgit, et, aetherii ſpectans orientia Solis
Lumina, rite cauis vndam de flumine palmis

ſed *votis* tuentur Rom. et Medic. cum al.; et venit forte *donis* ex ſup. III, 440. 62 *Perſoluis* Witt. *quem pleno gurgite* c. aliquot Pier. 63 *ruentem* Moret. ſec., quod probat Heinſ. et illuſtrat, vt erat ille paullo procliuior ad captandas elegantias ſecretiores et exquiſitiores, etiam vbi ab ingenio ſcriptoris et loci erant alienae. Sed multo probabilius, librarium caſu in hanc vocem incidiſſe, quam tot alios codices eſſe deprauatos. Nec, quod Burm. bene monuit, placidum flumen bene dicitur *ruere*. Tum Auſon. et ipſe *ſecantem* legit Moſell. 460. Witt. a m. pr. *ſequentem*. 65 *certa domus* Gud. *caeſis* Medic. a m. pr. *eſcit* antique pro *erit* emendat Faber: et Heinſ. *exit* transitiue pro effert, exerit, accipit. Vtrumque perperam. Vid. Not. 66 *fluuio* Gud. a m. pr. *lacu et fluuio* Heinſ. coni. *fluuii* coni. Heumann. Sed vid. Not. 67 *relinquit* aliquot Pier., inter quos Rom.

64. *Caeruleus*. Atqui, flavus eſt Tiberis, et luteus, vt ſatis notum. Scilicet nunc deo communem fluuiorum naturam dat. *caelo gratiſſimus*, θεοφιλής.

65. Circa has easdem oras ſurget aliquando magna vrbs, Roma. Quod in vaticiniis facere mos eſt, res futura effertur tamquam praeſens, *exit* pro *exibit*. *celſis caput vrbibus* nota illa poetica oratio, pro: *caput vrbium*. Tum ea vrbs, dicta *domus* dei Tiberini, quatenus ille in ea conſecrabitur et vt deus coletur. Sic facile componuntur turbae interpretum, quas hic commemorare nil attinet. cf. Burm. Mox 66. *lacus* l. pro alueo, l. quod malim, pro profundo, vel fundo *fluuii*, adeoque pro ipſo amne.

67. ἐμὲ δὲ γλυκὺς ὕπνος ἀνῆκεν Homer. 69. *rite vndam ſuſtulit*, manus lauit,

Sustulit, ac talis effundit ad aethera voces:
Nymphae, Laurentes Nymphae, genus amnibus vnde est,
Tuque, o Thybri tuo genitor cum flumine sancto,
Adcipite Aenean, et tandem arcete periclis.
Quo te cumque lacus, miserantem incommoda nostra,
Fonte tenet, quocumque solo pulcerrimus exis;
Semper honore meo, semper celebrabere donis,
Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum.
Adsis o tantum, et propius tua numina firmes.

70 *Sustinet* Rom. aliquot Pier. cum Medic., Gud., aliisque ap. Heinſ., ex interpolatione puto. *effudit* lectum ante Heinſ. *diffudit* ed. Ven. 72 *Tu quoque Tybri* duo Burm. o aliis excidit; in aliis: *Tuque o Tybri, tu, o,* apud Pier. et Heinſ., quod probabat Ge. Fabric. cum Cuninghamo. Alii aliter turbant. *tu flumine Thuſco* Bigot. Vulgata eſt apud Seru. et Macrob. VI, 1, vbi docet ex Ennio adumbratum eſſe verſum. Nam is: *Teque pater Tiberine tuo cum fluuaine ſancto* cecinerat. *xancto* codd. ap. Pier. cf. Burmann. Sec. ad Anthолog. p. 73. Etiam ex Liuio notum eſt lib. II, 10 *Tiberine pater, inquit, te ſancte precor.* 75 *tenent* Rom. cum binis Heinſ. et fragm. Vatic., it. Erf. *q. loco* Parrhaſ. 76 *venerabere* plerique Pier. et bini Heinſ., ex interpretatione. Alia in Witt. *honorabere.* 78 *Adſis et* aliquot Pier. o *tandem*

tamquam precaturus. Nihil aliud. 71. *genus amnibus vnde eſt:* quatenus Nymphae fontium ſunt deae. Alias poetae aliter, vt Nymphae ſint fluuiorum. 73. *arcete periclis,* liberate, finem laborum facite. 74. Expreſſit Statius IV Theb. 832 *quaecunque domo gelida ora reſoluit* etc. *lacus,* vii v. 66, pro ipſo amne. Niſi docte de ipſo fonte dixit, quo aquarum ſcaturientium copia colligitur in lacum. Eſt enim fons et caput amnium ſedes Fluuiorum; conf. ad Ge. IV, 319. 75. ad formam Odyſſ. λ, 238 ſtructus eſt: vbi Enipeus Theſſaliae: ὃς πολὺ κάλλιστος ποταμῶν ἐπὶ γαῖαν ἵησι. 78. *numina,* tuum

Sic memorat, geminasque legit de classe biremis,
Remigioque aptat; socios simul instruit armis.
Ecce autem, subitum atque oculis mirabile monstrum,
Candida per siluam cum fetu concolor albo
Procubuit, viridique in litore conspicitur sus:
Quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxuma Iuno,
Mactat, sacra ferens, et cum grege sistit ad aram.
Thybris ea fluuium, quam longa est, nocte tumentem
Leniit, et tacita refluens ita substitit vnda,
Mitis vt in morem stagni placidaeque paludis

vulgo lectum ante Heins., qui e suis et Pier. emendauit. *proprius* scriptum viderat Seru. *placidus* apud Donatum, ex intpt. *tua omina* emendauerat Palmer. Spicileg. p. 616. Sed *numen* pro voluntatis quacunque significatione, monito et oraculo, poetis dictum occurrere alibi iam monitum est. *n. ferues* Oudart. 79 *memorans* pr. Voss. *geminas legit* Franc. *memorans geminas legit* Parrhas. 80 *a. socios: simul* alii male distinguunt v. Burmann. *s. atque instruit* Sprot. 81 Laudat hunc et omisso versu 82 tres seqq. auctor libelli de Progenie Augusti. 82 *foeta* Sprot. 85 *ad aras* aliquot ap. Burm. 86 *est* abest aliquot Pier. et Heins., mendose. conf. sup. IV, 193. 87 *Lenit* Rom. contracte. *sustulit* Goth. tert. 88 *et in m.* alter Menag.

monitum per somnum. vid. Var. Lect.

80. *armis* proprie. conf. v. 93. 81. vide modo ad v. 42. Copia orationis in vss. 82. 83 parum placet: *Candida — concolor cum fetu albo; Procubuit — conspiciturque: per siluam — in littore.* Mox 84 *enim* asseueratiue, vt *vero*, pro *vtique*, σοί γε δή, nec vacat, quod putant grammatici. 87. Iung. l. *ita substitit, vt*, l. quod forte magis poeticum: *ita substitit:* eo modo, sicut erat; cum ita factum esset. Sequitur: *vt* adeo *mitis* etc.

Sterneret aequor aquis, remo vt luctamen abeſſet.
Ergo iter inceptum celerant; rumore ſecundo 90

89 *et l.* Witt., et ſic legere dudum malebam. *abiret* Ed. Ven. *abiſſet* Rom. 90 *incertum* Non. Marcell. in *Rumor.* *peragunt* Rom. pars Pier. et Heinſ. librorum, cum Goth. tert. Macrob. et Nonio Marcello. *peragrant* Gud. *celebrant* Medic. Pierii, cum alt. Hamb. et Ed. Ven. *accelerant* Goth. ſec. *rumore* pro *Rumone* poſitum putabat Seruius; id enim antiquum Tiberis nomen fuiſſe. Sicque lectum in codd. Sprot. *Rumone id eſt fluuio*, pr. Hamburg. qu. Moret. Exc. Burm. Zulich. a m. pr. Eſſet adeo *Rumone ſecundo*, Tiberi ſecundo. Equidem *amne ſecundo* dictum bene noui: an *Tiberi ſecundo*, *Rheno ſecundo*, dicatur neſcio. Etiam Xaver. Matthaei defendebat *Rumone ſecundo*, ſed accipit: Tiberi fauente: in Exercitationibus per ſaturam (Neap. 1759. p. 79) Enimuero *rumor* eſt proba vox antiqua de ſtrepitu aquarum ex remigio. v. Not. Interpungebatur antea: *Ergo iter inceptum celerant rumore ſecundo;* Recepi, quod iam olim dixeram, melius factum videri: *celerant; rumore ſecundo Labitur vncta vadis abies.* Et ſic quoque vidi malle virum doctiſſimum Burgeſs ad Dawes Miſcell. p. 446. idque ſequutum video Wakefield.

90. *rumore ſecundo*, curſu ſecundo, etſi amne aduerſo (nam ſoluunt littore Laurentino in oſtiis Tiberis et ſuperiora fluminis petunt): fere quod X, 687 *Labitur alta ſecans fluctuque aeſtuque ſecundo.* *Rumor* enim, ſecundum Guellium et Gronou. Obſſ. II, 17, quibus Donatus praeiuit, dictum olim eſt de murmure aquae carina et remis percuſſae, qua navis a puppi propellitur, adeoque omnino de motu aquae. Pro optimo interprete eſt Auſon. Moſella v. 22 *interlabentis tacito rumore Moſellae.* Multa ad h. l. cumulant Fabric., Heinſ. et Burm., vt tamen de vi et origine vocis haud melius conſtet. Scilicet *rumor* a ruendo dictus videtur; ruitur ſeu eruitur aqua remo, adeoque ex impulſu ſtrepitus oritur. Inde de quouis ſtrepitu et murmure illud frequentatum, inprimis famae. Tum vero etiam, vt ὄσσα, pro voce ominata et omine. Pro plauſu et laude *rumorem ſecundum* dixit Horat. I Ep. 10, 9, vt fere h. l. etiam accipit Nonius: „hoc eſt proſpero fauore et auxilio fluminis.“

Labitur vncta vadis abies: mirantur et vndae;
Miratur nemus insuetum fulgentia longe
Scuta virum, fluuio pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos superant flexus, variisque teguntur

91 *vda* aliquot Pier., sed vid. Not. *vncta abiesque vadis* Leid. vnus. 92 *mirantur* pr. Menag. et a m. pr. Gud. cum fragm. Vatic. *assuetum* alter Hamb. *inceptum* Menag. pr. 93 *que* abest binis Burmann. *pictas fluuioque* Ed. Ven. Interpungi potest modo haud vno, prouti iunxeris: aut: *Miratur nemus scuta et carinas innare fluuio.* aut *fulgentia longe Scuta virum fluuio, p.* aut vt nunc feci: *miratur nemus fulgentia longe scuta;* et miratur *fluuio pictas innare carinas*, quod mihi splendidius visum. 94 *nauigio* Ven.

Idem e Feneſtella et Ennio loca laudat, in quibus *populi rumore ſecundo* eſt fauore et ſtudio populi. Nec alio ſenſu dictum eſt in loco Cic. de Diu. I, 16 et in loco Suevii apud Macrob. VI, 1, pag. 575 Lipſ. v. 91. *vnctam* pice *abietem* ab Ennio accepit: *Labitur vncta carina, vocat ſuper impetus vndas:* Macrob. VI, 1, p. 578. Locum Apollonii I, 545 ſeq. comparat Brunck. paullo diverſam. 93. *carinas pictas* v. ad V, 663. 94. *remigio noctemque diemque fatigant*, non, ſe, vt Cerda malit, quod proſaicum eſſet; ſed eſt epica audacia. *Caelum clamore, ſiluas venatu* (IX, 605), *niuem curſu, annem remis, fatigare*, paſſim in poetis occurrit. Eſt ſcilicet, quod ſatis conſtat, proprie *fatim agere*, valde, crebro, mouere, tractare agitare rem, adeoque omnino in re aliqua verſari, vel eam frequentare. conf. ſup. ad Aen. I, 280 et ad VII, 582. Simili modo *quatere, mouere, impellere ſiluas, exercere* apud Silium XV, 769. Porro poetae tempori tribuunt tamquam actum ab eo id, quod in tempore fit: Sic *noctem produci, diem frangi*, adeoque etiam, vt h. l., *fatigari* dicunt: X, 807 *diem exercere.* Propertius IV Eleg. 11, 77 *Sat tibi ſint noctes, quas de me, Paulle, fatigas:* quae for-

Arboribus, viridisque secant placido aequore siluas.
Sol medium coeli conscenderat igneus orbem:
Quum muros arcemque procul ac rara domorum
Tecta vident; quae nunc Romana potentia coelo
Aequauit: tum res inopes Euandrus habebat.
Ocius aduertunt proras, vrbique propinquant.
Forte die sollemnem illo rex Arcas honorem

97 *medio* Sprot. *considerat* Franc. *axem* pro diu. lect. pr. Rottend. 98 *arces* oblongus et quidam alii Pier., quod recepit Catroeus, vt sint septem colles, quibus postea Roma fuit imposita. Sed *arx* simpl. pro vrbe in colle Palatino posita; cf. inf. 313; ad veterem morem, quo acropolis, in colle condita, reliquae ciuitatis initia faciebat. *ac rara* Heins. secundum vetustiores, etiam Pier. Vulgo *et*. 100 *tunc* Rom. *Euandrus* Rom. et Medic. ceterique vetustiores: ergo recepit Heins., quem vide post Pierium. Vulgo: *Euander*, etiam passim in seqq., quoties recurrit ea vox. 101 *auertunt* duo Burm. *et vbique p.* Goth. sec. 102 *diem* Doruill. et Ed. Ven. cum Rom. cod. *solemne* Mediol.

ma tandem eo redit, vt *fatigare* sit, *consumere, exigere*. 96. *placido aequore*, alueo fluuii, *secant siluas*, nauigant inter ripas siluis consitas. Nimis acute Seru. et alii: secant imagines nemorum, quae in pellucida fluuii superficie apparebant. 97. Ἦμος δ' Ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει Iliad. Θ, 68 et al.

102 sqq. Egregia carminis oeconomia, qua belli cum Latinis gesti argumento per se tenui et pauperi copiam rerum et narrationum conciliat poeta. Offendit Aeneas Euandrum sua sacra facientem Herculi; rerum species obiicitur augusta religionibus, et hominum saeculique simplicitate placens. Eadem v. 185 sqq. adducit episodium de caeso ab Hercule Caco, tamquam sacri instituti caussa et origine. Obuersatum esse in omnibus his poetae animo locum Od. V, 32 sqq., vbi Telemachus in Nestorem sacra facientem incidit, negari nequit: etiam ex Pisistrato Nestoris filio Pallas subnatus. Ad talia attendendum est ei, qui de sex posteriorum Aeneidis librorum

Amphitryoniadae magno diuisque ferebat
Ante vrbem in luco. Pallas huic filius vna,
Vna omnes iuuenum primi, pauperque senatus,
Tura dabant; tepidusque cruor fumabat ad aras.
Vt celsas videre rates, atque inter opacum
Adlabi nemus, et tacitis incumbere remis:
Terrentur visu subito, cunctique relictis
Consurgunt mensis. Audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obuius ipse;
Et procul e tumulo: Iuuenes, quae causa subegit
Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit.

104 *Pallans* codd., vide Pier. *hinc* Oudart. *cui* sec. Moret. *quem* Parrhas. 106 *dabat* Gud. a m. pr. *trepidus* Zulich. cum Goth. pr. *ad auras* pr. Moret. 107 Melius esset: *vtque inter o.* 108 *tacitos* Rom. et alii Pier. cum Colot. et Medic., quod ex interpretatione profectum. Exquisitior forma *tacitis remis*, siue vt ipsos *tacitos* adnare dicat, siue vt sit pro, *tacite*, nullo aut exiguo vndarum strepitu, vt quoque inf. lib. X, 227. conf. Cerda. 110 *quod* Medic. a m. pr. 111 *ille* Goth. tert. 112 *o Iuuenes* duo Burmann. *quae cura* Menag. pr. cum aliquot Pier.

praestantia et de poetae ingenio pronuntiare vult; ne argumenti inopia fraudi sit ingenio et arti poetae. 103. Herculi cum ceteris diis. v. Seru. 105. *pauper senatus.* Explicuit Silius I, 609 *castaque beatos Paupertate Patres.* cf. eund. VI, 631 sqq. 108. *tacitis remis*, nullum aquarum strepitum mouentibus; in amne placido: vt modo vs. 86 — 89 vidimus. cf. Var. Lect. 111. *Sacra* sunt h. l. eadem quae modo *mensae*, scil. epulae sacrorum, quibus peracto sacrificio tum vacabant, quasque mox instaurant 172. 175. *vetat*, scil. quia sacra tur-

Qui genus? vnde domo? pacemne huc fertis, an arma?
Tum pater Aeneas puppi sic fatur ab alta,
Paciferaeque manu ramum praetendit oliuae:
Troiugenas ac tela vides inimica Latinis;
Quos illi bello profugos egere superbo.
Euandrum petimus. Ferte haec, et dicite lectos
Dardaniae veniſſe duces, ſocia arma rogantis.

114 *Qui genus* ab Heinſ. e libb. τίνες (κατὰ) τὸ γένος; vulgo: *Quo genere, qua gente eſtis?* alii *quis.* Franc. *quid g.* Rom. *in arma.* 116 *protendit* Gud. a m. ſec. *tetendit* Witt. *pauperaeque* Rom. a pr. m. 118 *ille* Rom. 119 *ferte hoc* Doru. 120 *Dardaniae duces* mihi quidem admodum displicent h. l., inprimis cum ſequatur: *tanto percuſſus nomine. Dardaniae viros* pars codd. et edd., etiam Aldd. pr., mutatum hoc in ed. ſec. in *duces;* hinc in ceteris edd. obtinuit: quod Heinſius codd. auctoritate firmat. Sane *Dardaniae duces* dictos praeferam pro *Dardaniae viris;* verum, ſi *lecti* ſunt, non tam *duces* quam *viri* dicendi erant. Malebam ergo: *Dardanios veniſſe viros,* aut, quia ſequitur *tanto nomine,* legere: *Dardaniae veniſſe ducem — rogantem.* Verum video poetam docte poſuiſſe pluralem pro ſingulari. Etſi *Dardanios* vnus Montalb. exhibet. *Dardaniae adueniſſe* quatuor apud Burm. a m. ſec.

bare et interrumpere nefas erat. cf. inf. 173. 114. Comparant Odyſſ. α, 170 et al. v. Cerdam. 115. *puppi.* Scilicet, cum v. 101 *proras adverſſent,* vt ad littus accederent, mox naui inhibita et in puppim retro remis acta puppim obuertebant littori.

117. *tela inimica Latinis* memorat propter v. 55 *Hi bellum aſſidue ducunt cum gente Latina.* Hinc quoque metus conſpectis viris armatis maior eſſe debuit v. 109. Grauiter et illud: *Quos illi bello profugos egere,* cum Latini tantum nollent ſedem Troianis in ſuo agro concedere; Additur inuidiae cauſſa *ſuperbo,* ipſi ſuperbi, ſuperbe, ὑβριστικῶς. 119. *ferte haec,* non ad ramum cum

Obſtupuit tanto percuſſus nomine Pallas:
Egredere o, quicumque es, ait, coramque parentem
Adloquere, ac noſtris ſuccede penatibus hoſpes.
Excepitque manu, dextramque amplexus inhaeſit.
Progreſſi ſubeunt luco, fluuiumque relinquunt. 125
Tum regem Aeneas dictis adfatur amicis:
Optume Graiugenum, cui me Fortuna precari,
Et vitta comtos voluit praetendere ramos;
Non equidem extimui, Danaum quod ductor, et Arcas,

121 *percuſſus* Heinſ. e praeſtantioribus ſecundum Pier. Vulgo *perculſus*. 122 *Et gradere* Rom. et boni codd. apud Benedict., quod ille probat, vt ſit: *Obſtupuit — Pallas, Et, gradere o. q.* 123 *hac* Gud. ſc. via, inepte. 124 *Excepit* Heinſ. cum Pier. e libb., alii *accepit*. *Excepitque manum* Hugen. *Exceptaque manu* pr. Hamb. *manu dextraque* aliquot Pier. cum Schol. Statii I Theb. 470; ſic erit *dextra inhaeſit*. cf. Burm. *implexus* alii Burm. 125 *lucum* Franc. *fluuioque* Gud. a m. pr. 127 *Optime* vulgg. ante Heinſ. In *cui precari* antiquitatis ſtudium declarauit poeta, ſaltem exquiſitam orationem captauit. 129 *timui* duo Burm. *exutus* ſec. Moret. *arces* Rom.

Seruio et aliis referendum; ſed, nuntiate. 124. *dextramque amplexus inhaeſit*, pro, dextram amplexus eſt *eique* inhaeſit, (ex Homerico: ἓν τ' ἄρα οἱ φῦ χειρὶ) et hoc pro ſimplici: manum prehendit. Nihil amplius ad ſenſum, ſed ornate. At Burm. Homericorum et Graecae rationis in multis parum memor: *dextram amplexus* et *inhaeſit* ſc. ceruice vel alia corporis parte.

128. *comtos*, ſimpl. pro ornatos. Ineptit Seru. et in hoc et in cauſſa origineque ἱκετηρίας, quae hoc verſu deſignatur, exponenda. Mira comminiſcuntur et alii: vt Paſchalius de coronis, VI, 17. A religione ritum ductum eſſe manifeſtum ſit e vittis ſeu infulis laneis, obuoluentibus

Quodque ab ſtirpe fores geminis coniunctus Atridis; 130
Sed mea me virtus, et ſancta oracula diuom,
Cognatique patres, tua terris didita fama,
Coniunxere tibi, et fatis egere volentem.

130 *ab ſtirpe* Heinſ. e Medic. Vulgo *a ſtirpe*. 131 *Sed tua me virtus, tua terris didita fama, Cognatique patres et ſancta oracula diuom Coniunxere tibi;* vir doctus Obſſ. Miſc. Vol. I, p. 19. Potuiſſet quidem poeta et illud velle; vt ap. Horat. *tua me tibi virtus fecit amicum.* Sed poeta nunc alterum voluit. 132 *dedita* Rom. et alii, et *debita* ap. Pier. et Burm.

ramum oleagineum, cuius vſus erat cum in ſacris tum in luſtratione et expiatione. Adeoque is, qui praeferebat, ἱκέτης, ſupplex factus, aut crimen expiare ſe et culpam deprecari velle ſymbolice et religioſe ſignificabat, aut ſimpliciter per ſacra et deos ſe ſupplicare teſtatum faciebat. Hinc omnino foederis, pacis et legationis, ſymbolum eſt factum.

130. *ab ſtirpe geminis coniunctus Atridis.* Cognationis gradus eſſe potuerunt plures, nec dici poteſt, quemnam poeta ſequutus ſit, quo cum Atridis coniunctus eſſet Euander. Omnino vtrumque genus a Ioue ducebatur. Tum a ſororibus, Atlantis filiabus, et Euander et Atridae oriundi erant (v. Excurſ. I); ab iisdem Atlantis filiabus, Pleiadas vocant, alia cognatio mox v. 134 ſqq. inter Euandrum et Aeneam deducitur: Nam Dardanus Electra et Ioue natus, Euander autem Mercurii, cui Maia mater, filius perhibebatur. v. Dionyſ. I, 31. Praeclare autem et ingenioſe poeta hac generis coniunctione vtitur ad cauſſas amicitiae inter Euandrum et Troianos ſerendas. 131. *mea virtus*, reſpicit illud; *non extimui*, confidentia, et animi fiducia ex meae virtutis conſcientia, quam eandem confido apud te loco aliquo et auctoritate habitum iri. *Oracula diuom* a Sibylla accepta. v. VI, 96. 97. *cognati patres*, per Atlantis filias, Dardanus a Ioue et Electra, Mercurius a Ioue

Dardanus, Iliacae primus pater vrbis et auctor,
Electra, vt Graii perhibent, Atlantide cretus,
Aduehitur Teucros; Electram maxumus Atlas
Edidit, aetherios humero qui fuſtinet orbis.
Vobis Mercurius pater eſt, quem candida Maia
Cyllenae gelido conceptum vertice ſudit;
At Maiam, auditis ſi quidquam credimus, Atlas,
Idem Atlas generat, coeli qui ſidera tollit.
Sic genus amborum ſcindit ſe ſanguine ab vno.
His fretus, non legatos, neque prima per artem

135 Ruſinianus de Schem. Lex. p. 254 corrupte: *Electram Graii p. A. cretam.* 136 *maxumus Atlans* Rom. 137 *axes* Ed. Ven. *auxes* Goth. tert. 139 *Cyllene* Medic. et al., perperam. *Cylleni* Mentel. pr. à m. pr. *Cilleni* Doruill. *Cyllenes* edd. ante Pier., et ante Heinſ. *in vertice.* 140 *quicquam ſi* Goth. tert. *ſi cuiquam* Rom. aliquot Pier. *auditi ſi quicquam creditis* Gud. à m. pr., vnde Heinſ. coni. *auditi ſi quicquam credimur*, quod nemo facile praeſtare dicat. *auditus* Doruill. cum Goth. ſec. 141 *genuit* duo Burm. *qui ſ. torquet* Schol. Horat. et Ed. Iunt. ex aliis locis, IV, 482. VI, 798, ait Heinſius; at h. l. aliter habere ſcriptos. Neque tamen ſatis placet *τὸ tollit.* Saltem eſt, *βαστάζει*, pro ſuſtulit, ſublatum humeris fulcit, portat. 142 *findit* Doruill. *ab imo* Goth. ſec.

et Maia natus, vt modo vidimus, et vt mox diſertius narrat. *coniunxere* h. adduxere me, vt me tibi adiungere ſtudeam. *volentem:* Homerico more, quo ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ obuium eſt.

134. *Dardanus.* cf. omnino Exc. VI ad lib. III. *aduehitur Teucros* h. ad Teucros; ſ. Troadem, quam Teucer tum tenebat, aduectus eſt; Dardanus ibi Dardanum vrbem condidit, Ilus autem filius Ilium; hactenus itaque poeta dicere potuit: *Iliacae primus pater vrbis et auctor.*

143—145. Praeclari verſus. Hunc amo amplector-

Tentamenta tui pepigi: me, me ipse, meumque
Obieci caput, et supplex ad limina veni.
Gens eadem, quae te, crudeli Daunia bello
Insequitur; nos si pellant, nihil afore credunt,
Quin omnem Hesperiam penitus sua sub iuga mittant,
Et mare, quod supra, teneant, quodque adluit infra.
Adcipe, daque fidem. Sunt nobis fortia bello
Pectora, sunt animi, et rebus spectata iuuentus.
Dixerat Aeneas. Ille os, oculosque loquentis
Iam dudum, et totum lustrabat lumine corpus.

144 *memet ipse* codd. Burm., qui infimi loci libros habuit: etiam aliquot Pier. cum Goth. sec. 147 Heins. distinguebat: *Insequitur nos: si p. pellat* duo Heins. *adfore* Medic. *offore* pr. Moret. a m. pr. pro *obfore*, ex *affore*, quod alii scribunt, vt Gothani. 149 *quodque supra* Ed. Iunt. *abluit* aliquot Pier. et Burm. 151 *e rebus* aliquot Pier. 152 *osque ocul.* Leid., quod Cuningham. coniiciebat. *Iste os* Witt. 153 *l. l. pectus* Witt. a m. pr.

que Aeneam! Iunge: *non pepigi tentamenta tui prima per legatos neque per artem;* non prius te tentaui per legatos et callida consilia. *pangere* proprie non est pacisci, sed figere, constituere, facere; ex eo, quod *pangi*, figi, dicuntur ea, quae decreta sunt, etiam sunt pacta. *per artem* ad consilia cauta et callida spectare, quibus alterius voluntatem vel exploramus vel captamus, quis non videat? Burm. tamen eo deuenit, vt *per epistolam* interpretaretur. *meum obieci caput.* Etiam Gr. Σφὰς γὰρ παρθέμενοι κεφαλὰς Odyss. β, 237 et ψυχὰς παρθέμενοι Odyss. γ, 74 et al. conf. Quintus Cal. XII, 63. *gens Daunia,* Rutuli. vid. in Excurs. VII sub fin. ad lib. VII. Ad sententiam conf. v. 55 sq. supra. 150. *Accipe daque fidem, foedusque feri bene firmum.* Ennius Ann. I apud Macrob. VII, 1, p. 572.

Tum sic pauca refert: Vt te, fortissime Teucrum,
Accipio agnoscoque libens! vt verba parentis,
Et vocem Anchisae magni voltumque recordor!
Nam memini Hesionae visentem regna sororis
Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem,
Protenus Arcadiae gelidos inuisere finis.
Tum mihi prima genas vestibat flore iuuenta;
Mirabarque duces Teucros, mirabar et ipsum
Laomedontiaden: sed cunctis altior ibat

154 *Tunc* ante Heins. *iustissime* Exc. Burm. 155 *Adspicio* aliquot Pier. et ed. Ven. 157 *Hesiones* ante Heins., quem vide. *Hesione* al. *Hisionqe* Rom. *Hesionis* Goth. sec. 158 *Laomedontiadem* alii, praeter edd. vett. Macrob. cum Goth. pr. et v. 162 alter. 159 *Protinus* Pier. et al., vt alibi, h. l. est porro, vlterius pergendo. Ceterum offendit *visentem inuisere*. Vidit hoc idem sagax vir, Iac. Bryant, qui totum versum sublatum esse malit, quippe otiosum ad sensum, et ingrato modo interpellantem reliqua. Verum, si id feceris, ad sententiam explendam senties aliquid deficere. 160 *Cum* Ven. *vesteibat* codd. Pier., quem vide. *iuuentus*, *iuventas*, variant codd. Pier. et Heins. 161 *duces Teucrum* Gud. pro diuersa lectione, quod ornat Heins. Sic quoque Goth. sec.

157 sqq. Hoc vero ingeniosum et elegans est poetae commentum, quo Priamum singit Salaminem, Hesiones, sororis, Telamoni Herculis sodali nuptae, visendae caussa, hincque Arcadiam adiisse, vt Euander eius notitiam habere posset. Sane quidem, qui Homerum legerit, facile is in hoc commentum incidat, nam et is recordationem priscorum hominum et rerum ex prisco hospitio repetit; v. c. Iliad. γ, 205 sqq. et aliis locis; sed facere hoc debito loco ac tempore, id vero est, quod ingenium poetae commendare debet. 160. *vestibat ore*, πύκασεν. A Marone sumserunt multi. cf. Cerda. Fundus in Ho-

Anchiſes. Mihi mens iuuenali ardebat amore
Conpellare virum, et dextrae coniungere dextram.
Adceſſi, et cupidus Phenei ſub moenia duxi.
Ille mihi inſignem pharetram Lyciasque ſagittas
Discedens chlamydemque auro dedit intertextam,
Frenaque bina, meus quae nunc habet, aurea,

Pallas.

Ergo et, quam petitis, iuncta eſt mihi foedere dextra:
Et, lux quum primum terris ſe craſtina reddet,
Auxilio laetos dimittam, opibusque iuuabo.
Interea ſacra haec, quando huc veniſtis amici,

163 *iuuenali* e codd. ſuis et Pier. reſtituit Heinſ. pro vulgari, *iuuenili*. 164 *dextram et c. dextrae* aliquot Pier. *et dextram c. dextrae* Parrhaſ. et Erſ. *et dextrae iungere dextram* Ven. 165 *Phinei, Phoenei, Phaenei, Finei, Penei, Phinci*, aberrant. Eſt ὁ et ἡ Φενεός. 167 *intertexto* Rom. cum Moret. ſec. Rottend. pr. a m. pr. tert. Mentel. Reg. et Exc. Burm. et arridet Heinſio. Scilicet ineſt aliquid priſci roboris, ὁ τῆς ἀρχαιότητος πίνος. Recepit quoque Wakefield; alterum tamen docte dictum, epitheto translato ad alterum. 169 *et* eraſum Doruill. *et nunc quam* Leid. *quae* Montalb. 170 *lux quam* Bigot. *terris primum* Leid. 171 *tutos* aliquot Pier. tresque Burm. *demittam* Ed. Iunt. *dimittam* Puget. 172 *ſ. huc quando v.* Menag. pr.

mero Odyſſ. λ, 318. 319. 165. *Pheneum* poſuit priſcam Arcadiae vrbem (Iliad. β, 605) paſſimque in fabulis, Herculis maxime, memoratam, tamquam ſedem maiorum. 166. ex noto ritu τῶν ξενίων, munerum hoſpitalium, Iliad. ζ, 219 et al., ex quorum pretio et arte tanto maior honos accreſcebat ei, qui ea acceperat. 171. *opibusque*. Seru. *id eſt militibus; opes antiqui vocabant milites*. Poteſt hoc ita ſe habere. Sed poeta poſuit genus: *auxilium* et *opes* h. ea, quibus ad bellum gerendum Troiani inſtrui et ornari poterant. 172 ſqq. Color ſimilis

Annua, quae differre nefas, celebrate fauentes
Nobiscum, et iam nunc ſociorum adſueſcite menſis.
Haec vbi dicta, dapes iubet et ſublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipſe ſedili;
Praecipuumque toro et villoſi pelle leonis
Adcipit Aenean, ſolioque inuitat acerno.
Tum lecti iuuenes certatim araeque ſacerdos
Viſcera toſta ferunt taurorum, onerantque caniſtris
Dona laboratae Cereris, Bacchumque miniſtrant.
Veſcitur Aeneas, ſimul et Troiana iuuentus,
Perpetui tergo bouis et luſtralibus extis.

173 *Annue* alter Hamb. *celebrare* alter Menag. 174 *ac iam* Goth. tert. *iam* abeſt Parrhaſ. 177 *Principioque* Menag. pr. 179 *laeti* tres Burm. cum vno Goth. 180 *ferant* pr. Mentel. 181 *frequentant* Ed. Ven. 183 *Perpetuo* Goth. tert., ex interpret.

narrationis Odyſſ. γ, 34 ſqq. et iterum δ, 48 ſqq.

177. Nolim iungere *praecipuum toro*, quod impedit reliqua; ſed *accipit praecipuum;* reliquos Aeneae ſocios in gramine collocat, Aeneam autem, praecipuum et principem inter eos, collocat in ſolio ex acere, cui torus eſt impoſitus pelle leonis inſtratus. cf. inf. 367. 368. *inuitat ſolio*, ad ſolium, vt tot alia, v. c. *moenibus* inf. IX, 676. Tum 179. *arae ſacerdos*, non enim templum erat Herculis, ſed ara, maxima dicta. cf. inf. 269 ſq. 181. Onerant caniſtra donis *laboratae Cereris*, frumenti πεπονημένου pro ἐκπονηθέντος, elaborati, labore confecti panis; *viſcera* autem ſunt pro carnibus. 183. *Perpetui tergo bouis* expreſſit Homericum Νῶτα διηνεκῆ, Iliad. η, 321. Odyſſ. ξ, 437, vbi Aiax et Vlyſſes eodem modo praecipuae portionis honore excipiuntur. *luſtralibus extis.* Multa perperam tradunt Seru. et alii; ſed aliter accipi vix poſſunt quam quod eorum vſus aliquis prae-

Postquam exemta fames, et amor conpressus edendi,
Rex Euandrus ait: Non haec sollemnia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
Vana superstitio veterumque ignara deorum
Inposuit: saeuis, hospes Troiane, periclis
Seruati facimus, meritosque nouamus honores.
Iam primum saxis suspensam hanc adspice rupem:

184 *comprensus* Rom. ap. Pier. 185 *Euander* pauci v. Pier. *Euandros* duo Burm. 186 *tanti nominis aram* malit Cerda; quia *ara maxima* v. 271. 187 *veterumue* ante Heins. conf. Pier.; sicque omnes Goth. cum Erf. Donatum suspicor *veterumque ignara parentum* legisse; sed recte *deorum* se habet; non nouam hanc esse ait religionem et a priscorum *deorum* cultu temere recedentem. Bene exponit locum Lactant. IV Inst. 28. 188 *hostes* Franc. *h. seruata* pr. Menag. 189 *S. colimus* Menag. pr. *meritos sacramus* Doruill. et Exc. Burm. *renouamus* pr. Moret. *nouare* bene dictum de sacro anniuersario. 190 *Iam pridem* vnus peruetus Pierii (est is Romanus) cum Palatino ap. Bo. edictum, et pars Heins. *accipe* Franc. a m. pr. *Hanc primum s. s. suspice r.* Seru. ad I Aen. 438.

cipuus in lustrationibus erat: non quidem tum, nam heroicis temporibus in epulis sacris exta apponebantur, vt h. l. sequentibus tamen aetatibus, quibus exta inspiciebantur et cremabantur; a Romanis autem etiam in sacris expiatoriis immolari ea solita esse, satis constat: v. c. in Fordicidiis Ouid. Fast. IV, 637. 638. 670 sq. *Lustralem facem* et similia comparat Barth. ad Stat. Theb. I, 507.

184. *amor edendi*, quis non videt Homericum ἔρον ἐδητύος: Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἔντο. 187. *vana superstitio*, deserens priscorum deorum cultum, a vetere religione desciscens, et *vana*, temere innouata, nullo certo animi iudicio. 189. *nouamus* dictum de sacro anniuersario. Sacrum igitur

Disiectae procul vt moles, desertaque montis
Stat domus, et scopuli ingentem traxere ruinam.
Hic spelunca fuit, vasto submota recessu;
Semihominis Caci facies quam dira tenebat,
Solis inaccessam radiis; semperque recenti
Caede tepebat humus; foribusque adfixa superbis
Ora virum tristi pendebant pallida tabo.

191 *deiectae* Rom. et Palat. idem, perperam. conf. I Ge. 283. conf. inf. 355. *disiecta est p.* Goth. sec. 192 *texere* duo Burm. 193 *Haec* qu. Moret. *huic* Ven. 194 Interpunxi post Ruaeum et alios: *Semihominis Caci facies quam dira t.*, vt sit *facies Caci* pro Caco. cf. inf. 298. VI, 575 et Burm. h. l. Vulgo interpungebatur, *Hic spelunca fuit — Semihominis Caci: facies quam dira tenebat;* ita sententia est: *cuius speluncae facies erat dira. quem d.* sec. Moret. *tenebat* reuocauit Heins., alii cum Rom. *tegebat;* vt sit: *facies quam dira tegebat*, quod et Cuningham. praetulit. 195 *inaccensam* duo Heins. *inaccessam* Franc. *inadspectam* Schol. Statii Theb. I, 362, quod non displicebat Burmanno. 196 *que* abest Medic. Pierii et aliquot Heins. *for. suspensa sup.* aliquot Pier., ex interpretatione. 197 *squallida* Medic. a m. pr. Coniecit quoque *squalida* Bentl. ad Lucan. II, 165.

sit *Herculi Seruatori*, Σωτῆρι, Ἀλεξικάκῳ.

193 sqq. De Caco fabula Italorum domestica fuit: ornata a poetis Romanis variis modis. Conferant, qui volent, Ouid. Fast. I, 543 sqq. Propert. IV El. 9. Liu. I, 7. qui locus huic nostro simillimus est, Dionys. I, 39. Alia ac diuersa leguntur apud Solinum et apud Tzetzam Chil. V, c. 21 e Dione. Traxere ex Virgilio suas descriptiones, Amyci Valerius Fl. IV, 177 sqq. et serpentis ad Bagradam a Regulo occisi Silius VI, 146 sqq. cf. Cerda. Vt autem poeta pro episodio fabulam adhibere posset, veniam dabat carminis consilium Romanorum originibus et nomini consulturi. Nam a Caco interemto sacri Herculi ad *aram maximam* fieri soliti origo repetita. cf. inf. 269 sq. Liu. l. l. et alii.

194. *facies Caci* pro Caco. conf. Var. Lect. 196. *superbus* Maroni est saeuus, atrox.

Huic monſtro Volcanus erat pater; illius atros
Ore vomens ignis, magna ſe mole ferebat.
Adtulit et nobis aliquando optantibus aetas
Auxilium aduentumque dei. Nam maxumus vltor,
Tergemini nece Geryonae ſpoliisque ſuperbus,
Alcides aderat, taurosque hac victor agebat
Ingentis; vallemque boues amnemque tenebant.
At furiis Caci mens effera, ne quid inauſum
Aut intractatum ſcelerisue doliue fuiſſet,

198 *Huic Volcanus erat monſtro* malebat Cuningham. Itane poetae variare numeros non licebit? *atrox* Franc. 201 *aduentus* neminem maluiſſe miror. *m. heros* aliquot Pier. 202 *Geryonae* vindicauit Heinſ. poſt Guellium, meliorum codd. auctoritate: ex Γηρυόνης. Vulgo: *Geryonis*, ex Γηρυών. *Geryoni* Rom. 203 *huc* Franc. a m. pr. cum Goth. tert. et Etſ. 205 *furis* retraxit Burm. pro *furiis*, quod Heinſ. defenderat. Codicum quidem auctoritas vtramque lectionem tuetur, priorem inprimis Seruius, eamque probarunt Stephanus, Broukhuſ. et Marklandus cum Burmanno; quae tamen hic affert, leuia ſunt. Dicuntur *ferus* et *efferus* promiſcue cum et ſine adiecto caſu. Equidem *furiis efferus* praefero: primum, quod poetico ornatui hoc conſentaneum; *furis* vero vocabulum epica grauitate indignum et exile. Tum *furiis* in *furis* mutatio prona fuit, e vetere ſcriptura; non item inuerſa ratione. Tandem in *furiis* conſpirant Rom. et Medic., principes diuerſarum ſectarum: *furis* in recentioribus regnat, vt in tribus Goth. 206 *intractatum* Rom. et Medic. Pierii, cum Gud. et tribus aliis Heinſ., quod placebat viris doctis, iam olim Benedicto, quia *tractare* et *contrectare* de furibus proprie dicuntur. Recte quidem; ſed alienae iſtae ab h. l. argutiae; ante Heinſ. erat vulgatum:

199. *magna ſe mole ferebat*, ſimpl. ad habitum corporis vaſtamque ſpeciem refero, pro, *incedebat;* ſed aſſumſit notionem vaſti corporis; id quod ad ἐνάργειαν facit.

202. Cf. ſup. VII, 661 ſqq. Herculis nomen variis Italorum fabulis implicuit antiquitas; et peragratae ab Hercule Italiae veſtigia vbique oſtentabant. cf. ſup. Excurſ. XIV f. lib. III. Quid? quod

Quatuor a ſtabulis praeſtanti corpore tauros
Auertit, totidem forma ſuperante iuuencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus veſtigia rectis,
Cauda in ſpeluncam tractos, verſisque viarum
Indiciis raptos, ſaxo occultabat opaco.
Quaerenti nulla ad ſpeluncam ſigna ferebant.
Interea, quum iam ſtabulis ſaturata moueret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet,

intentatum: hoc habet Medic. a m. ſec. et pars codd.; ſi *intentatum* a poeta profectum non eſt, ſaltem alterum eo ſenſu eſt accipiendum. *fuiſſent* Medic. et Gud. a m. pr. *tuliſſet* alter Hamb. Sane *fuiſſet* dictum pro, eſſet. Wakefield, qui *intentatum* recepit, dubitat quoque, an non *relinquat* reponendum ſit. 208 *Advertit* Doruill. 209 *Atque has* Ven. *ferent* pr. Moret. *v. certis* Parrhaſ. 210 *tauros* pro *tractos* ſphalma Goth. tert. 211 *raptos* poſt *tractos* tautologum eſſe cenſens Wakefield non modo coniicit, ſed et reponit: *Indiciis, raptos ſaxo occ.* vt apud Propert. IV, 9. 9 *Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro.* 212 *Quaerentem* vulgo inde a priſcis edd. lectum. *quaerenti* Heinſ. adoptavit e Medic. aliisque, vt *ferebant* ſit, *ſe ferebant. quaerentis* Rom. et alii Pier., quod et Heinſius ſuſpicatur ab initio fuiſſe in libris exaratum. *quaerentes* Gud. a m. ſec. cum tribus Heinſ. *quaerente* Medic. Pierii. An *quaerentum*, quod Burm. praeſcripſit, vllibi legatur, non inuenio. Verſum forte abeſſe poſſe, concedo. At Wakefield pro adulterino etiam habet. 213 *mouebat* Ven. 214 *habitumque* duo Burm. *parabat* Medic. a m. pr. *pararat* qu. Moret. *pararent* Rom.

adeo *via Herculea* inde ab Italia vsque ad Celticam fuiſſe narratur: Mirab. Audit. 86 et 100. 208. *Auertit*, abigit, vt I, 527 *raptas ad littora vertere praedas;* tum *intractatum* pro vulgari: intentatum; nam iunctum τῷ *inauſum. a ſtabulis* autem, a paſcuis, in quibus procubuerant: vt αὐλή. Iterum ſic v. 213. 209. 210. Hoc a Mercurii furtis adumbratum. vid. Homer. Hymn. in Mercur. vſſ. 69 ſeqq. 75. 76. *verſa viarum indicia*, ſunt veſtigia pedum. *ferebant* ſe.

Discessu mugire boues, atque omne querelis
Inpleri nemus, et colles clamore relinqui.
Reddidit vna boum vocem, vastoque sub antro
Mugiit, et Caci spem custodita fefellit.
Hic vero Alcidae furiis exarserat atro
Felle dolor: rapit arma manu nodisque grauatum
Robur; et aetherii cursu petit ardua montis.
Tum primum nostri Cacum videre timentem
Turbatumque oculis. Fugit ilicet ocior Euro,

215 *Discessum* Gud. 216 *relinquit* Goth. tert. *reliquit* sec. *colles relicti* (scil. *impleri clamore*) coni. Io. Schrader. 218 *Mugit* Rom., aliquot Pier. et Menag. alter. 219 *Alcides* Ven. *antro* Rom. *f. exardet* vel *exarsit et atro Felle dolor:* malebat Dorvill., nec male; etsi durior illa structura, duplici auferendi casu iuxta apposito, non infrequens est: *furiis*, per furias, propter iram. 221 *Robor* Gud. et Mentel. pr. *aetherii* nouauit Burm. pro *aerii*, quod alii habent. 222 *trementem* tres Burm. 223 *oculi* nouatum erat a Burmanno. Sic duo Heins., Bigot. et pro var. lect. Servius. Probat quoque Wakefield. *oculos* Gud., quod Heinsio merito arridebat. *oculis* vulgo vbique legitur, quod vtique amplector.

216. Herculem cum armentis puta progressum iam ab altera montis parte processisse. *colles clamore relinqui*, h. a bubus; superari boum mugitu: vt bene Burm. exposuit; vt vltra colles procederet auditus mugitus et vsque ad Caci speluncam peruenirent. Ita passim *relinquimus* eum, quem superamus, inprimis cursu, et *loca relinquimus*, per quae transimus, adeoque clamor relinquit montes, quos superat, vltra quos auditur. Haec vsu loquendi et analogia defenduntur. Alias esse possit dictum de clamore a colle resiliente adeoque ex impulsu eum relinquente. Obuia magis, tenuis tamen esset oratio, si acciperes: *colles relinqui* a bubus discedentibus cum *clamore*. 219. *furiis*, per furias, iram. 220. *arma* sunt ipsa clava, de qua seqq.

Speluncamque petit; pedibus timor addidit alas.
Vt ſeſe incluſit, ruptisque inmane catenis
Deiecit ſaxum, ferro quod et arte paterna
Pendebat, fultosque emuniit obiice poſtes:
Ecce furens animis aderat Tirynthius; omnemque
Adceſſum luſtrans huc ora ferebat et illuc,
Dentibus infrendens. Ter totum feruidus ira
Luſtrat Auentini montem; ter ſaxea tentat
Limina nequidquam; ter feſſus valle reſedit.
Stabat acuta ſilex, praeciſis vndique ſaxis,
Speluncae dorſo inſurgens, altiſſima viſu;
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.

etiam tamquam magis epicum, pro vulgari: *noſtri homines viderunt eum turbatos oculos habentem.* Argutatur Burm., dum *turbatus* ſolum ſic ſufficere dicat: Lucan. III, 356 *quum turbato iam prodita vultu Ira ducis.* Sic enim *turbatus animo*, et *animi.* Nec aliter Graeci: ταραχθεὶς τῷ ὀφθαλμῷ. *Turbari* autem non modo ira, amore, furore, verum et timore a poeta aliquis dicitur. *fugit illico* Montalb. *ilico et* Goth. ſec. 225 *includit* Goth. ſec. *que* abeſt Parrhaſ. 226 *Obiecit* Leid. 227 *obice* al., ex more. *obiece* Ed. Mediol. *emunit* Rom. 228 *animi* Leid. *que* in fine aberat aliquot Pier. et Goth. tert. 230 *tunc totum* Menag. pr. *frendens* Rom. 231 *Auentinum* tert. Rottend. pro diu. lect. et Oudart., ſed alterum doctius: vt *ſons Timaui, vrbs Buthroti,* quae Seru. laudat; conf. Burm. 232 Mire diſtinguebant aliqui ap. Seru. *ter ſ. t. limina: nequicquam ter: ſ. v. r.* 233 *praeruptis* Doruill., a m. ſec. interpolatrice. 234 *incumbens* Menag. pr. et Parrhaſ. cum Goth. ſec. e ſeqq. v. 236.

226. *ferro et arte paterna,* catenis ferreis a Vulcano elaboratis ſuſpenſum erat ſaxum, quod demiſit et aditum obſtruxit, *poſtes fultos emuniit,* ornate pro muniit fores, *obiice,* ſaxo illo obiecto pro obice: quod idem vſ. 231 *faxea limina.* Catenas ferreas ab vſu iſtius ſaeculi

Hanc, vt prona iugo laeuum incumbebat ad amnem,
Dexter in aduerſum nitens concuſſit, et imis
Auolſam ſoluit radicibus; inde repente
Impulit: impulſu quo maxumus inſonat aether;
Diſſultant ripae, refluitque exterritus amnis.
At ſpecus et Caci detecta adparuit ingens
Regia, et vmbroſae penitus patuere cauernae:
Non ſecus, ac ſi qua penitus vi terra dehiſcens
Infernas referet ſedes, et regna recludat

236 *impendebat* tert. Rottend. *in amnem* Rufinian. in Schem. Lex. pag. 255. 237 *Dextera* alter Hamb. *conuulſit* Goth. ſec. 238 *Aduolſam* Medic. *Euulſam* Leid.; cf. III, 575. *voluit* tert. Mentel. *ſolidis radicibus* Parrhaſ. 239 *impulſo* Mentel. alter. *intonat* aliquot Pier. et Heinſ.; et ſic editum a Cuningham. *aer* Ven. 240 *que* abeſt aliquot Heinſ. 241 *Ac* Ven. *vt* Moret. ſec. *deiecta* Goth. tert. 242 *cateruae* Goth. ſec. Non placet repetita in binis verſibus vox *penitus*. Priore loco *late* non male ſubſtituebat Schrader. ex Ennii verſu, quem vid. in Nota. 243 *Nec ſ.* Goth. tert. 244 *reſerat* et *recludit* pars Pier. et Heinſ., quod praeferam in poeta. *aperit ſ. ac r.* Parrhaſ. et Gud. a m. ſec. *recludet* ſec. Moret. *recludant* alter Hamb.

alienas bene temperauit poeta adiecta artis Vulcani memoratione.

236. 237. Stabat ſaxum, ſed prominens, πρηνὲς, ἐπιῤῥεπὲς, in tergo antri verſus Tiberim, et in ripa fluuii ita ſitum, vt ad laeuam ei amnis eſſet; amni ex aduerſo, ita vt a dextra ripa ei eſſet, ſtetit Hercules et ſaxum labefactauit, ita vt illud in amnem prolaberetur. 242. *regia* vt de Aeoli antro *aula* lib. I, 140 Seru. Ornauit autem Ennianum verſum: *Tum caua ſub montem late ſpecus intu' patebat.*

243 ſqq. Ex Iliad. *v*, 61 ſqq. eſſe adumbratos verſus, monitum ſatis poſt Macrob. V, 16. Illud addam: Homerica eſſe longe grauiora, quod ibi inter effectus pugnae deorum numeratur hoc, quod Maro tantum in comparatio-

Pallida, dis inuisa; superque inmane barathrum
Cernatur, trepidentque inmisso lumine Manes.
Ergo insperata deprensum in luce repente,
Inclusumque cauo saxo, atque insueta rudentem,
Desuper Alcides telis premit, omniaque arma
Aduocat, et ramis vastisque molaribus instat.
Ille autem, neque enim fuga iam super vlla pericli,

245 *que* abest Ed. Ven. et ex suis membranis rescissum a Bruncio. *super* est, superne, desuper. 246 *trepident* Heins. e codd.; vulgo *trepidant*, quod Rom. quoque exhibet: recte, si quid video, modo *que* absit. Abest etiam a Rom. et aliis *que*. Equidem *trepidant immisso*, quod olim erat, praeferam. Verum piget mutare quae incerta sunt et lubrica. Doruill. *admisso*. 247 *in* abest parte codd. Pier. et Heins. 248 *insueta pauentem* codices ap. Pier. Sed *rudens* est ἐπιβρωμώμενος, vt ap. Callim. in Del. 56 *saxoque insueta* Rom. 250 *instant* Lutat. ad Statium ap. Burm., perperam. 251 *super v. p. est* vulgo legebatur. Eiecit *est* Heinsius secundum codd. suos et Pierii. *fuga nunc super illa* Diomedes lib. I ap. Heins. *super illa* Leid. *super illa dabatur* alter Menag.

ne posuit; Minus autem mirationem faciunt ea, quae in comparatione memorata sunt, quam quae de ipsa re memorata, tamquam effecta, praedicantur. Petiit e nostro Statius Theb. VII, 815 Amphiarao a terra hausto: *ecce alte praeceps humus ore profundo Dissilit, inque vicem timuerunt sidera et vmbrae.* 245. *dis inuisa*, argutatur Burmannus post Ruaeum et alios, dum interpretatur non visa, vt *inuisus* lib. II Aen. 574. Sed in loco Homerico, quem poeta expressit, v. 65, satis manifesta sunt οἰκία — τά τε στυγέουσι θεοίπερ h. *abhorrent, auersantur*, δεδοίκασι; mox 245 *super* pro desuper. 248. *insueta rudentem*, insolito et horrendo more vociferantem. Comparat Ernesti τὸ ἐπιβρωμᾶσθαι ap. Callimach. in Del. 56. Frequens et obvius apud poetas vsus vocum talium a clamore animalium traductarum, quem illustrare

Faucibus ingentem fumum, mirabile dictu,
Euomit, inuoluitque domum caligine caeca,
Proſpectum eripiens oculis; glomeratque ſub antro
Fumiferam noctem conmixtis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis, ſeque ipſe per ignem
Praecipiti iniecit ſaltu, qua plurimus vndam
Fumus agit, nebulaque ingens ſpecus aeſtuat atra.
Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Conripit in nodum conplexus, et angit inhaerens
Eliſos oculos, et ſiccum ſanguine guttur.

252 *m. dictu* Goth. tert. 255 *Fumigeram* Menag. pr. Bigot. et Goth. tert. *Flammiferam* ed. Ven. *coniunctis* Montalb. 257 *iniecit* Heinſ. e parte codd. pro vulgari *iecit*, quod Rom. cum aliis tuetur. *eiecit* Hugen. *quo* aliquot Pier. 259 *Sic* duo Burm. *mouentem* Goth. tert. cum tert. Mentel., quod mire blandiri vidi viro docto, qui recte obſeruabat, *vomere* iam anteceſſiſſe, *mouentem* autem eſſe exquiſitius et proprium in tali re poëtarum verbum. *nouantem* alter Hamb. 260 *in medium* Bigot. et Goth. tert. *corripit in nodum* male iungit vetus Grammaticus Anthol. Lat. Tom. I, lib. I, Ep. 45, 10.

nihil attinet. *molaribus* ſimpl. pro grandibus ſaxis; ſic μύλακες Iliad. μ, 161; et *rami* quoque pro ſtipitibus et truncis. Non de claua cogitandum erat, poſt molares. Ouidius l. c. Faſt. I, 570 *Remque ferox* ſaxis ſtipitibusque *gerit*.

256. *animis*, prae ira. *vndam*. Georg. I, 472 *Vidimus vndantem ruptis fornacibus Aetnam* — Ornate omnia: *nebulaq. i.* pro, qua parte ſpecus denſiſſimus eſt fumus; vt *mare, ignis*, aeſtuat, ſic nunc *fumus*. 260. 261. elidit fauces Caci arto brachiorum nodo conſtricti: more Herculis, quo leo et Antaeus fuit occiſus: quem deſeruit Propert. IV, 9, 15 (vbi quoque triceps Cacus) cum Ouid. I Faſt. 576, vbi claua interimitur Cacus. (cf. Spenc. Polymet. p. 123.) *in*

Panditur extemplo foribus domus atra reuolsis;
Abstractaeque boues abiurataeque rapinae
Coelo ostenduntur, pedibusque informe cadauer
Protrahitur. Nequeunt expleri corda tuendo
Terribilis oculos, voltum, villosaque saetis
Pectora semiferi, atque exstinctos faucibus ignis.
Ex illo celebratus honos, laetique minores
Seruauere diem, primusque Potitius auctor,
Et domus Herculei custos Pinaria sacri

262 *extemplo vel interea* Gud. *recluſis* aliquot Pier. Doruill. et Oudart. pro var. lect. codices bini recentes et mendoſi. *repulſis* Goth. tert. 263 *abstractique b. obiurataeque* Ed. Ven. *adiurataeque* Exc. Burm. 264 *immane* Goth. tert. 266 *piloſa* Doruill. 267 *ac* Ven. *ſemifera* Goth. tert. 268 *celebratur* pars Heinſianorum codd. *ſeruatur* Bigot. *ſeruatus* Goth. tert. *honor* ex Priſciano Burm. 269 *Poticius. Potius*, et in Goth. ſec. *boetius* erratum. 270 *ſacris* Rom. Io. Marius Matius ap. Heinſium diſtinguebat poſt verba: *cuſtos Pinaria ſacri*, vt ſeqq. *ſtatuit* ad ipſum Herculem referatur, quem alii aram maximam

nodum doctius quam nodo, per nodum. *complexus corripit* ornate pro complectitur. 263. *abiuratae rapinae;* reſpicit epitheton rem ſupra non memoratam, ſed intellectu facilem: Cacum periurio negaſſe ſe boues apud ſe habere. 265. conf. Iliad. χ, 369 ſqq. de Hectore. Exhibent rem duo numi maximi moduli ex aere nobiliſſimi: alter Antonini Pii, alter M. Aurelii. Pii numus alius eſt, in quo Hercules ipſe ad aram maximam ſacrificans exhibetur; et tertius cum Hercule epulum, quod inſtituerat, celebrante. Occurrunt apud numographos, tum apud Eckhel. in Doctrina num. Vol. VII, p. 29 ſq.

268. Hinc ſacrum celebrari coepit, quod poſteri traditum ſeruarunt, ita vt adhuc anniuerſarium ſollenne agamus. 269 ſq. conf. ſup. ad v. 193 ſqq. Narrata res a Liu. I, 7 et IX, 29, vbi cf. Intpp. Dionyſ. I, 39. Prop. IV, 9, 67. 68. Tac. Ann. XV, 41. *cuſtos*, antiſtes, quae

*Hanc aram luco ſtatuit, quae Maxuma ſemper
*Dicetur nobis, et erit quae maxuma ſemper.
Quare agite, o iuuenes, tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, et pocula porgite dextris,

dedicaſſe aiunt; conf. Ouid. Faſt. I, 581. Liu. I, 7. Equidem cum verſu 270 finiendam arbitror ſententiam, et verſus 271. 272 eiiciendos tamquam commentitios et alterum ex altero procuſum. Nihil poteſt eſſe ieiunius et poeta magis indignum quam: *quae maxima ſemper Dicetur nobis et erit quae maxima ſemper.* 271 *ſtatui* legebat Pomponius: „*Euander inſtituit: ideo eo loquente melius* ſtatui, *quam* ſtatuit.“ 272 Hic verſus aberat a pr. m. Mentel. pr. et Rottend. ſec. At in Leid. finiebatur poſt *erit.* Markland. ad Stat. III Silu. I, 9 reſecabat hemiſtichium: *et erit quae m. f.* Sane nihil hoc verſu ieiunius. *et erit quoque* Parrhaſ. 273 *Ergo agite* Priſcianus ap. Heinſ. 274 *fronte* duo Burm.

curaret ſacrum. Male Macrob. III, 6 argutatur. Inverſa autem oratio pro: Potitius et Pinarius: ſeu Potitii et Pinarii. De iis v. loca laudd., vt et de Ara Maxima. In eodem ſacro, *capite* erant *aperto*, qui ſacra faciebant: vnde mox 274. 277 coma frondibus cingitur; Liu. I, 7 *ſacra diis aliis Albano ritu, Graeco Herculi, vt ab Euandro inſtituta erant, facit Romulus;* ſic quoque Strabo V, p. 352 B (p. 230): cauſſam afferunt apud Macrob. III, 7 extr. vel quod Graeco ritu ſacrum factum, (v. Liuius l. l. I, 7 et Strabo V, p. 352. B. C.) vel quod ſignum Herculis capite operto eſſet, ſc. exuuiis leonis; ne quis adeo in aede dei habitum eius imitaretur. At Romanorum mos erat in ſacris *velato* eſſe *capite:* cuius moris originem a poeta expoſitum vidimus III, 403 ſqq.

273. *tantarum in munere laudum.* Non aſſequor interpretes, nec Burmannum, qui lib. V, 652 huc vocat, vbi *munus* pro ſacro poſitum eſt. *Laudes* dicuntur poetis pro virtutibus et ſtrenue factis: ergo *in munere laudum* erit in honorem tanti facinoris, quo de nobis meruit Hercules; cf. ſup. 185 ſq. 274. Se-

Communemque vocate deum, et date vina volentes.
Dixerat: Herculea bicolor quum populus vmbra
Velauitque comas, foliisque innexa pependit;
Et ſacer inpleuit dextram ſcyphus. Ocius omnes
In menſam laeti libant, diuosque precantur.
Deuexo interea propior fit Veſper Olympo:
Iamque ſacerdotes primusque Potitius ibant,
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.

comam alter Leid. *porrigite* duo alii. *ſpargite* Doruill. et aliquot Pier. *ſumite* Oudart. pro var. lect. *porgite pocula* Goth. tert. 276 *Herculeae vmbrae* pr. Hamb. 277 *nexa* Gud. a m. pr. 278 *implerat* Bigot. *dextras* alter Hamb. *Et dextram impleuit ſanctus ſcyphus* aliquot Pier. 279 *In menſa* aliquot ap. Burm. cum Goth. ſec. Locum qui ſequitur vna cum hymno illuſtrauit vir doct. Car. Aug. Böttiger ſingulari libello 1789. 281 *ibat* tert. Rottend. 282 *flammam* aliquot Pier., inter quos Rom. *gerebant*

quitur locus de libatione. *Porgite*, non vt alter alteri ex ordine poculum praebeat, aut omnibus famuli; ſed quod libatio fit manu exporrecta et prolato poculo. Mox idem: *date vina. Communem deum* Troianis et Arcadibus, communi foedere iunctis, hoſpitibus et amicis. vid. vſſ. 172. 173. 174. Sic accipiendum cum Donato. Aliena multa cumulant Seruius et interpretes: Sic XII, 118 *Rutulique viri Teucrique — In medioque focos et dis communibus aras Gramineas* parabant. 276. 277. caput cinxit *populea* corona: quod *populus Alcidae gratiſſima* et quidem alba; hoc norunt omnes. *bicolor* tamen, variante ſcilicet candore in foliorum frontibus et tergis. Populo ſucceſſit vſus lauri in ſacro Herculis. v. Seru., Macrob. Sat. III, 12 et Cerda. 278. *ſcyphus* proprie h. l. dictus, in re Herculi ſacra: notante Macrobio V, 21.

280. *deuexo Olympo*: caelo, circumacto motu diurno, inclinante ſe, vt II, 250 *Vertitur interea caelum:* vbi

*Inſtaurant epulas, et menſae grata ſecundae
*Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.

Goth. pr. Sane parum placet *ferebant*, *ferunt* trinis vſſ.; et quam impedita ſit interpretatio verſuum *Inſtaurant epulas et Dona ferunt:* in Notis declaraui; Scilicet ſi dicere licet quod ſentio: hi duo verſus a poeta in margine appoſiti fuiſſe videntur ad ſuperiora: *Ocius omnes In menſam laeti libant, diuosque precantur: Inſtaurant epulas* ſq. Duobus verſibus h. l. eiectis bene procedit narratio: *Iamque ſacerdotes — flammasque ferebant. Tum Salii ad cantus, incenſa altaria circum, Populeis adſunt euincti tempora ramis.* 283 *Inſtauruntque* Gud. a m. pr. In Menag. pr. hic ordo erat verſuum 285. 286. 283. 284. Verſus hos importunos, quocunque te vertas, eiiciendos eſſe, patebit e Nota.

vid. Exc. II ad lib. II. 283. Neceſſe eſt, ſi verborum ſententias explores, fuiſſe morem ſacrorum, vt ſub veſperam ſacrum inſtauraretur, ignis in ara accenderetur a ſacerdotibus; vtque tum crematis victimae partibus aliae in epulis ſacris apponerentur, inde ſaltatio religioſa cum cantu fieret ad aram. Haec et ſqq. ad menſas ſecundas, atque adeo ad bellaria, conviuantium referunt interpretes: quod pro temporum heroicorum ratione nullo modo fieri poſſe arbitror, inprimis libatione modo facta. Religioſum ritum deſcribi in aperto eſt, quo ignis in ara inſtauratur, et circum aram ſaltatio cum hymno inſtituitur. Certe ſacerdotes *flammas ferebant — Tum Salii ad cantus incenſa altaria circum* ſaltant. Ergo et reliqua eodem referenda, et inter inſtauratum ſaltem ſacrum epulas quoque inſtauratas fuiſſe dicendum, quas easdem inuſitato more per *menſam ſecundam*, ſeu *menſae ſecundae dona* declarat. Fatendum tamen, et hac et quauis alia tentata ratione verſus 283. 284 nec ſenſu nec ſtructura ſatis congruere: etiamſi dixeris, antiqui ſacri morem a poeta deſcribi, qui nonnulla ſingularia habuerit: ita *pellibus in morem cincti:* Ergo ex vita antiqua, qua pellibus incincti eſſe ſolebant homines, manſit hic mos ſacri in Lupercis; vti 285 Salii huic ſacro adhibiti ſunt. — *oneratis lancibus* ad turis copiam refert

Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum,
Populeis adsunt euincti tempora ramis;
Hic iuuenum chorus, ille senum; qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt: vt prima nouercae

285 *Tunc* Rom. *accantis* Goth. sec. 286 *adsunt*: aduenium ad cantum. Nisi dicas *adesse ad cantum*, seu *cantui*, esse respondere saltatione. Vox est parum commoda. Io. Schrader. coni. *saltant. et vincti* aliquot Pier., inter quos Rom. *taenis* pr. Voss. et pro var. lect. Gud., et Moret. qu. *tenis*. 287 *atque senum* aliquot Pier. 288 *fata* duo Burm. *ferant* illatum erat ab Heinsio e libris; alii cum edd. *ferunt*: haud dubie verius; est enim pro: *ferunt illi*. Retinuit quoque hoc Cuningham.

Cerda; sane tus etiam lance apportabatur, non modo acerra. cf. Ouid. IV Pont. 9, 33. Seruius exta h. l. lancibus apponi ait: idque sequi praestat. Ita dum exta cremantur in ara, epulae interea instaurantur. *Instauratas epulas* supra vidimus lib. VII, vbi crustis iam comesis Aeneas vs. 133 *Nunc pateras libate Ioui*, et 146 *Certatim instaurant epulas*: quod ad solam libationem spectare videtur: sicque Od. E, 388 seq., vbi Nestor de sacro domum redux assidet cum suis et libationem facit: sed nullas epulas secundas.

285. *Salii* apud Romanos Martis erant sacerdotes ex Numae instituto, vt creditum fuit. At h. l. poeta Herculi Salios assignat, quandoquidem in vetere Latio Saliorum nomen commune sacerdotum fuisse videtur, a saliendo; omnis enim olim res sacra cum tripudio et cantu coniuncta erat. conf. Seru. Haeferant in hoc iam veteres. v. Macrob. III Sat. 12. Chorus h. l. est περιβώμιος et ἐγκύκλιος, vt docte obseruat Böttiger supra laudatus. De populea corona vid. ad v. 276. Illud quoque notabile, quod Salii seniores et iuniores memorantur.

Quae sequuntur v. 288 sqq., hymnorum veterum in Herculem argumenta sunt, oratione a poeta praeclare in hymni formulam conuersa v. 293 seqq., vt ipsa narratio dramatis naturam induat.

Monstra manu geminosque premens eliserit anguis;
Vt bello egregias idem disiecerit vrbis,
Troiamque Oechaliamque; vt duros mille labores
Rege sub Eurysitheo, fatis Iunonis iniquae,
Pertulerit. Tu nubigenas, inuicte, bimembris
Hylaeumque Pholumque manu, tu Cresia mactas

289 *geminas anguis* Nonius in *elidere*. vid. Heins. 290 *Et b.* Ven. *deiecerit* aliquot Pier. et Burmann. cum Goth. tert. *deuicerit* Ven. 291 *Oethaliam, Oetaliam, Ethaliam, Aethaliam, Echaliam, Oeiam*, monstra lectionum: et mox *Aritheo, Euricto. et duros* Rom. Macrob. VI Sat. 6 et duo Heins. *eduros* Medic. *vt durus* Bigot. et Goth. tert. 293 *bimembres:* Voc. Cornificium primum ausum esse fingere notatum est ap. Macrob. VI, 5 extr. 294 *Yleum Pholumque* Parrhas. *Hylocumq. Polumq.* Goth. sec. *Neleum* Marius emendabat perperam ap. Heins. *Crescia* Doruill. *metas* Goth. sec.

Obseruandum quoque artificium poetae, quo oratio variatur et inuertitur, vna notione subiecta: tu occidisti, tu prostrauisti *Oechaliam:* quo nomine vrbes fuere Messeniae, Thessaliae et Euboeae: ad hanc Euboeae Oechaliam referunt fere Tragici, quod de expugnatione ab Hercule facta narrari solet, denegata a patre Euryto Iole. v. de his ad Apollod. Not. p. 439. 480 et ad Homerum Iliad. β, 596. 730. 291. *labores* cf. Iliad. Υ, 393. τ, 133. Odyss. λ, 620. *fata Iunonis* infestae aiunt esse voluntatem: Sic Seru. et alii. Accipio de fatis, quae Iunonis odium fecerat. Fatale enim erat, vt Hercules ad explendam Iunonis iram tot labores perferret, ita vt ne Iupiter quidem iis exsoluere ac liberare valeret. Sic IX, 135 *Sat fatis Venerique datum.* Suauis et iam Macrobio VI, 6 med. obseruata conuersio in secundam personam vs. 293. qua docti poetae haud raro vtuntur, vt Horat. II Carm. 19, 13 *Tu flectis amnes.* etiam recentiores: videas v. c. Milton. *P. L. B. IV.* 1720 *sqq. nubigenas Hylaeum Pholumque* Centauros vid. Georg. II, 456. 457; ad hos et ad sqq. cf. Apollod. II, 5, 4 sqq. *Cre-*

Prodigia, et vaſtum Nemea ſub rupe leonem.
Te Stygii tremuere lacus, te ianitor Orci
Oſſa ſuper recubans antro ſemeſa cruento;
Nec te vllae facies, non terruit ipſe Typhoeus,
Arduus, arma tenens; non te rationis egentem
Lernaeus turba capitum circumſtetit anguis.
Salue, vera Iouis proles, decus addite diuis,

295 *Nemea ſub rupe* Rom. et Medic. Gud., aliique doctius, ex Νέμεος, quam quod vulgo adhuc legebatur *Nemeae ſub rupe*. 296 *fleuere* Oudart. *timuere* duo alii Burm. 297 *ſemenſa* Rom. cf. Seru. Seneca ep. 82 ſubiicit verſum ex Aen. VI, 401. 298 *Non te* Parrhaſ. *Te nullae* Goth. tert. *nec terruit* duo Burm. cum Goth. ſec. 299 *nec te* idem cum aliis. 300 *circumſtitit* aliquot Burm. 301 *deus addite* Parrhaſ.

ſia prodigia, τέρας, taurus Cnoſſius: quem viuum ad Euryſtheum adduxiſſe narratur. Ergo *mactas* ſolito more ita poſuit, vt, etſi de vno tantum proprie dictum, pluribus membris eſſet accommodatum, aut aliam fabulam ſequutus eſt. 296. 297. deſcenſu Herculis ad Orcum facto, vt Cerberum adduceret Iliad. Θ, 368. Odyſſ. λ, 622. 298. *facies*, monſtra, quae in inferis occurrebant. Aen. VI, 285 ſeqq. *Hydra Lernaea* iam ibi commemorata: nunc *Typhoeus* additur, quem in Tartarum fulmine detruſum ediderat quoque Heſiod. Θεογ. 853 ſeqq. 867. Orionem in inferis collocauit Homerus Odyſſ. λ, 571 ſqq. Ad communem autem interpretum morem iungimus vſſ. 298 — 300 cum antecedentibus. Alioqui, ſi ſententias et facta ſeiungas, alterum ad pugnam deorum cum Gigantibus, quibus Typhoeum accenſere ſolent poetae, alterum ad hydram Lernaeam apud Nemeam occiſam referri poterat; vt confundantur Hercules ille antiquae religionis et Thebanus Hercules; quod nec ſine exemplo fieret. 299. *arduus* praeclare adiectum; ſtans enim erectus vaſta corporis ſpecie terrere poterat ille. *rationis egentem*, conſilii inopem, de ἀμηχανίᾳ, ἀπορίᾳ,

Et nos et tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant; super omnia Caci
Speluncam adiiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collesque resultant.
Exin se cuncti diuinis rebus ad vrbem
Perfectis referunt. Ibat rex obsitus aeuo,
Et comitem Aeneam iuxta natumque tenebat
Ingrediens, varioque viam sermone leuabat.
Miratur, facilisque oculos fert omnia circum,
Aeneas, capiturque locis; et singula laetus
Exquiritque auditque virum monumenta priorum.
Tum rex Euandrus, Romanae conditor arcis:
Haec nemora indigenae Fauni Nymphaeque tenebant,

305 *Quo sonat* Goth. sec. 306 *Exhinc* duo Burm. 308 *trahebat* pro var. lect. pr. Hamb., vt Aen. II, 457, vnde huc venisse probabile mihi fit. 309 *Ingrediensque viam vario s.* Ven. *levabant* Hugen. a m. sec. et Schol. Statii ap. Burm. *lauabat* Rom. 312 *que* abest post *exquirit* in Ald. pr. *animumque virum* Goth. pr.

ex pauore: h. terrore perculsum. 302. *dexter*, propitius. 304. *spirantem ignibus* doctius quam ignes exspirantem.

307. *rex obsitus aeuo*: vt alias *grauis* de magna copia, *oppressus, obrutus, grauis aetate*. cf. Burm. 310. *faciles* epitheton ornans, mobiles, vagos oculos, volubiles.

314 sqq. Egregius locus, quo antiquus Italiae status describitur. v. Excurs. II ad h. lib. *indigenae Fauni Nymphaeque* non modo ἐγχώριοι, sed et αὐτόχθονες, αὐθιγενεῖς, scilicet designantur Genii locorum. Suauiter autem poeta extulit hoc: Loca circa Tiberim olim vastities obtinebat siluarum, per quas feri homines palabantur.

Gensque virum truncis et duro robore nata:
Quis neque mos neque cultus erat; nec iungere tauros,
Aut conponere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami atque aſper victu venatus alebat.
Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo,

315 *et rupto robore* tert. Rottend. 316 *neque iungere* aliquot Pier. 317 *haud* Burm. *nec* Seru. ad Aen. I, 374. *et parcere* alter Hamb. *partis* Leid. *rapto* Medic., ſed in litura. *gnorant* Mentel. pr. 318 *victus venatus* Montalb.; per appoſitionem, ait Heinſ. *aſper cultu* Oudart. *alebant* Ven. et Doruill. 319. 320 Laudat Auguſtin. C. D. VII, 26.

truncis et duro robore nata pro truncis roborum. Nata, vt probabile fit, loquendi et fingendi forma ex more agreſtium hominum truncos arborum inhabitandi. v. Seru. cf. Stat. IV Theb. 276 ſqq. etſi non adeo ſubtiles in his loquendi formis fuere priſci homines; nam etiam e ſaxis natos dixere; et intra paucos verſus apud Heſiod. O. et D. 143 ſq. eſt γένος ἀνθρώπων χάλκειον, ἐκ μελιᾶν, ἀδάμαντος ἔχον θυμόν. At quae mox iterum ex aere memorantur, vſſ. 150. 151, ab interpolatione profecta eſſe videntur. 316. *mos*, certum vitae inſtitutum, lex quaedam viuendi; praeclare autem mitior vitae cultus declaratur his: *componere opes et parcere parto*, τὸ συγκομίζεσθαι καὶ ταμιεύεσθαι, quibus feros homines aſſuefacere difficillimum eſt. Conferant erectioris indolis iuuenes Lucretianos verſus lib. V, 951 ſqq. in iisque 956. 318. *rami* h. fructus arborum. Porro iung. *aſper victu*, non *alebat victu*. Eſt venatus, qui aſperum victum praebet, h. non niſi labore et moleſtia parandum.

319. Antiquus mythus de Saturni fuga in has terras, ductus, vt videtur, ex etymologia voc. *Latii* a *latendo*. *Saturnus* tamen numen Latinorum patrium, forte a *ſatu*, ſeu ſatione rerum, inprimis frugum. Sed comparatus ille cum *Crono* fabulas Graecorum in ſe deriuandi

Arma Iouis fugiens, et regnis exsul ademtis. 320
Is genus indocile ac dispersum montibus altis
Conposuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.
Aurea quae perhibent, illo sub rege fuerunt
Saecula: sic placida populos in pace regebat. 325
Deterior donec paullatim ac decolor aetas
Et belli rabies et amor successit habendi.
Tum manus Ausonia et gentes venere Sicanae;

320 *regnis: terris* pro diu. lect. Hugen. 323 *tutus latuisset* ap. Lactant. Heins. *in hortis* Goth. sec. 324 *Aurea quae perhibent* Heins. restinxit ex codd. tum suis tum Pier., omnibusque omnino praestantioribus, Rom. Medic. al. (etsi Mediceum *quae vt* exhibere ait; quod Fogginius non expressit). Vulgo lectum erat: *Aureaque, vt perhibent;* quod ortum ex librariorum more *q* per compendium scribendi, quod etiam alii deprauationi locum fecit in aliquot Pier. *Aureaque perhibent — fuisse.* Argutatur Burm. *fuere* ante Heins. 325 *longa* Seru. v. Burm. 326 *ac* deest Ven. 328 *manus Ausonia,* h. Ausones, praeclare Heins. reposuit ex Medic. Gud. et Ven. a m. sec. cum Romano. Vulgo cum Seruio: *m. Ausoniae.* In Bigot. abest *et.*

opportunitatem dedit. Contra Ausonum adeoque Aboriginum et Latinorum religiones videntur fuisse valde simplices; v. Excurs. V et IV ad lib. VII. 321. *indocile;* Seru. pro indoctum: malim pro fero et agresti accipere. 322. *leges dedit,* h. mores et instituta; conf. VII, 203. 204. 325. *aurea saecula* obseruat per *pacem* declarari. 326. *decolor aetas* respectu auri, colore vitiato, dum aerea vel ferrea aetas succederet. 328. *manus Ausonia.* Ausones, quos Liuius et alii vulgo Aborigines appellant. v. Excurs. IV ad lib. VII. Excurs. II ad lib. VIII. *Sicanos* autem memorat poeta, seu quod auctores habuit, qui et hos in Italiam venisse traderent; cum alias Sicanos a Liguribus ex Hispania pulsos in Siciliam traiecisse narratum sit; seu quod *Sicanos* cum *Siculis* confundit, quos loca in-

Saepius et nomen posuit Saturnia tellus.
Tum reges, asperque inmani corpore Thybris: 330
A quo post Itali fluuium cognomine Thybrim
Diximus; amisit verum vetus Albula nomen.
Me pulsum patria, pelagique extrema sequentem,
Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum
His posuere locis, matrisque egere tremenda 335
Carmentis Nymphae monita, et deus auctor Apollo.
Vix ea dicta; dehinc progressus, monstrat et aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam

334 *et i. bellum* sec. Moret., male. 335 *erigere tremendae* Rom. 336 *et monita* Parrhas. 337 *dein* Montalb. *et arma* Medic. 338 *Romanì nomine* Gud. cum quatuor aliis Heins.; addo Medic.; nec assequor, vnde haec lectio venire potuerit.

ter Tiberim et Lirin tenuisse constat, etsi alii in inferiore Italia, Oenotriorum sede, eos memorent; vnde illic ab Ausonibus et Pelasgis, hic ab Opicis, qui et ipsi ex Ausonum genere fuere, exturbati in Siciliam traiecere. conf. Excurs. II ad h. lib. *Saturnia tellus* proprie ita dicta fuit in cliuo Capitolino ad Tiberim; *cliuus Saturnius* is olim dictus: Dionys. I, 34. Poetis inde nomen pro Latio et pro Italia frequentari coepit. Etiam reliqua Italiae nomina a certis tractibus, quibus ab origine propria erant, ducta sunt. Ipsum *Italiae* et *Oenotriae* nomen, primo ad sola loca circa sinum Lameticum spectabat. cf. eund. Excurs. 330. Sumsit et hoc poeta de Tiberi ex multis aliis commentis super nomine Tiberis; v. Seru. ad h. l., cf. Cerdam, Cluuer. alios.

333. De Euandri aduentu v. sup. v. 51 sqq. et Excurs. I ad h. l. *pelagi extrema*, mare vltimum, longinquum, saltem ex sensu et notione priscae Graeciae, cui occidens inter terras ignotas et inuisas erat. 337. *aram* Carmentis seu Carmentae, quam se vidisse testatur *sub portam Carmentalem* Dionys. lib. I, 32 ad radices Capitolii. 338. *portam* per appositum *ho-*

Quam memorant, Nymphae priſcum Carmentis honorem
Vatis fatidicae: cecinit quae prima futuros
Aeneadas magnos et nobile Pallanteum.
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Aſylum
Retulit, et gelida monſtrat ſub rupe Lupercal,
Parrhaſio dictum Panos de more Lycaei.

339 *memorat* Goth. ſec. *primum C.* Oudart., ex interpretatione, arbitror. Interpunctione refeci locum: *Et Carmentalem Romano nomine portam Quam memorant, Nymphae priſcum Carmentis honorem, Vatis fatidicae.* Appoſita ſunt: *portam — honorem Nymphae Carmentis.* Antea interpungebatur ſic: *Et C. — portam: Quam memorant Nymphae priſcum Carmentis honorem Vatis fatidicae.* Ita frigebat totus hic verſus, vt eum expungere mallem: expeditior enim fuiſſet oratio: *Et Carmentalem Romano nomine portam Vatis fatidicae.* 341 *et nomine P.* Rom. 342 *aſper* pr. Hamb., ſed *acer* defendit Burm.; recte, nec tamen expedit. *Acer*, vt ὀξυμὸς, eſt poetis vocabulum proprium virorum fortium, ὀρσατικὸν, vti alias impiger, promtus, animoſus. 344 *Parnaſio* Rom. *de monte* Bigot. et Goth. tert. Sicque emendabat Io. Schraderus, fundo emendationis in Ouidio quaeſito: Faſt. II, 423 *Quid vetat Arcadio ductos a monte Lupercos? Faunus in Arcadia templa Lycaeus habet.* Ita erit:

norem Nymphae Carmentis, vatis fatidicae. 340. 341. Ingenioſe haec a poeta intexta ſunt, ex inſtituto praecipitandi Aeneidis argumentum per vaticinia, ſecundum obſeruata Disquiſ. II. inpr. ſ. VI ſeqq. Sententiam hanc Maronis ornauit Ouid. Faſt. I, 475 ſqq. 515 ſqq. Propert. IV, 1 et iam Tibull. II, 5, 19 ſq., ille ex ſua, hic ex Sibyllae perſona. *Pallanteum*, Palatium. conf. ſup. v. 54.

342. 344. *lucum — Aſylum* cf. Liu. I, 8. Dionyſ. II, 15. *retulit* eſt, appellauit. Male aliter Seru. et alii. *Lupercal* ſub monte Palatino, cf. Liu. I, 5. Dionyſ. I, 32. *dictum Panos Lycaei* Lupercal, nomen gerens Panis Lycaei, quaſi is a λύκος, *lupus*, dictus ſit: praua non-

Nec non et ſacri monſtrat nemus Argileti,
Teſtaturque locum, et letum docet hoſpitis Argi.
Hinc ad Tarpeiam ſedem et Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim ſilueſtribus horrida dumis.
Iam tum religio pauidos terrebat agreſtis
Dira loci; iam tum ſiluam ſaxumque tremebant.

Lupercal dictum de monte Panis Lycaei Parrhaſio. Sane *montem Parrhaſium* putes eſſe debere τὸ ὄρος Παῤῥάσιον. At nunc erit dictum pro Arcadico. *Lycei* male excuſum a Burmanno. Eſt vrbs Arcadiae Λύκαια et ὄρος Λύκαιον, vide vel Pauſan. VIII, 2 et 38. At Λύκειον γυμνάσιον Athenis, et Apollo Λύκιος. 345 *monſtrant* Goth. pr. 346 *et mortem docet* aliquot Pier. 347 *ad* abeſt pr. Hamb. *et* abeſt Goth. tert. 349 *iam tunc* Doruill., etiam vſ. ſequ. 350 *iam iam* aliquot Pier. *ſiluas* Rom. *ſaltumque* Montalb. *tenebant* Medic. a m. pr. Bigot.

nullorum etymologia: cum verius ab vrbe et monte Arcadiae Lycaeo ductum ſit nomen. *de more Parrhaſio,* h. Arcadico, ad exemplum Panis Lycaei nomine ab Arcadibus ducto.

345. 346. *nemus Argileti* ſub Capitolio, vt docent Donatus et alii auctores de vrbe Roma. *teſtatur* ſimpl. pro monſtrat. *hoſpitis Argi;* adoptauit poeta veterem fabulam de Argo hoſpitio ab Euandro excepto et, eo inſcio, ab Arcadibus caeſo. Quis ille fuerit, varia erat fama. vid. Seru.

347—354. Locus ſplendidus de Capitolio, in quo τὸ εὐφαντασιῶδες in ſignis futurae maieſtatis loci in promtu eſt ſentire. 348. *Aurea nunc, olim.* Similis comparatio temporum et conditionis in Capitolio ſaepius occurrit. v. loca ap. Cerdam; inprimis Propert. IV, 1 et Tibull. II, 5, 23 ſqq. tum et in aliis Vrbis partibus, vt inf. 360. 361. *aurea* ſimpliciter eſſe multo auro ornata, nemo dubitet. Sic *aurea Roma.* 350. *dira,* magna, admirabilis *Seru.;* ſcilicet ea, quae dira ſunt, horrorem

Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem,
Quis deus, incertum est, habitat deus; Arcades ipsum
Credunt se vidisse Iouem, quum saepe nigrantem
Aegida concuteret, dextra nimbosque cieret.

351 *hoc inquit f. v. saxum* Gud. pro diu. lect. *formoso* sec. Hamb. Probus I Instit. p. 1395 *hoc nemus, hunc, inquit, fontem.* 353 *vidisse deum* aliquot edd. 354 *crearet* Hugen. *saepe* alieno loco positum meminimus et alibi occurrere: vt statim Ge. I, 354 *quid saepe videntes* — et alibi. Mutaui interpunctionem, quam miror nemini moram fecisse. Vulgo: *cum saepe nigrantem Aegida concuteret dextra, nimbosque cieret.* Quis quaeso clipeum, si aegis pro clipeo est, *dextra* vibret? Scilicet iungenda sunt: *cum Aegida concuteret, dextra nimbosque cieret.* Laeua vibrat aegidem, dextra autem iaculatur fulmina. Poterat saltem Seruius monere: *dextra nimbosque cieret: et de dextra fulmina commoueret.* Wakefield praefert antiquam interpunctionem, et simul aegidem pro thorace accipit, qui quomodo dextra concutiatur, non intelligo.

incutiunt, qui idem ex religione, seu specie augusta et religiosa loci sanctitate venire solet. 353. 354. *Aegis* h. l. clipeus sine controuersia; cum alibi ambiguum sit, de thorace an de clipeo seu Iouis seu Palladis accipienda sit: conf. inf. ad 435. Haec Iouis aegida incutientis species manifeste ex Homero est adumbrata: Iliad. δ, 167 de Troiae excidio: Ἔσσεται ἦμαρ etc. Ζεὺς δέ σφιν Κρονίδης — Αὐτὸς ἐπισσείῃσιν ἐρεμνὴν αἰγίδα πᾶσιν, Τῆς δ' ἀπάτης κοτέων; ergo de irato Ioue, ad incutiendum terrorem vibrante aegidem ante ora Troianorum; vt alias heroes fulgentem aere et radiantem sole clipeum quatiunt et ingerunt oculis hostium. Similiter Iupiter fugat Achiuos Iliad. ρ, 593 καὶ τότ' ἄρα Κρονίδης ἕλετ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν Μαρμαρέην, Ἴδην δὲ κατὰ νεφέεσσι κάλυψεν, Ἀστράψας δὲ μάλα μεγάλ' ἔκτυπε, τὴν δ' (aegidem) ἐτίναξε. Νίκην δὲ Τρώεσσι δίδου, ἐφόβησε δ' Ἀχαιούς. Simili modo h. l. Iupiter aegidem concutit et fulminat; et alterum quidem facit laeua, fulmen iacit dex-

Haec duo praeterea disiectis oppida muris,
Reliquias veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem:
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Euandri, passimque armenta videbant
Romanoque Foro et lautis mugire Carinis.
Vt ventum ad sedes: Haec, inquit, limina victor
Alcides subiit; haec illum regia cepit.

355 *delectis* Menag. pr. pro *deiectis*; conf. 191. 357 *arcem* bene Heins. e potioribus post Pierium; vulgg. *vrbem*, etiam Rom. 359 *ac t.* Gud. a m. pr. 361 *laetis* ap. Schol. Horatii Cruqu. I Ep. 7, 48. *latis cauernis* Parrhas. a m. sec. *cauernis* etiam Rom. 362 In voc. *victor* argutati sunt veteres. v. Macrob. III, 6.

tra. Pro fulmine posuit adiunctum *nimbos;* et propter hos aegis *nigrans*, nube nigra et caliginosa per tempestatem inducta.

355—358. Habet nescio quid religionis veneranda haec antiquitas ruinae duorum antiquissimorum oppidorum, quam hospiti suo monstrat Euander. Attemperatum et hoc ad famam veterem de *Ianiculo* et *Saturnia*, duobus antiquis oppidis in montibus Ianiculo et Capitolino, olim Saturnio dicto; v. Varro de LL. IV, 7. conf. Excurs. II ad h. libr. sub f.

359 sqq. Etiam in his vetus simplicitas delectat, inprimis cum magnificentia serioris aetatis comparata. *lautis Carinis,* qui in IV Regione locus fuit ab Arcu inde Constantini inter Esquilias et Coelium procedens, Pompeii M. Antonii aliisque magnificis sumtuosisque domibus ornatus; vnde *lautae* Carinae. (Seruius multa inepte cumulat.) 362. *Vt ventum ad sedes*, Euandri domum in Palatino monte, seu Pala-

Aude, hospes, contemnere opes, et te quoque dignum
Finge deo; rebusque veni non asper egenis.
Dixit, et angusti subter fastigia tecti
Ingentem Aenean duxit, stratisque locauit
Effultum foliis et pelle Libystidis vrsae.
Nox ruit, et fuscis tellurem amplectitur alis.

364 *contingere* Goth. sec. 366 *augusti* Exc. Burm. *subeunt* aliquot Pier. *vestigia* duo Burm. 368 *effectum* pr. Rottend. a m. pr. *spoliis* Goth. tert., quod ipsum in mentem veniisse video Io. Schradero, vt sint ipsa pellis vrsae. *Libistridis* Ven.; Iulius Sabinus: *vel legatur* Hybistidis (quod nihili esse arbitror), *vt a Sicilia* (in qua nulla Hybista est), *vt diximus in quinto* (ibi nihil tale occurrit) *vel vt sit a Libya — Si volumus intelligere* Libystidis, *Siculae, vt Libystinus Apollo in Pachyno.* Fuit vtique Apollinis Libystini templum in Pachyno. v. Macrob. I Sat. 17. Sed ab eo nomen ducere alienum est. Pro Λιβυκὴ dictum Λιβυστὶς vrsa. 369 Alii nouam sententiam ordiuntur cum hoc versu, alterumque 370 subiiciunt.

tio, quod Pallanteum dixit poeta. 364. 365. Nihil magnificentius his versibus dici potest. *aude contemnere,* quasi rem arduam et difficilem: ita vt virtute opus sit animi ad expellendam miratione diuitiarum. Sic bene Seru. conf. Guell. *et te quoque dignum finge deo.* Compone te mentemque informa ad similitudinem numinis; h. fac, redde te similem Herculis in contemtu hoc inanis fastus. *non asper,* non alienus, infestus, adeoque non fastidiosus.

366 — 368. E more prisci aeui; cf. Odyss. ξ, 48, Orph. Argon. 1009. *Aeneam ingentem* alius reddidisset per: inclinato capite subeuntem angustas fores. De *Libystide vrsa* v. ad lib. V, 37. Etiam imago Noctis v. 369 notabilis. Hinc Stat. I Achill. 620 *totis vbi Somnus inertior alis Defluit in terras mutumque amplectitur orbem.*

At Venus haud animo nequidquam exterrita mater,
Laurentumque minis et duro mota tumultu,
Volcanum adloquitur, thalamoque haec coniugis aureo
Incipit, et dictis diuinum adſpirat amorem:

371 *duro — tumultu* erit vt *bellum durum: pugna dura.* Praeſtat tamen cum Io. Schradero legere *diro. muta* tert. Meutel. 373 *inſpirat* aliquot Pier. tum Ven. alter Hamb. Doruill. Parrhaſ. Ed. Ven. *honorem* idem ſec. Hamb. *odorem* pr. Voſſ.

370 ſeqq. Qui ſequitur locus, meo iudicio, artis magis quam ingenii laudem habet. Nimis manifeſta imitationis Homericae ſunt veſtigia, ſimulque ieiunae copiae, quae fere imitationis ſtudium prodere ſolet. Thetidis ad Vulcanum acceſſus, vt Achilli arma peteret Iliad. Σ, multo maiorem habet ſuauitatem ex ſimplicitate priſcae vitae ibi adumbrata; habet etiam cauſſam multo magis idoneam; amiſerat enim Achilles arma Patroclo detracta. Vtinam praecederet ſaltem locus egregius lib. XII, 87 ſqq. de inſignibus armis Turni: his vt diuina arma opponerentur, erat, quod exſpectabas. Nunc Venus adit maritum, eumque illecebris ſuis delinitum amoreque deuinctum ad amplexus ſuos inuitat. In quibus primum redhibitus eſt locus praeſtantiſſimus Iliad. Ξ, 294 ſeqq., vbi Iuno Iouem ſimili modo circumuenit, ſed eo conſilio, vt alto eum ſopore opprimeret, vt inde pugnae inter Achiuos et Troianos fortuna vices accipere poſſet. Hic vero Vulcanus v. 405. 406 obdormit, vt mox ante diem ad laborem euigilet. Idem a Venere ad ſomnum inuitatur, cum iam precibus facilem ſe et paratum oſtendiſſet. Illud vero nolim vrgere, quod pro filio ex alio viro ſuſcepto maritum rogat. Friget tamen multo magis aliorum imitatio, vt Statii Theb. III, 262 — 317, vbi Venus Marti ſupplicat.

373. *dictis diuinum adſpirat amorem;* addit τὴν χάριν, τὸ θελκτήριον, vt

Dum bello Argolici vastabant Pergama reges
Debita casurasque inimicis ignibus arces:
Non vllum auxilium miseris, non arma rogaui
Artis opisque tuae; nec te, carissime coniunx,
Incassumue tuos volui exercere labores;
Quamuis et Priami deberem plurima natis,
Et durum Aeneae fleuissem saepe laborem.
Nunc Iouis imperiis Rutulorum constitit oris:
Ergo eadem supplex venio, et sanctum mihi numen

374 *Cum* sec. Moret. *Tum* Franc. *vastabant* h. l. de oppugnatione. Io. Schrader. malebat *quassabant:* quod sane magis proprie diceretur. 375 *que* abest Hamb. pr. a m. pr. *vrbes* Oudart., vt v. 357. 377 *opusue* aliquot Pier. et pr. Moret. ac Leid. (si *opusque* vsquam legeretur, non improbandum dicerem). *opisue* sex Heins. cum Erf. *opesue* Franc. *Karissime* Doruill. 378 *incassumque* Medic. 381 *imperio* oblongus Pier. cum aliis, et pars Heins., quod vulgarius. *aruis* Moret. sec. 382 *venio et si non m. n.* Goth. sec. ex litterarum compendio. *nomen* Leid. Io. Schrader. coni. *et sanctum tibi nomen Arma rogo genetrix nato:* vt adeo iungenda sint: *genetrix sanctum tibi nomen.* An vero

delinirent verba Vulcanum. Quod Lucretio est in simili loco dulcissimo: *tu suaues ex ore loquelas funde* lib. I, 40. Burmannum vix quisquam hic probet, dum exponit: „quasi in ipso amplexu amorem anima et spiritu suo infunderet.“ 375. *Debita:* potest ex seqq. *inimicis ignibus* adiungi: idque melius. Seruius: fataliter ad exitium destinata. Ita vero adiungi fere aliquid solet: *fatis mihi debita tellus* Aen. VII, 120, *generi debita* Aen. III, 184, *sors ista senectae Debita erat nostrae;* mollius etiam XI, 165 *fata debita* dicuntur. Latet vero in hoc caussa, cur Vulcanum precibus tum non fatigauerit. 379. *natis;* solito more pro vno, Paride. 381. *Rutulorum oris;* variat orationem, pro Latinis, a populo finitimo. 382. Conf. Iliad. σ, 457. *et* (te) *sanctum mihi numen Arma rogo;* non: *o sanctum mihi*

Arma rogo, genetrix nato. Te filia Nerei,
Te potuit lacrimis Tithonia flectere coniunx.
Adſpice, qui coeant populi, quae moenia clauſis
Ferrum acuant portis in me excidiumque meorum.
Dixerat; et niueis hinc atque hinc diua lacertis
Cunctantem amplexu molli fouet. Ille repente
Adcepit ſolitam flammam; notusque medullas

Venus Vulcano erit mater veneranda, quae natum ex alio viro ſuſcepit? Scilicet morabatur virum doctum non animaduerſa omiſſio *τοῦ te.* Nam eſt: *rogo* (te,) *ſanctum mihi numen, arma.* 383 *Neri* aliquot Pier. et Heinſ. ac Burm., quod Cuningham. edidit; et ſic Seruius legerat, cuius locum ſaniorem exhibet Iulius Sabinus. Sed male Seruius factum putat ex *Neres, Neris*, abiecta *ſ;* nam *i* contracta eſt ſyllaba *ei*, vti Achilli, Vlyſſi. Illud autem bene obſeruatum, veteres *eus* extuliſſe *es*, Nereus, Neres, vt Achilleus, Achilles, Vlyſſeus, Vlyſſes. 384 *Tritonia* Parrhaſ. 385 *quo coeant* pr. Moret. pro *quos*, vt Heinſ. ſuſpicatur. In Zulich. ſuperſcriptum *quam;* et Schol. Horat. apud Burm. *qua.* 386 *acuunt* Oudart. et ſec. Moret. *poſtis* Franc. *exitium* quart. Moret. 388 *mollis* pr. Moret. 389 *ſolidam* ſec. Rottend. cum Goth. pr. *famam* alter. *notasque* pr. Hamb. et Lutat. ad Stat. I Achill. 308. *medullis* pr. Voſſ. et Leid. a m. pr. Recte Burm. hoc ſerioris aeui eſſe pronuntiat.

numen; ſed: *et rogo numen tuum mihi ſanctum arma;* h. te, ſed blandiore oratione effert, te, mihi ſemper venerandum, *αἰδοῖον.* 383. 384. Vt Thetis Achilli, ſic Aurora Memnoni arma petierat apud poetas Cyclicos, inter quos Arctini Mileſii Αἰθιοπὶς fuit. vid. ſupr. Excurſ. XIX ad lib. I. Sic Quinti Paralip. II, 454, vbi congreſſi Achilles et Memnon: τύπτον δ' ἀλλήλων — Ἀσπίδας, ἃς Ἥφαιστος ὑπ' ἀμβροσίῃ κάμε τέχνῃ.

387. *niueis lacertis;* quippe dea λευκώλενος. Ornatius autem extulit Homericum ἀγκὰς ἔμαρπτε Iliad. Ξ, 346, et mox vſſ. 388—392 verſus Homericos ibid. 294.

Intrauit calor, et labefacta per ossa cucurrit:
Non secus atque olim, tonitru quum rupta coruſco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Senſit laeta dolis et formae conſcia coniunx.
Tum pater aeterno fatur deuinctus amore:

390 *calefacta* plerique Pier. et Heinſ., etiam Romanus; ſed *labefacta* tuetur Medic. cum aliis, et Seruio, haud dubie exquiſitius. Proprie *mens* amore, cui reſtiterat, vel alio affectu impulſa, victa, dicitur *labaſcere* vel *labefieri*; nunc translatum ad oſſa. Sed et *ignis labefacit*, quando incendia ruinas dant. v. Not. 391 *Haud ſecus* Medic. *rapta* tres Burm. 392 *limite* nusquam legitur: in quod coniectura incidere poſſis. 394 *deuictus* ante Heinſ. in vulgg., quod deterius hic et alibi habendum.

295. 296. 390. *labefacta per oſſa*, in quibus medulla liquefacta, ſoluta, conſumta eſt. Lucretiana dictio. Proprie mens amore, cui aliquantum reſtiterat, impulſa, percuſſa, victa, *labefieri* dicitur. Sup. IV, 395 *magnoque animum labefactus amore*. Iam, cum labefacta ſoluantur, ruant, cadant: cf. Lucret. III, 599. 600. 601. I, 529. 530, voc. ſynonymum habitum pro ſolutus, diffluens. Itaque etiam *igni* quae diſſoluuntur et liquefcunt, *labefactari* dicuntur Lucretio IV, 701. I, 493. 391. 392. Praeclare flammam amoris penetrantem medullas oſſium comparat cum fulgure vel fulgetro inter atras nubes errante, tractu ac ſulco tenui, quem *rimam igneam ruptam* (proprie nubes rumpitur, ſed ſic ſaepe poetae) dixit: ea *percurrit nimbos*, nubes denſas et atras, *lumine coruſco*.

393. *laeta dolis*. Eſt ſane δολοφρονέουσα Iliad. ξ, 329, ſed ornate, laeta ſucceſſu doli et fraudis ſuae. Sic IV, 128 *riſitque dolis Cytherea repertis*. Sic et *formae conſcia*, ſentiens, quam vim forma ad mariti animum nunc habeat. 394. *aeterno amore*; potentius verbum quam, antiquo, priſtino. Praeiuit Lucret. I, 35 *aeterno devinctus volnere amoris*.

Quid cauſſas petis ex alto? fiducia ceſſit
Quo tibi, diua, mei? Similis ſi cura fuiſſet:
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuiſſet;
Nec Pater omnipotens Troiam, nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum ſupereſſe per annos.

395 *f. ſenſit* Goth. tert., praue. 396 *Quid tibi* codd. Pier. Parrhaſ. *Quod t.* Rom. *Quae tibi* Medic. a m. pr., quod Heinſius diſtinctione adiuuat. *fiducia ceſſit? Quae tibi, diua, mei ſimilis ſi cura fuiſſet* Rottend. ſec. *Quo tibi, vita,* ſolito inter amantes blandimento, inquit Burm., quod alienum a grauitate epica. *ſi cura ſubiiſſet* coni. Heinſ., ne bis in eandem vocem deſinat verſus. Atqui hoc ſtudio adeo feciſſe dicam poetam, hic et alibi, vt ſententia vtraque tanto manifeſtiorem ex reciprocatione haberet vim ac veritatem (ἐνάργειαν). Alias nec ſup. II, 292 ſimili ſibilo extuliſſet: *Si Pergama dextra Defendi poſſent, etiam hac defenſa fuiſſent.* Heinſius porro ſimili de cauſſa delere malebat verſum ſequentem 397 *Tum quoque;* qui a Mentel. ſec. aberat a pr. m., et quem ſaluo ſenſu abeſſe poſſe putabat; quod mihi ſecus videtur; nam ſine eo ſibi non conſtat ſententia: quam non aſſequor qualem ſibi finxerint viri docti. Agnoſcunt verſum Rufinianus et Priſcianus, Burmanno laudati. Eleuat quoque Heinſii ſuſpicionem Cuninghamus. 397 v. ad praeced. *Tunc* Doruill. et Goth. tert. *Teucros nobis* Franc. 398 *omnipudens* Cod. Rutgerſ. nunc Leid. 399 *decimq.* duo Burm.

395. Quid tam longe (Nonius: ex vetuſto et antiquo) repetis argumenta, quibus me moueas. Aiunt Attium in Armorum iudicio ante oculos fuiſſe: *Cur caetera tam ex alto appetiſſis diſſidia, Agamemnon?* 396. 397. *Similis ſi cura fuiſſet,* ſi tale quid tibi cordi fuiſſet; ſi voluiſſes: etiam tum fieri potuiſſet, vt Teucris, h. Aeneae vel Paridi, arma pararem. 398. 399. Scilicet fata immutari non poſſunt, differri poſſunt: ſupra VII, 313 *Non dabitur regnis, eſto, prohibere Latinis, Atque* immota manet fatis *Lauinia coniunx; At* trahere atque moras *tantis* licet addere *rebus.* conf. Seru., qui notionem hanc ab Etruſcis repetit: nimis docte, cum in Ho-

Et nunc, si bellare paras, atque haec tibi mens
esi, 400
Quidquid in arte mea possum promittere curae,
Quod fieri ferro liquidoue potest electro,
Quantum ignes animaeque valent; absiste precando
Viribus indubitare tuis. Ea verba locutus
Optatos dedit amplexus, placidumque petiuit 405

400 *si bella reparas* Goth. sec. 401 *possunt p. curae* Medic. a m. pr. et multi Heins. ac Burm. cum Goth. sec. *prosunt* pr. Moret. *possim* Bigot. *committere* sec. Rottend. 402 *potest*: sic Rom. Medic. cum melioribus scriptis et edd. inde ab Aldd. Alii, vt et Erf., cum edd. nonnullis *potestur*, vid. ap. Ge. Fabric. et Pier., quod satis apparet sciolum aliquem ex Lucretio vel Ennio intulisse, vt dactylum in quinta sede haberet. Est tamen ἥλεκτρον. Deprauatius Goth. tert. *praestatur*. 403 *ignesque* malebat Cuningham. *obsiste* Exc. Burm. *assiste* Goth. sec. 404 *meis* Zulich. a m. pr. et Doruill. 405 *oblatos* Bigot. et Goth. tert. *notumque p.* Nonius in *petere*.

mericis obuia sit. 400. 403. *Quicquid curae*, operae, *possum promittere — animaeque valent*: scil. promitto. Latet hoc ipsum in verbis: *absiste precando Viribus indubitare tuis*, vt hoc pro apodosi sit. Aliter extulit Homericum: Εἰ δύναμαί γε, καὶ εἰ τετελεσμένον ἐστί, h. *aliquid quod omnino perfici potest*. 402. *electrum* Homeri exemplo Odyss. δ, 72 docte posuit, tamquam exquisitius metalli genus, certa portione argenti auro admixta, quod etiam arte fingi potest. vid. Plin. XXXIII, 4 s. 23. conf. Seru. 403. *ignes animaeque*, „spiritus, quo fabriles inflari folles solent.“ Seru. Spiramentum explicat Macrob. I So. Sc. c. 14 m. 405. 406. *fundi*, κεχύσθαι, fusi esse, dicuntur qui procubuere, iacent, recubant: v. c. *fusi per herbam*. Igitur *infusus gremio coniugis* Vulcanus *petiuit soporem*. Tum iunge, *petiuit soporem per membra*, qui per membra diditur. Sic et sup. v. 30 *seram dedit per membra quietem*. Honestas orationis notabilis et a multis pas-

Coniugis infusus gremio per membra soporem.
Inde, vbi prima quies medio iam noctis abactae
Curriculo expulerat somnum; quum femina primum,

406 *in gremio fusus* Zulich. *infusum* aliquot Pier., Iulius Sabinus et Probus cum Carminio (de quo v. Fabric. bibl. med. et inf. Lat. h. v.) apud Seru. ex emendatione parum docta. Burmannus coni. *placidusque petiuit Coniugis infusum gremio per membra soporem;* quod nemini facile probabitur: sed Vulcanus *infusus gremio coniugis petiuit placidum soporem per membra.* cf. Not. ad h. v. et ad VIII, 30. Burm. laudat Misc. Obss. Crit. Vol. I, p. 98. 407 *abacto* Montalb. 408 *explerant* ed. Masuic. *quum femina* reuocauit Heins. auctoribus optimis libris inprimis Pierianis; alii *ceu femina.* Ita infertur comparatio: *ceu femina — cinerem et sopitos suscitat ignes* etc.: *Haud secus, nec segnior* Vulcanus surgit. Sed *primum* v. 408 ita otiosum est, vt statim de lectionis veritate dubites. Verum vti in Heinsianis et Burmanniana sim notata. cf. Gell. IX, 10, sed ea saeculo Virgiliano debetur. Si talia miranda sunt, mirer potius verecundiam Homericorum versuum, qui pro illa aetate castissimi et iidem elegantissimi sunt l. c. Iliad. ξ, 346 sqq.

407 sqq. Praeclare ornata et ad miserationem composita comparatio, cuius prima quasi stamina agnoscere licet partim apud Homerum Iliad. μ, 433 — 435 partim apud Apollon. IV, 1062 — 1066 (nam locum lib. III, 291 sqq. perperam alii huc aduocant). Si tamen quaeras, quam opportune illa h. l. intexta sit, fateor mihi aquam haerere. A media nocte expergefactus cubile relinquit Vulcanus: non tanti erat res, vt miris modis ornaretur. Apud Apollonium curae Medeae de salute sua sollicitae comparationem melius admittebant. *Vbi prima quies — expulerat somnum,* „vbi, a prima quiete euigilans circa mediam noctem, sensit omnem iterum obdormiscendi cupiditatem expulsam: alacriter e stratis ad opus surgit.“ *Burm.* Surgit Vulcanus eo tempore, quo lanifica pauper ad lucubrandum surgit. 408. 409. est Homeri γυνὴ χερνῆτις. *tenuique Minerua* h. lanificio tenuem

Cui tolerare colo vitam tenuique Minerua
Inpoſitum, cinerem et ſopitos ſuſcitat ignis,
Noctem addens operi; famulasque ad lumina longo
Exercet penſo; caſtum vt ſeruare cubile
Coniugis, et poſſit paruos educere natos:
Haud ſecus ignipotens nec tempore ſegnior illo
Mollibus e ſtratis opera ad fabrilia ſurgit.
Inſula Sicanium iuxta latus Aeoliamque

interpungitur, plene ſcilicet ac perfecte poſt *natos* v. 413, equidem omnino ſententiarum nexum nullus aſſequor, ne grammaticum quidem. Itaque mediam ſtigmen poſui ad finem verſus 413, vt comparatio nulla ſit, ſed temporis mera deſignatio: *Inde, vbi prima quies — expulerat ſomnum, cum primum femina cinerem et ſopitos ſuſcitat ignes, — illo tempore ignipotens, haud ſecus, nec ſegnior, ſurgit.* 409 *calathisque Mineruae* nonnulli Pier. et Montalb. Rottend. pr. et Leid. cum Goth. ſec. ex VII, 805. 410 Recte poſt *Impoſitum* diſtinctum a Burmanno ſecundum Seruium. Habet iſta vox notionem neceſſitatis, quae vrget. Vulgo *impoſitum cinerem* iungitur, ſic, *Cui tolerare* (ſc. eſt, non, vt alii apud Seru., mos eſt, placet) dure dictum, pro, quae tolerat. 412 *Exercens* Medic. 413 *vt p.* duo Burm. cum Schol. Cruqu. Horatii. *paruos poſſit* aliquot apud eundem. 416 *Sicanum* Parrhaſ. et Doruill. Non male, niſi haberemus exempla ſup. III, 692. I, 557.

victum praebente, vt bene Seru. Mineruam de oleo, quia ad lucernam nebat, Cerda accipiebat, nimis argute et exiliter. Neque hoc admittam vt *Minerua tenuis* ſit *tenuis tela, tenue textum:* quod per ſe bene dictum eſſet. 412. 413. h. vt habeat, vnde viuat honeſte ipſa et nati, ſeruata maritalis tori pudicitia, vt bene Cerda. 413. ex Homerico l. c. ἵνα πᾶσιν ἀεικέα μισθὸν ἄρηται. 414. illo tempore, haud ſecus nec ſegnior, ſurgit Vulcanus.

416 ſeqq. In his ad maiorem elegantiam refinxit Homerica, in quibus Vulcani officina in Olympo collocatur. Iliad. σ, 369. Cum poetae veteres loca et inſulas Vulcano aſſignaſſent, quae

Erigitur Liparen, fumantibus ardua ſaxis:
Quam ſubter ſpecus et Cyclopum exeſa caminis
Antra Aetnaea tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, ſtriduntque cauernis

417 *Liparem* aliquot Burm. *Lipare* Rom. atque ita reponere voluit Marklandus ap. Burm. ad Propert. p. 612. quia apud alios Lipare officinam Vulcani habet. At v. Notam. 418 *ſubtus* aliquot Pier. *exoſa* Goth. ſec. 419 *Aetria. Ethenea*, deprauatt. *ſonant* multi ap. Burm. cum Goth. tert. *validisque* tres recentiores ibidem. *ictis* Gud. a m. pr. 420 *gemitus* Medic. cum aliis Heinſ. *gemitus referunt* Leid. *r. ſonitum* Parrhaſ. *ſtridentq.* Medic. *(tridentq.* ſuperpicto *u)* et Vratisl. cum Goth. ſec.

ſubterraneis ignibus notabiles erant (exemplum in ipſa Lemno apud Homerum eſt), licuit poetae vnam ex Aeoliis vel Vulcaniis ponere, *Hieram*, quam Vulcaniam, Ἡφαιστιάδα, appellat communi nomine, tamquam ſingulari, Liparae proximam, monte mirabilem, qui nocturnas flammas euomit. v. Auctor Aetnae 436 ſeq. et primo loco Scymnus Chius 256 ſqq. Egere de ea multi poſt Cluuerium. cf. Dorvill. Sicula p. 20. 21 et iam ante ad Chariton. pag. 688. Noſtra aetate inter alios rerum naturae auctores Dolomieu. Liparam, quae et ipſa olim arſit (v. laudd. ad Auct. Mirab. Aud. c. 35; add. c. 37), Callimachus Vulcani officinam ediderat Dian. 46 ſqq., vbi v. Spanhem., et ſiue hanc ſiue Hieram ſub νήσου πλαγκτῆς nomine Apollon. III, 42, vbi v. Schol. Vulcanum *Liparaeum* Theocr. Id. II, 133. 134 dixit: hic quidem omnium opportuniſſime, tamquam Siculus. conf. Excurſ. I ad Aen. I, 51. 52. *erigitur*, vt alias, *ſurgit*, ſita eſt, ſed cum notatione montium. 419. *antra Aetnaea* ſimpl. pro igniuomis, quis dubitet, a ſimilitudine. Aliena ſunt, quae de antris ſubterraneis inter Aetnam et Hieram continuatis ſuſpicati ſunt nonnulli. Eiusmodi acumen poeta non ſequitur. 420. 421. Ornati verſus. Comparari poteſt Callim. Del. 144; adde Dian. 55. *referunt gemitum;* repetunt ſonum h. reſonant per antra ictus in-

Stricturae Chalybum, et fornacibus ignis anhelat;
Volcani domus, et Volcania nomine tellus.
Hoc tunc ignipotens coelo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro,
Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus iam parte polita
Fulmen erat; toto genitor quae plurima coelo
Deiicit in terras; pars inperfecta manebat.

421 *Structurae, stricta re,* stupor librariorum Goth. sec. et tert. 423 *Hoc:* recte, antique pro *huc,* quod nonnulli habent. Vid. Pier. Heins. Burm. post Seruium; nam in talibus liberalitas virorum doctorum magna plerumque esse solet. 424 *vasti* pr. Hamb. 425 *Pyragmon, Pygramon,* aberratt. 428 *deicit, deiecit,* passim codd. Pier. et Franc. *manebant* alter Mentel. a m. pr.

cudum. *stricturae,* quas ornate *Chalybum* dixit (v. Ge. I, 58), non sunt h. l. στυγῆρες, nec quae proprie metalla dicuntur, vnde aes excoquitur, sed μύδροι, massae ferri, quae procuduntur. inf. 450 *stridentia aera* quae alii *tingunt lacu,* et 453 *massa.* Cf. Schneider ad histor. metallor. p. 32. Mox v. 423 *hoc* antique pro *huc.*

424. 425. Libera quidem erat nominum informatio, sed Bronten et Steropen etiam alii habent: Hesiod. Theogon. 140. Callimach. in Dian. 68. Plin. H. N. XXXV, 10 s. 36, 17. Statium et Claudianum v. apud Cerdam. Pyracmonem aliunde accepit. Argen memorat Apollod. I, 1. 2, vbi v. in Not. p. 9 de diuerso hoc Cyclopum genere ab antiquis Cyclopibus, qui in theogoniis memorantur. 426 — 428. Nota inuersam orationem pro, parte iam polita, parte adhuc imperfecta. *fulmen — quae plurima,* quod genus fulminum, ex quo genere plurima: frequens poetarum figura: κῆτος — οἵ τε πολλὰ τρέφει πλυτὸς Ἀμφιτρίτη Odyss. ε, 422 et saepe alibi. conf. Guell. Variant haec orationem et delectant.

Tris imbris torti radios, tris nubis aquosae
Addiderant, rutili tris ignis, et alitis austri. 430
Fulgores nunc horrificos, sonitumque, metumque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras.
Parte alia Marti currumque rotasque volucris

429 *torto* Ven. *rapidos* Goth. tert. 430 *addiderat* Medic. Parrhas. Goth. pr., perperam; nam de Cyclopum, non Vulcani, opere agitur. 431 *horrificos* post Pier. optimorum librorum auctoritate praetulit Heinsius. Vulgg. edd. *terrificos*. Erf. *horrisonos sonitusque*.

429—432. Ingeniose in fulminis materiam vertit ea, ex quorum conflictu fulmen nascitur, grandinem *(imber tortus* h. constrictus et coactus in grandinem: inf. IX, 671 *quam multa* grandine *nimbi In vada praecipitant, cum Iupiter horridus austris* Torquet aquosam hiemem, *et caelo caua nubila rumpit)*, nubem, ignem et ventum. Haec fere ex Servianis amplector; cetera sunt respuenda. Facit autem fulmen duodecim cuspidum, *radiorum*, ἀκτίνων, trinis in quaterna latera, qualia fulmina passim in monumentis, inprimis in numis, et in anaglyphis, in quibus scuta exhibentur fulminibus insignita, occurrunt, etsi alibi alia forma tribuitur. Habuit autem poeta ante oculos et argutius expoliuit locum Apollonii Argon. I, 730 — 734, vbi vna cuspis adhuc imperfecta, quam Cyclopes procudunt, μαλερο῀ο πυρὸς ζείουσαν ἀϋτμήν. Vt vero, cum Vulcani officina memorata esset, opera inchoata et affecta subiiceret, poetae ingenio in promtu esse debuit; faciunt enim haec miratione et delectant ornatu; etsi et in hoc praeiuit Homer. Iliad. σ, 373 sqq. cf. Callim. in Dian. 49. 50, vbi satis ieiune equorum Neptuniorum aquarium procudi narratur: quanto grandius et sublimius est phantasma, quod fulminis materiae Cyclopes admiscent fulgores, sonitum, metum, et flammam sequacem!

433. 434. Marti currus bellicus proprie tribuitur, ex

Instabant; quibus ille viros, quibus excitat vrbis;
Aegidaque horriferam, turbatae Palladis arma,
Certatim squamis serpentum auroque polibant,
Connexosque anguis, ipsamque in pectore diuae
Gorgona, defecto vertentem lumina collo.

434 *Instaurant* Parrhas., de quo cogitandum esse censet Burm. Vitium esse non dubito. *Instare* (h. vrgere opus) exquisite cum quarto casu iunctum, vt *instare viam. excitet* Ven. 435 *horrificam* edd., quas Pierius inspexerat, et tres Burmann. cum Goth. pr. 436 *poleibant* antique codd. Pier. 438 *deiecto* Rom. *defecto* Leid. vnus. *de* deerat Gud. a m. pr., vnde Heins. supplebat: *tum secto; disecto* et *disiecto* in codd. Pier. lectum; alterum quoque in Goth. tert. et Erf.

heroici saeculi more bellandi; quod ait: *quibus ille viros, quibus excitat vrbes*, h. quo curru si inuectus fuerit, ad bellum concitat, ex istis illustrantur sup. VIII, 3 *Vt belli signum — Vtque acres concussit equos* etc. *Instabant currum*, vt festinare aliquam rem. cf. Heins. ad XII, 748. proprie, instamus operi faciendo, properando.

435—438. Etiam hic dubitari potest (conf. ad 354), sitne aegis de thorace an de clipeo accipienda, hactenus, vt de thorace non nisi v. 437 agatur, *ipsamque in pectore diuae Gorgona*. Expeditior tamen videtur ratio, si totum locum de thorace interpreteris, cuius extremae orae anguibus connexis et inter se implicitis sunt cinctae, in medio Gorgone posita: cuius generis exempla passim occurrunt; vt vnum commemorem, quod adire forte in promtu est, v. Spenc. Polymet. t. IV, 4. *turbatae*, iratae, vt saepe; conf. Silii locum a Cerda laudatum (lib. IX, 463). *vertentem lumina*, de oculis toruis, obliquis, ex ira et furore; aut potius de inuersis, deiectis et occlusis, quippe in capite reciso. βλοσυρῶ Μεδούσης κάρη σμερδαλέον dixit Quintus Cal. in loco, a Cerda laudato, qui omnino de aegide comparandus lib. XIV, 451—457.

Tollite cuncta, inquit, coeptosque auferte labores,
Aetnaei Cyclopes, et huc aduertite mentem: 440
Arma acri facienda viro. Nunc viribus vsus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra.
Praecipitate moras. Nec plura effatus: et illi
Ocius incubuere omnes, pariterque laborem
Sortiti: fluit aes riuis, aurique metallum; 445
Volnificusque chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clipeum informant, vnum omnia contra
Tela Latinorum; septenosque orbibus orbis
Impediunt. Alii ventosis follibus auras

439 *certosq.* aliquot Pier.; improbat Heinsius et Burm. *i forte* sec. Hamb. 440 *Aetnael.* Αἰτναῖοι. *ad huc* Reg. *atque huc* Parrhas. *auertite* Gud. cum binis Goth. Talia enotare tantum non flagitium est hominis bonis horis abutentis; sed cum semel in hoc pistrinum nos impegerimus, obdurandus est animus, vt cum fide exsequamur id, quod ab initio, parum forte considerate, receperamus: ne vlla varietas e libris scriptis notata nostris notationibus excidat. 441 *faciunda* Heins. malit ex Nonio. 442 *opus est nunc a. m.* Seneca Epist. 95. Bene autem Heins. interpunxit post *magistra.* 443 *moram* aliquot Pier. *et illi* Burmannus nouauit secundum partem codicum. Vulgo lectum *at illi;* quod nondum displicet. 448 *que* abest quatuor Burm. 449 *Alii — accipiunt;* verba exciderant Goth. tert. 449—453 Versus ex Ge. IV, 171—175.

440. *Aetnaei* Cyclopes cf. ad v. 419. In seqq. festinationis felix notatio breuitate et celeritate verborum obseruetur: *Nunc opus viribus.* 445. 446. cf. Iliad. σ, 474. 448. *septenos orbibus orbis impediunt* ornate pro, faciunt; sed quinam illi orbes sunt? non circuli, puto, in clipei superficie ducti, sed laminae aereae aliae super aliam impactae, vt septemplex esset clipeus, quales Homericae πτύχες sunt l. c. 481. conf. Iliad. υ, 269 sq., et η, 247. 449—453. Eosdem versus in Georgicis vidi-

Adcipiunt reduntque: alii ſtridentia tinguunt
Aera lacu. Gemit inpoſitis incudibus antrum,
Illi inter ſeſe multa vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe maſſam.
Haec pater Aeoliis properat dum Lemnius oris:
Euandrum ex humili tecto lux ſuſcitat alma,
Et matutini volucrum ſub culmine cantus.

451 *Aetna* pro diu. lect. ad *antrum* Moret. tert. ex Ge. IV, 173. 452 *magna vi* Erf. *tendunt* Rottend. ſec. a m. ſec. 453 *Innumerant* Rom. *forfice* aliquot Pier., inter quos Rom., ſed vid. Seru. et Heinſ. *ferrum* Cariſius et alter Hamb. 455 Wakefield Silua crit. Vol. V. p. 77. tribus, vt opinatur, mendis ſublatis legit: *Euandrum ex humili* lecto *lux ſuſcitat* alba, *Et* matutinos *volucrum ſub culmine cantus.* Docte haec variata eſſe, lubenter concedam. At quae librorum auctoritate accepimus, praeclara et epica ſunt. 456 *ſub culmina* Mentel. pr. alter Menag. et Leid., doctius; niſi idem librarii lapſus eſſe ſoleret. *ſub tegmine* pr. Menag. *matutinus — cantus* ap. Macrob. V, 8.

mus IV, 171 ſeqq. V. 450. 451, vt inf. XII, 91 *enſem, quem Dauno ignipotens deus ipſe parenti Fecerat et Stygia candentem tinxerat vnda*, vt indureſceret ferrum. Ad 452. 453. Praeivit Callimach. in Dian. 59. 60. 61. μεγάλην δὲ βοὴν ἐπὶ Κύρνος ἄὔτει, Εὖθ' οἵ γε ῥωστῆρας ἀειράμενοι ὑπὲρ ὤμων Ἢ χαλκὸν ζείοντα καμινόθεν ἠὲ σίδηρον Ἀμβολαδὶς τετύποντες, ἐπὶ μέγα μοχθήσειαν.

454 ſeq. Artem poetae in variato rerum et orationis charactere obſerua. Lenis et ſimplex candidaque nunc fluit oratio, eoque tanto magis grata, quod ſtrepitibus et tumultibus ſuccedit. Comparent, quibus volupe eſt, in ſeqq. heroicum amictum cognoſcere, Iliad. β, 42. Od. β, pr. δ, 307. ο, 60. υ, 124, et ad v. 459 cf. Odyſſ. κ, 261. ξ, 528. Etiam hoc ex heroica aetate, quod Euandrum v. 461. 462 duo canes comitantur: v. Odyſſ. β, 11. ρ, 62. 456. *ſub culmine*, in domo vel caſa Euandri. Miror, hoc aut otioſe adiectum, aut vt *aues* vel *cantus ſub culmine* ſint; ſuntne igitur

Conſurgit ſenior, tunicaque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis;
Tum lateri atque humeris Tegeaeum ſubligat enſem,
Demiſſa ab laeua pantherae terga retorquens.
Nec non et gemini cuſtodes limine ab alto

457 *Conſeſtim ſurgit, tunicaque induitur* Parrhaſ. *induitur* quoque Franc. cum binis Goth. 459 *Tegeon, Tegeum, Thegeum* librariorum errores. vid. ad V, 299. 460 *a leuo* aliquot Pier. *dimiſſa a leua* Doruill. cum binis Goth. et Erf. 461 *limine ab alto* Marklandus ad Stat. I, 1, 46 reprehendit tamquam abſurdum, cum paullo ante dixiſſet poeta, *humili tecto*. Defendit Burmannus mira interpretatione, *altum* eſſe limen domus in monte poſitae. Nec hoc procedit, vt *limen* proprie accipias et paullo altiore gradu ſurgere dicas. Aut amplectendam itaque prorſus Marklandi emendationem: *limine ab arto*, aut dicendum cenſeo, poetam epitheton paullo otioſius et ad communem liminum naturam effinxiſſe. Ouwens *Noct. Hag.* III, 26, p. 627 aliam viam ingreditur, vt poetam dicat dignitatem adiicere voluiſſe aedibus: vt ſane facit alias: modo

galli gallinacei intelligendi? Nam hirundines non facile e ſomno excitant dormientes, nec ad hunc vſum a poetis aduocantur. Sed ex poetae meliore iudicio auium omnino cantus cum ſolis ortu renouati intelligendi ſunt: nec accipienda verba, quaſi cantus auium eius ſomnum interpellauerit; ſed ſub lucis ortum et volucrum cantum eum euigilaſſe. 458. *Tyrrhena vincula:* ornatus cauſſa Tuſcum calceamentum poſuit. Seruius: „dicit crepidas, quas primo habuere Senatores, poſt equites Romani; nunc milites.“ conf. Cerda. ad lunulam ſenatoriam reuocat *vincula Tyrrhena* Viſcont. ad Herodis Inſcript. p. 81. Nimis ſubtiliter *ſandalia Tyrrhenica* e Polluc. Onomaſt. VII, ſ. 92. 93 aliquis huc reuocet. Simili ornamento patrium, Arcadicum, ſeu *Tegeaeum enſem* dedit; etſi nullum hoc inſignius enſis genus fuit. 460. ornatus verſus: amictus pelle. 461. *limine ab alto*, perpetuo et proprio liminis epitheto; nam alioqui alie-

Praecedunt greſſumque canes comitantur herilem.
Hoſpitis Aeneae ſedem et ſecreta petebat,
Sermonum memor et promiſſi muneris, heros.
Nec minus Aeneas ſe matutinus agebat.
Filius huic Pallas, illi comes ibat Achates.
Congreſſi iungunt dextras, mediisque reſidunt
Aedibus, et licito tandem ſermone fruuntur.
Rex prior haec:

non ab humili tecto v. 455 nunc progreſſus eſſet. Apud Macrob. V, 8 in libris: *limine in ipſo* habetur. 462 *praecedunt* Rom. Medic. Colot. Vrſini, et alii libri praeſtantiores: et ſic veteres edd., donec mutatum in Ald. tertia, et hinc in Steph. et al. in *procedunt*, quod Heinſ. in parte codd. repertum praetulit, cauſa quidem parum commode interpoſita: ſi comitarentur, non potuiſſe canes praecedere. Dictum hoc recte improbat Burmannus; improbam tamen lectionem non mutauit; id quod nunc fecimus cum Brunckio. *greſſumque viri* Zulich. a m. ſec., interpolatrice peſſima. *greſſusque — heriles* Goth. ſec. 463 *ſecura* Sprot. a m. pr. 466 *olli* ante Heinſ. 467 *reſiſtunt* Parrhaſ. 468 *Latio* Oudart. *placido* Doruill. a m. ſec., vnde *placito* Io. Schrader. coni., ſed *licito* eſt, cuius diu deſiderati tandem facultas exoptata contingebat. *ſeruntur* Goth. ſec. Ven. a m. pr. 469 *haec* abeſt alt. Hamb. *haec ait* duo Burm.

num erat a caſa exigua altum limen. 463. *ſecretum:* partem aedium interiorem, ad quam Aeneam veſperi deduxerat. Georg. IV, 403 *In ſecreta ſenis ducam.* Tum *promiſſi muneris* vide v. 170. 171. 465. vt ὄρθριος ἥκων. ἑσπέριος ἦλθεν; et alia. Exempla coll. Cerda. Guell. *agere ſe*, mouere ſe, agi, ferri, pro incedere. Inſ. IX, 696 *is enim ſe primus agebat.* Ita mox 477 *huc te affers.* 467. *mediis aedibus:* etiam hoc ad formam aedium heroici aeui, vt ex Homeri lectione conſtare poteſt; in quibus e veſtibulo introeuntem δόμος (pro eo Romanorum *atrium* fuit) excipiebat per totas aedes patens (fere qualis eſt noſtrorum hominum *Dehle*); in intimo receſſu focus cum Penatibus: v. inf. 541.

Maxume Teucrorum ductor, quo ſoſpite numquam
Res equidem Troiae victas aut regna fatebor;
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguae vires. Hinc Tuſco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit, et murum circumſonat armis.
Sed tibi ego ingentis populos opulentaque regnis
Iungere caſtra paro: quam fors inopina ſalutem
Oſtentat. Fatis huc te poſcentibus adfers.

471 *v. an bella f.* Goth. ſec. 472 *Nobis auxilium belli* pr. Mentel. qu. Moret. et Goth. ſec., Heinſius non ſpernendum ait. 474 *bellum c. a.* Parrhaſ. *circumtonat* Medic. a m. ſec., ex emendatione praeclara, quam a poetae manu profectam velim; grauius enim vocabulum hoc eſt, et poetarum vſu frequentatum: ſic inf. IX, 709. XII, 700. nec miror Wakefield refinxiſſe vulgatam: quam tamen omnes codices tuentur. Pro *armis* Rom. *arans*, alii ap. Pier. *arcens*, aliquot *Arruns*; mira et felix deprauatio! 477 *adfert* variabant codd. Seruii aetate, vt ad *fortem* referretur. *adfer* aliquot Heinſ. *offers* Ven. et Goth. tert. Iam ſup. *hanc — vrbem adferimur* VII, 217.

472. *pro nomine tanto:* non video, quam commoda ſententia ſit, ſi Troianorum vel Aeneae nomen et genus vel fama intelligatur. Satius eſt, ad Euandri et Arcadum nomen referre, pro fama, quae te ad nos adduxit; et hoc, probatum quoque viro docto, Meierotto, nunc praefero, tamquam ſimpliciſſimum. Antea ſic accipiebam, vt ad bellum ipſum referrem, effetque adeo *nomen belli tantum* vel fama de belli magnitudine, vel ipſa belli magnitudo. *Nomen* pro ipſa re, ſatis frequens. 475. *opulentaque regnis caſtra:* volebat dicere, *opulenta regna* (pro regno opulento), appoſite ad *ingentes populos*. Promtum erat hoc mutare in *caſtra opulentorum regnorum* vel *opulentis regnis;* hinc exquiſitior forma ſuborta: *caſtra opulenta regnis*, vt alia

Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
Vrbis Agyllinae sedes: vbi Lydia quondam
Gens, bello praeclara, iugis insedit Etruscis. 480
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo
Imperio et saeuis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas caedes! quid facta tyranni
Effera! dI capiti ipsius generique reseruent!
Mortua quin etiam iungebat corpora viuis, 485
Conponens manibusque manus, atque oribus ora,
(Tormenti genus) et sanie taboque fluentis

478 *colitur* aliquot Burm., quem vide. *in saxo coluit* Goth. sec. 479 *Agellinae*, *Agelinae*, *Aquilinae* aberratt. ap. Burm. 480 *luctis inf.* Rom. 481 *multis annis* Bigot. ex Goth. tert. 484 *gentique* Oudart. pro diu. lect. *reseruant* Sprot. 487 *fluenti* aliquot Heins., vnus *fluente*, quae vulgarior oratio foret. conf. IX, 472.

similia passim. Nisi hoc ex vsu poetarum teneremus, liceret statuere: *paro iungere castra regnis*, h. e. tibi, imperio tuo. Opes veterum Etruscorum satis notae. vid. Liu. V, 33.

478. Agylla s. Caere, prima opibus inter Etruscos floruit, et propter maritima commercia omnium prima Graecis innotuit. De ceteris v. Excurs. III ad h. libr. *saxo vetusto*; antiquo opere, vt bene Seru. cf. III, 84. 479. 480. *vbi* proxime ad Agyllam seu Caere spectat, nec tamen reliquam Etruriam excludit. A Lydis Etrusci seu Tyrrheni ducuntur poetae, ex vulgari veterum opinione; falsa tamen et ex nominis similitudine ducta. cf. in Excurs. III ad h. libr. dicta. 482. Mezentii, regis Caeretanorum, *superbo*, crudeli, imperio infame nomen ex antiquis historiis poeta adsciuit. 484. *dI capiti*. vti

Conplexu in miſero longa ſic morte necabat.
At ſeſſi tandem ciues infanda furentem
Armati circumſiſtunt ipſumque domumque;
Obtruncant ſocios, ignem ad faſtigia iactant.
Ille inter caedes Rutulorum elabſus in agros
Confugere, et Turni defendier hoſpitis armis.
Ergo omnis furiis ſurrexit Etruria iuſtis;
Regem ad ſupplicium praeſenti Marte repoſcunt.
His ego te, Aenea, ductorem millibus addam.
Toto namque fremunt condenſae litore puppes;
Signaque ferre iubent; retinet longaeuus haruſpex

488 *in* aberat Franc. et Goth. tert. *necabant* duo Burm., vt *iungebant* alter Hamb. 489 *infanda ciuesque f.* Parrhaſ.; nec videbat interpolator, *infanda* eſſe pro infandum, infande. cf. ſup. I, 251. 490 *circumſidunt* Goth. tert. 491 *atque ignem ad* Parrhaſ. 492 *inter caedem* Rom. et omnes vetuſtiores Pier. et Heinſ., vt hactenus praeferendum ſit. 495 *manifeſto M.* Oudart. ex gloſſa. *praeſente* Rom. 497 *frement* Gud. *in littore* alter Hamb. 498 *ferre iuuat* Ven. *iubent* non tam ad *puppes* referendum, quam omnino ad Agyllaeos, quos declarauit in verbis *omnis Etruria — his millibus.*

II, 190. VI, 529. 530. 495. *praeſenti Marte*, bello non dilato, quippe hoc ipſo tempore in armis ſunt et quidem claſſem pararunt, qua in altum enecti littus Rutulorum petant bellumque inferant Turno, ni Mezentium ad ſupplicium dediderit.

498 ſeqq. Hoc de Etruſco aruſpice commentum, qui Caeretanis conatibus opportune intercedit, vt ad Aeneae aduentum res differatur, inter potiora Virgilii inventa referendum videtur. Extraneo autem duci exercitus committendus, vti Lauinia externo viro iungenda lib. VII, 96 ſqq. Eſſe hunc aruſpicem ipſum illum Tarchonem v. 506, notat Iulius

Fata canens: O Maeoniae delecta iuuentus,
Flos veterum virtusque virum, quos iustus in hostem
Fert dolor, et merita adcendit Mezentius ira;
Nulli fas Italo tantam subiungere gentem;
Externos optate duces. Tum Etrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita diuom.
Ipse oratores ad me regnique coronam
Cum sceptro misit, mandatque insignia Tarcho,

499 *facta* c. Gud. *Maconide* Goth. tert., forte pro *Maconidae*; et sic Seru. ad XI, 759. *dilecta* duo Burm. 500 *in armis* Leid. 502 *Fas Italo nulli* aliquot Pier. *summittere* ed. Ven. 503 *optare* alter Menag., at Seru. pro var. lect. *exspectate*, forte, *spectate*, eodem fere sensu, vt sit διακρίνειν adeoque ἐκκρίνειν et eligere vel iegere. conf. Burm. *resīdit* Moret. tert. 504 *Haec acies* Parrhas. *diuorum* sec. Rottend. 506 *Tarchon*, quod inde ab Aldo legitur, retinuit Heinsius ob codd. suorum consensum. Sunt tamen edd., in quibus *Tarcon* legitur, vt e Pierio intelligas; sicque Egnatius edidit, vt apud Strabonem scriptum lib. V, p. 336 Τάρκωνα; quo auctore etiam *Tarconem*, non *Tarcontem* flectendum esse apparet. Adde Eustath. ad Dionys. Perieg. 347. Tum Pier. ex antiquo codice *Tarcho* (quod et Goth. alter habet). At Brunck. restinxit *Tarco*, memor voc. *Almo* lib. VII, 532, et inf. 602 *Tarcho* seu, vt et hic scribit, *Tarco et Tyrrheni*. cf. Heins. et excitatum a Burmanno Drakenb. ad Silium Ital. VIII, 474. Equidem, cum diu deliberassem, *Tarcho* e Pieriano admittere malui; nam nomina

Sabinus: parum probabiliter. *O Maeoniae:* ex 479. 480. *flos veterum:* Ennianum hoc esse Seruius testatur: etsi nec omnino infrequens, ex ἄνθος, ἄνθος; *flos et virtus* h. l. robur populi, qui antiquam originem habet. 504. *Hoc campo* δεικτικῶς, etsi oculis prospici non poterant castra sub Caere locata. 505. *regni coronam;* nouum hoc, sed dictum, vt *regni insignia;* et subiectum hoc idem, tamquam genus, enumeratione partium (coronae et sceptri) facta. Coronam v. inf. lib. XII, 162. 163. 506. *mandatque insignia* simpl. mittit insignia regni: int. ex

Succedam caſtris, Tyrrhenaque regna capeſſam.
Sed mihi tarda gelu ſaeclisque effeta ſenectus
Inuidet imperium, ſeraeque ad fortia vires.
Natum exhortarer, ni mixtus matre Sabella
Hinc partem patriae traheret. Tu, cuius et annis
Et generi fata indulgent, quem numina poſcunt,
Ingredere, o Teucrum atque Italum fortiſſime ductor.
Hunc tibi praeterea, ſpes et ſolatia noſtri,

in *on* ita a Marone efferri ſatis conſtat. Vt vero *ch* in *c* mutarem paullo animoſius, a me non obtinui, quia etiam Lycophron 1248 Τάρχων τε καὶ Τυρσηνοί. Et occurrit Tarchon in lapidibus Etruſcis. Etſi ceteroqui bene teneo, ſequiorum ſaeculorum pronuntiationem vitioſam hanc fuiſſe, vt in multis nunc habeamus *ch* pro *c* et *k*: quid? quod ipſa vox *pulcher* hinc fluxit; Romanis erat *pulcer*, pronuntiatum *pulker*. Verum taedet, in his bono otio abuti. 508 *ferisq.* Parrhaſ. *effata iuuentis* corrupte Goth. ſec. 510 *Gnatum* Rom. 511 *Hic* Ven. Ed. Iunt. *patrem p.* Medic. *patriae partem* Doruill. *totius et annis* corrupte Goth. ſec. *in annis* tert. 512 *fatum indulget* lectum ante Heinſ., qui mutauit ex auctoritate Medicei, trium Moret. alt. Mentel. et alt. Hamb. poſt Mediceum Pierii. *fatum indulgent* Gud., ſc. *numina. fatis indulgent* Regius. *poſcant* Ven. 513 *et Teucrum* Zulich. 514 *Nunc* duo Burm. cum aliquot Pier.

Etruſcorum more, illa ſcilicet ipſa, quae memorauit; tacet reliqua, ſellam eburneam, tunicam palmatam, togam pictam. vide omnino Dionyſ. III, 61 pr. (p. 195). *Succedam*, eo conſilio, vt ſuccedam. 508. *faeclis effeta ſ.* ſimpl. pro annis; male Grammatici argutantur. 510. ni, mixtum genus habens per matrem Sabinam, partem patriae ſeu originis hinc, a Sabinis, adeoque ex Italia, duceret, etſi patre externo, Euandro, natus. 512. qui *genus*, ortum ex peregrina terra habes, cum idonea rebus gerendis aetate, et quem *numina*, vaticinium deſignat — 513. *Ingredere*, vt Georg. I, 42 *Ingredere et*

Pallanta adiungam: ſub te tolerare magiſtro
Militiam et graue Martis opus, tua cernere facta
Adſueſcat, primis et te miretur ab annis.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta, dabo; totidemque ſuo tibi nomine Pallas.
Vix ea fatus erat; deſixique ora tenebant

516 *et* abeſt pr. Rottend. *onus* pr. Hamb. pro var. lect. *fata* Doruill. 517 *pr. et iam m.* Parrhaſ. *te imitetur* codd. ap. Pier., ex interpretatione. 518 *Arcades* vett. edd. et codd. aliquot, vitioſe, vt et *hinc* ap. Burm. *ter centum* Parrhaſ. *corpora pubis* Goth. tert., et ſic aliquot Pier. Catull. Epith. Pel. 4 *lecti iuuenes Argiuae robora pubis.* 519 *ſuo tibi munere* aliquot Pier. Gud. a m. ſec. Voſſ. pr. Hamb. pr. et Scheffer. cum Zulich. At Gudius a m. pr. *ſuo ſibi munere*, pro ſe iungere; placet haec argutior forma Heinſio. *tuo ſibi nomine* Medic. a m. pr. Burmanno arridet: *ſuo ſibi nomine* et laudat VI, 142. Sed omnia iſta in epigrammate feram; nunc plus dignitatis epicae ineſt vulgari lectioni. *ſuo tibi numine* Puget. 520 *deſixaq.* duo Burm. ad vulgarem formam. *diſſixi* Leid. *intentique* aliquot Pier. e ſimilibus locis. *deſixi ora* malebat Cuningham.

votis iam nunc aſſueſce vocari. Incipe, ſuſcipe. 516. *graue Martis opus.* Homericum: μέγ' ἔργον Ἄρηος Il. λ, 733 et al. 515. 516. 517. Praeclari verſus ſententiis et verbis. Maronem mirati ſunt et imitati in hoc loco, quos Cerda iam laudauit, Valer. Fl. (I, 269 ſqq.), Silius (IV, 430. 431); adde Apollon. lib. II, 804. 805, et Epitomen Iliados 573 ſeq., vbi cf. Wernsd. — 518. 519. Quadringentos equites mittit Euander, vt iter eſſet expeditum, nec longa mora intercederet, quam obſidionis discrimen non admittebat. Tenendum hoc eſt, ne mirum videatur, cur *Arcades equites* potiſſimum poetae placuerint; Cum alioqui Arcades equitatu non valuerint, nec in regione montoſa et aſpera valere potuerint. Qua de re doctae ſubtilitatis nota eſt Guellii inſ. ad lib. X, 364.

520 ſq. Ex veteris Italiae religione et poetae noſtri perpetuo more res aliter vix

Aeneas Anchiſiades et fidus Achates,
Multaque dura ſuo triſti cum corde putabant;
Ni ſignum coelo Cytherea dediſſet aperto.
Namque inprouiſo vibratus ab aethere fulgor
Cum ſonitu venit, et ruere omnia viſa repente,
Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor.
Suſpiciunt; iterum atque iterum fragor increpat ingens.

522 *Miſtaque* Goth. tert. *dura duo* coni. Burmann., parum ſcite. *tum* ſec. Rottend. *triſtes* Goth. ſec. *ſub corde* tert. *mouebant* Hugen. a m. ſec., interpretamentum τοῦ *putabant*. 523 *e coelo* Montalb. *Tyrrea* Goth. ſec. *d. ab alto* Bigot. Leid. pro diu. lect. et Goth. tert. 527 *increpat*. Conſentiunt in hanc lectionem ab Heinſio illatam, a Burmanno vero incuria, vt arbitror, iterum omiſſam, omnes praeſtantiores Heinſii et Pierii codices cum Iulio Sabino, quae et ipſa paullo doctior eſt, pro *ſonat*, vt inf. IX, 504 de *tubae ſonitu;* et locum facit verſui hinc tertio, 529 *hinc*

expediri Aeneaeque animus erigi poterat, quam oſtento vel augurio. Sed poeta novo commento id conſtituit, quod meteorum, ſeu oſtentum aeris, ad ſtrepitum ex armis caelitus a Venere allatis retulit: non dicam equidem, an ſatis feliciter. Arma in caelo paſſim a ſuperſtitioſis hominibus conſpecta, belli et cladis ſigna, equidem huc non referam; nec Spencii acumen placet, Polymet. Dial. 20, n. 28, qui auroram borealem a poeta deſcribi putabat. 523. *Ni — dediſſet;* noua forma orationis, in qua miror interpretes non haeſiſſe. Ellipſis eſſe debet totius enuntiationis: *et diutius etiam in ea cogitatione defixi perſtitiſſent, Ni* etc. Vulgaris forma erat: *cum ſignum Venus dedit.* Dixit *caelo aperto*, vt Ge. I, 393 *aperta ſerena*, cum nubes dicantur caelum obducere. cf. mox v. 527. 528. 526. clangor armorum, quae mouebantur per aerem deportata a Venere, comparantur cum clangore tubae. *Tyrrhena* (pro Tyrrhenica) *tuba*, a Tyrrhenis, vt notum eſt, inuenta; et doctius:

Arma inter nubem, coeli in regione ſerena,
Per ſudum rutilare vident, et pulſa tonare.
Obſtupuere animis alii; ſed Troius heros
Agnouit ſonitum et diuae promiſſa parentis.
Tum memorat: Ne vero, hoſpes, ne quaere profecto,
Quem caſum portenta ferant; ego poſcor Olympo.
Hoc ſignum cecinit miſſuram diua creatrix,
Si bellum ingrueret; Volcaniaque arma per auras
Laturam auxilio.

pulſa tonare. *Intonat* tantum recentiores codd. inſidet, et edd. veteres, quas euolui, Aldd. et hinc profectas, omnes. Agnoſcit quoque Seruius. *ſonus intonat* Gud. a m. ſec. *inſonat* Doruill. *intonat aures* admodum vetuſti codd. apud Pier. 528 *in* abeſt a pr. m. a Medic. et Gud., et Nonius: *inter nubes coeli regione ſerena. inter nubes* etiam Parrhaſ., minus docte. 529 *Perſuidum* Rom. *ſonare* idem et aliquot Pier. et Heinſ. cum Goth. ſec. 531 *et* abeſt Romano. 532 *Tunc vero memorat, hoſpes ne,* Ven. *nec vero* Exc. Burm. *nec quaere* Oudart. *ne quaere, hoſpes, ne quaere profecto* aliquot Pier. 533 *ferunt* Parrhaſ. *ferant* Goth. tert. 534 *Muſarum diua creatrix* Goth. tert., miro ſtupore.

Tyrrhenus clangor tubae. 529. *pulſa,* impulſa, alliſa ſibi inuicem, *tonare,* pro ſimplici ſonare.

531. *et agnouit diuae promiſſa parentis,* et v. 534 *Hoc ſignum* etc. Bene Seruius: „κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus Venerem ei promiſiſſe.“ Clarior res apud Homer. vid. Iliad. σ, 189. Ceterum poetam hic in malum locum intuliſſe pedem apparet. Debebant enim, vt vis carminis eſſet ſatis magna, ea nunc omnia ſubiici, quae vſ. 608 vsque ad f. libri ſequuntur. Hic etiam multo magis vacaſſet animus iis rebus cognoſcendis, quae de clipei argumento narrantur, quam cupiditate per illa, quae interiecta ſunt, repreſſa et obtuſa. Sed, ſi hanc ra-

Heu quantae miseris caedes Laurentibus instant!
Quas poenas mihi, Turne, dabis! quam multa sub vndas
Scuta virum galeasque et fortia corpora volues,
Thybri pater! Poscant acies, et foedera rumpant.
Haec vbi dicta dedit, solio se tollit ab alto;
Et primum Herculeis sopitas ignibus aras

537 *caedes miseris* Schol. Horatii Epod. X cum Montalb. *cladis* Bigot. a m. sec. 538 *Quas mihi Turne dabis poenas* Hamb. sec. *tu mihi Turne* Franc. *sed multa* Ven. *sub vndis* sec. Moret. *sub vnda* tres Burm. cum Rom., minus poetice. 539 *voluens* Rom. Versus iam supra Aen. I, 100. 101 obuii, ad Homeri ductum facti. 540 *et sidera* Goth. tert. *et secla* alter. 542 Me in *Herculeis ignibus* haerere, iam in notis significaui. Suspicor vitium inesse scribendumque esse: *Herceis ignibus*. Confirmat me imitator Maronis Lucanus: Herceas, *monstrator ait, non respicis aras*? Commendat quoque emendationem hanc ingenuo cum candore Wakefield ad h. l. Iouis *Hercei*, Ἑρκείου, religio satis nota, eiusque aram in penetrali regiae Priami vidimus apud nostrum

tionem sequebatur poeta, alia forte occurrebant, quibus se premi sentiebat, vt adeo alterum praeferret. *ego poscor Olympo*, tertio casu, pro *ab O.*, me Olympus poscit, me vult, respicit, h. ad me ostentum aeris spectat, nihil est, quod vos terreamini. Alio modo poscitur Olympo, qui in illum attollitur et euehitur. 537—539. *Heu quantae* — Imitationes iam Cerda notauit Silii II, 455. 456. Statii Achill. I, 84 sqq. Adde Stat. Theb. II, 460. 461. III, 210 sqq. et passim alios; item Horat. I Od. 15 *Heu quantus equis* etc. 540. quasi, eant nunc et flagitent bellum. Seru. cf. sup. VII, 317, vbi eadem sententia alio modo reddita.

542. 543. Surgit Aeneas et ad focum aedium accedit, Penates precatur. *Herculeis sopitas ignibus aras* doctius dictas esse, quam *ignes sopitos in aris vel ignes arae* in promtu est intelligere. Sed

Excitat heſternumque Larem, paruosque Penatis
Laetus adit; mactant lectas de more bidentis
Euandrus pariter, pariter Troiana iuuentus. 545

quoque lib. II, 512, etſi nomine hoc non expreſſam: ſed v. Exc. XI ad lib. II, et viri docti paſſim, v. c. ad Ouid. Heroid. VII, 113, in Ibin 286. *Herculeas — aras* Doruill. 543 *Suſcitat* Rom. et plerique Pierii cum parte codd. Heinſ. et Burm., etiam edd. nonnullae, vt Baſil., haud dubie magis ad proprietatem verborum; ſed dubitare licet, an ex aliis locis, vt ſup. 410. V, 743, reſinxerint grammatici. *externumque* procliui lapſu et obuio Rom. cum aliis Pier., tum Serv., pro diu. lect. Medic. et aliquot alii Heinſ. et Burm. cum binis Goth. cf. ad Tibull. II, 1, 12, etſi hoc loco non incommodum ſenſum facit: *externumque Larem paruosque Penates Laetus adit*, ſi iungas: eſt enim domus externi hominis, a quo hoſpitio excipitur. *patriosque Penates*, notabilis lapſus, non lectio Goth. ſec.; ſic ſuos, Troianos, non Euandri, Penates adorat Aeneas: ſic *externum Larem* comparari aliquis cenſeat. 544 *mactant* Heinſ. e Medic.; adde Zulich. et ad normam v. 57 lib. IV. *lectas mactat* Goth. ſec. *laetas* Sprot. et Exc. Burm. Male; ſunt ἐξαίρετοι, ἔκχριτοι, eximiae, adeoque τέλειαι. cf. ad IV, 57. VI, 39. 545 *Euander* alii et h. l.

Herculeos ignes non ſatis expedio. Herculis ara ante vrbem in luco erat: ſup. vſ. 104. De alio quam de ſacro Penatibus in penetralibus domus facto locus vix intelligi poteſt. Iam *ignes Herculei*, in foco vel ara Penatium ſopiti, aut ornantur epitheto hoc, reſpectu Herculis, qui olim eandem ad aram ſacra feciſſe putandus eſt, aut intuitu moris religioſi, quo ignis ex ſacro Herculis heſterno (vide v. 102. 103. 104) ſeruatus et in focum domeſticum repoſitus fuerat: ſic Cerda et alii; aut Hercules fuit Euandro Penatium loco Geniusque adeo ſeu Lar domeſticus. Hoc ſaltem praeſtat. *Larem heſternum* iungo cum *excitat*, et accipio pro foco et igni heſterno in foco ante Larem: iuncta adeo vt ſint: *ignes in ara et Larem heſternum excitat*. Solet ita poeta eandem notionem bis terue ornare; *paruos Penates* Euandri, paruą ſigilla, vt humilem caſam decebat. *adit*, προσέρχεται,

Post hinc ad nauis graditur, sociosque reuisit:
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Praestantis virtute legit; pars cetera prona
Fertur aqua, segnisque secundo defluit amni,
Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arua;

547 *sequuntur* Franc. *sequentur* alter Hamb. 548 *Praestanti* pr. Rottend. a m. pr. *Praestante* Goth. tert. 550 *regnique* alter Hamburg. 551 *T. p. arma* Ven.

precando. Puta, haec fieri in suscipienda profectione et adeundo discrimine.

546. Naui a littore Laurentino amne aduerso Pallantium peruenerat Aeneas sup. v. 90: nunc ea naui partem sociorum redire ad Ascanium iubet; altera parte sibi adiuncta, et Arcadibus comitibus, terra per Etruriam Caere ad Tarchontem *(Tyrrhenum regem)*, proficiscitur. 547. *qui sese in bella sequantur.* Paullo obscurior sententia; nam ad bellum non proficiscitur, sed ad auxilia et societatem Caeretanorum parandam. Seruius multis allatis nihil expedit. Dicendum forte, poetam omnino viros fortes declarare voluisse, quorum adeo id proprium esset, vt Aeneae latus tegerent in discrimine belli: sicut et infra iterum v. 606 *et bello lecta iuuentus.* An *bella* pro castris ad Caere? an magis consentaneum, et in hoc acquiescam, dicere, poetam respexisse ad id, quod futurum erat, vt ii, vna cum Etruscis, nauibus vecti ad ostia Tiberis pugnam cum Turno facerent? inf. X, 260 sqq. Nam Caeretanos in castris sub signis habitos aditurus erat, vt statim eos aduersus Mezentium et Turnum duceret: supra 503; conf. Not. ad 498. — Iam, qui *secundo amni defluit*, defertur ille. 549. *segnis* „sine remigio“ vt bene Seruius explicat: cum antea aduerso flumine venissent v. 94 *Remigio noctemque diemque fatigant.* Addit idem alia, quae tamen minus se probant. 550. *Ascanio;* remanserat is apud Troianos in castris sub Tiberis

Ducunt exſortem Aeneae; quem fulua leonis
Pellis obit totum, praefulgens vnguibus aureis.
Fama volat paruam ſubito volgata per vrbem,
Ocius ire equites Tyrrheni ad limina regis.
Vota metu duplicant matres, propiusque periclo
It timor, et maior Martis iam adparet imago.

552 *exſortem vel ingentem* Zulich. 554 *paruas — per vrbes* pr. Hamb. Sed vrbs Pallanteum eſt intelligenda. 555 *ad limina* ex parte codicum ſuorum et Pierianorum, inter quos Romanus erat, Heinſius probauit: vulgo, *ad littora*, vt omnes Goth. habent, vnus etiam *Tyrrhena*; varietas ſatis frequens; cf. ad II, 371. *littora* tamen Cuningh. praetulit. 557 *Et timor* Rom., et

oſtia. cf. ſup. VII, 158. 159. De eorum autem aduentu in caſtris nihil amplius memorauit poeta, nec facere id opus erat. conf. ad X, 238. 552. *exſortem*, eximium, ἐξαίρετον. Adducitur equus Aeneae praecipuus. vid. Serv. et Cerda.

554 ſqq. Non male ſequentia ad ſenſuum et affectuum naturam in tali rerum articulo efficta et expoſita: Matrum timor; Euandri ſenis vota ac preces; totus diſceſſus. Vff. 560 ſqq. ex Homericis ſunt adumbrati, Neſtoris oratione Iliad. η, 132 ſq. λ, 669 ſeqq. ψ, 629 ſeqq. Vlyſſis ad Eumaeum Odyſſ. ξ, 468 ſqq. Laertae Odyſſ. ω, 375 ſqq. Aliorum imitationes v. apud Cerdam. Fabulam de *Herilo*, Praeneſtinorum duce, domeſticam neſcio vnde acceperit. Sed triplicem vitam ipſe poeta fingere potuit, ad exemplum eorum, qui caeſi reuiuiſcerent (ineptit Seruius ad v. 562), aut ad exemplum Antaei vires a terra matre ſumentis, in quam victus procubuerat. Quod ſequitur, *propiusque periclo It timor*, impeditum eſt, quocunque te verteris; proprie *propius ire periculo* eſſet propiorem eſſe periculo, inſtante iam discrimine; *propius ire*, vt *propius eſſe* ap. Silium I, 13 *propiusque fuere periclo*, *Quis ſuperare datum*, de Romanis tantum non in vltimum discrimen adductis. At h. l. accipiendum erit: *timor it propius*,

Tum pater Euandrus, dextram conplexus euntis,
Haeret, inexpletum lacrimans, ac talia fatur:
O mihi praeteritos referat si Iuppiter annos!
Qualis eram, quum primam aciem Praeneste sub ipsa
Straui scutorumque incendi victor aceruos;
Et regem hac Herilum dextra sub Tartara misi;
Nascenti cui tris animas Feronia mater

habet hoc expeditam interpretationem: *propius periclo* (absolute; cum iam res adducta esset propius ad discrimen), *Et timor* (apparet maior), *et maior Martis iam apparet imago*. Vellem eundem sensum ex vulgata elici posse, sed *it timor* pro grassatur vix vsu probari potest. *It minor* Goth. sec. *It metus* Priscian. lib. XVIII. *propiusque pericli Hic amor* Philargyr. excitat ad IV Ge. 47. *iam* abest a nonnullis Pier. 559 *inexpletus lacrimans* aliquot Pier. et Erf. *inpletus* Rom. In aliis ap. Heins. hoc interpolatum: *inexpletus lacrimis:* vtrumque pro var. lect. Seruius commemorat; *inexpletus* etiam Iul. Sabinus. Comparant ἄμοτον κλαίω Iliad. τ, 300. cf. ad Hesych. in ἄμοτον. Porro Pier. aliquot: *in amplexus*, pr. Voss. et alter Hamb. *in amplexum*, et Montalb. cum binis Goth. *in amplexu*. 560 *O ne praeterea* Goth. sec. 561 *erat* Priscian. XVII. *cum primum* Rom. et aliquot Pier. *Praeneste sub ipsa:* consentiunt in hoc libri et Grammatici ap. Heins. *ipsa* sc. vrbe P., vel poeta extulit *haec Praenestis*. 562 *sacrorumque* sec. Moret. *accendi* Ven. et Goth. sec. 563 *hac* abest Vratisl. *Erilum* et *Erylum* potiores scribunt: *Erulum* Rom. *Elinum, Cerilum, Acerilum, Helenum, Athericum* al.

timor fit propior, h. magis instat, fit grauior, acrior, *periclo*, cum periculo, periculo instante. Hoc vero durum. vid. Var. Lect. 561. vt sim talis, *qualis eram* etc. ἐΐδ' ὡς ἠβώοιμι Nestor l. c. η, 157. λ, 669. 564. *Feronia* v. sup. VII, 800. vbi *viridi gaudens Feronia luco. terna arma mouenda*, vt ter reuiuiscens ter rebellaret, adeoque ter esset vincendus. Nisi forte melius sic interpungas et accipias: *Nascenti cui tris animas — dederat:*

(Horrendum dictu) dederat, terna arma mo-
venda;
Ter leto ſternendus erat: cui tunc tamen omnis
Abstulit haec animas dextra, et totidem exuit
armis.
Non ego nunc dulci amplexu diuellerer vsquam,
Nate, tuo; neque finitimus Mezentius vsquam,
Huic capiti inſultans, tot ferro ſaeua dediſſet
Funera, tam multis viduaſſet ciuibus vrbem.
At vos, o ſuperi, et diuom tu maxime rector
Iuppiter, Arcadii, quaeſo, miſereſcite regis,

565 *triaque* l. *tria* Muſon. malebat in Seruii gratiam, perperam. *trina* pr. Hamb. pro var. lect. et Flor. Iunt. cum binis Goth. 566 *Terque ſolo* Oudart. 567 *animas, totidem dextra exſuit* pr. Mentel. 568 *tunc* Doruill. *Ergo non d.* Goth. ſec. *duplici* Sprot. *deuellerer* tres Burm. cum Erf. *diuellier* Goth. tert. 569 Abeſt verſus Goth. tert. *finitimo* e codd. ſuis et Pier. Heinſ. emendauit; ſc. *huic capiti:* quod vix placet; Burmann. cum al. *finitimo ferro* iungit. Saltem dixerim: *finitimo* abſolute pro *in f.* Vulgo lectum *finitimus* inde ab Ald. 1514 adeoque a Naugerio. Servius videtur legiſſe *finitimos*, ſicque Doruill. a m. ſec. et ed. Iunt. 1520. *vsquam* idem Heinſ. reſtituit: vulgo *vnquam;* at Moret. ſec. et Gud. a m. ſec. *Mezentius hoſtis:* quae aut vera lectio eſt aut pro veriore habenda, in cuius locum ſucceſſit *vsquam*, quod ex ſuperiore verſu per errorem iteratum ſuſpicor. Reuocaui autem *finitimus* tamquam vnice verum: cum ſcriptum eſſet *finitimos*, aberratum eſt in *finitimo*. 571 *vidiſſet* Goth. tert. 573 *reminiſcere regis, Exaudique preces patrias* codex apud Pier., interpolate.

terna arma mouenda, Ter ſternendus erat. Cui tunc t. Erat ter cum eo pugnandum, ter arma in eum mouenda, ter erat vincendus. Itaque Euander eum ter vita et armis exuerat. 569. *finitimo,* in finitimo, qui eſt in finitima vrbe. 572. Habent hae preces tanto plus ſuauitatis, quod tamquam praeſenſione aliqua tacita imminentis filio

Et patrias audite preces: Si numina veſtra
Incolumem Pallanta mihi, ſi fata reſeruant,
Si viſurus eum viuo, et venturus in vnum:
Vitam oro; patiar quemuis durare laborem.
Sin aliquem infandum caſum, Fortuna, minaris:
Nunc, o nunc liceat crudelem abrumpere vitam,
Dum curae ambiguae, dum ſpes incerta futuri,
Dum te, care puer, mea ſera et ſola voluptas,
Conplexu teneo; grauior ne nuntius auris
Volneret. Haec genitor digreſſu dicta ſupremo
Fundebat: famuli conlabſum in tecta ferebant.

575 *reſeruent* duo Burm. et Goth. tert. 576 *eum viuom* Rom. et aliquot Pier. 577 *patior* Rom. et paene omnes Pier. tum Medic. et pars Heinſ. duoque Burm. *oro et patior* Ed. Ven. *Vita mora: patior* Goth. ſec. *quamuis* Leid. 579 *Nunc, nunc, o liceat* Medic. et ceteri Heinſ. (excepto Mentel. pr.), item Dorvill. et bini Goth., praetulit quoque Cuningham. *Tunc, tunc, o ſiceat* Schol. Perſii ad Sat. I, 25. Sed cf. lib. II, 644. *rumpere* Zulich. 580 *Dum ſpes ambiguae curae, dum i. f.* Parrhaſ. 581 *mea ſola et ſera* alii, etiam Scruius. vid. Pier. et Heinſ. cum Burm. *ſola et certa* Goth. tert. 582 *complexus* Rom. Medic. et alii Heinſ. *amplexu* Parrhaſ. *neu* Gud. a m. ſec., quod maluit Cuningham. *nec — vulnerat* Markland. emendabat ad Stat. V Silu. 2, 88, ſententia prorſus in alium ſenſum detorta. 583 *Verberet* Goth. tert., et ſic Donatus in Terent. Hecyr. IV, 4, quod placebat Heinſ., ſed merito reiectum a Burmanno, quem vide. Vſus τοῦ *vulnerare*, qui τοῦ τρῶσαι ap. Homerum pro βλάψαι. *moeſta ſupremo* Medic. a m. pr.

fati factae videntur. Nam interimitur Pallas libro X. 576. *venturus in vnum*, iterum eum reuiſurus et conventurus. 578. *Sin;* nota σὐφημίαν. 580. acutius ſententiam extulit Valer. Fl. I, 326. 327, vbi a v. 323 veſtigia Maronis legit: *Sin aliud Fortuna parat: miſerere parentum, Mors bona, dum metus eſt, nec adhuc dolor.* 581. *ſera;* ergo erat τηλύγετος, in ſenectute patris na-

Iamque adeo exierat portis equitatus apertis:
Aeneas inter primos et fidus Achates;
Inde alii Troiae proceres; ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde et pictis conspectus in armis:
Qualis, vbi Oceani perfusus Lucifer vnda,
Quem Venus ante alios astrorum diligit ignis,
Extulit os sacrum coelo, tenebrasque resoluit.
Stant pauidae in muris matres, oculisque sequuntur
Pulueream nubem, et fulgentis aere cateruas.
Olli per dumos, qua proxima meta viarum,

585 *portas apertas* Hugen. 587 *proceres Troiae* Leid. 588 *It medio* emendat Markland. ad Stat. V Silu. I, 245. vid. inf. 676 et al. 589 *profusus* sec. Mentel. 591 *remouit* Bigot. et Goth. tert. 589. 590 recitantur ap. Iulium Capit. in Maximino pr. 592 *Sunt p.* pr. Rottend. a m. pr. *secuntur* plerique Pier. 594 *quam pr.* Goth. pr.

tus. conf. Guell. 588. Non agnosco hypallagen; sed *picta arma* sunt auro argentoque distincta. Memorantur et alibi, XII, 281. XI, 660.

589 seq. Homericam esse comparationem multi pronuntiarunt, nec tamen locum enotatum video, qui commode satis comparari possit: Iliad. ε. 6. 7 de canicula agitur, vnde translatum est illud: ὅς τε μάλιστα λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελουμένος Ὠκεανοῖο; non igitur *perfusus Oceani vnda* alio spectat, quam ad ortum ex mari. *Quem Venus* etc., quia est stella Veneris, vt satis notum. conf. Guell. At Iliad. X, 317 est: οἷος δ' ἀστὴρ εἶσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ Ἓσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ. Nec satis conuenit Apollon. III, 957 sq. 591. splendidus versus de ortu in extrema caeli ora, qua mare ambit. Sup. Georg. IV, 232 *Taygete simul os terris ostendit honestum Plias.*

594. *per dumos:* per virgulta, siluas. cf. Stat. II Theb. 496. 497. *meta viarum* or-

Armati tendunt. It clamor, et agmine facto
Quadrupedante putrem ſonitu quatit vngula campum.
Eſt ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem,
Religione patrum late ſacer; vndique colles

596 *quatit vngula puluerem* Marius Plotius de metris ap. Heinſ. 597 *Caere.* τὸ Καῖρε, Καιρή, Καίρητα. Iam *Caere* modo non flectitur, modo flecti videtur in *Caeritis*, et in *Caeretis*. Eſt porro et *Caeres*, vnde duplici modo *Caerites* et *Caeretes*; tertio quoque modo *Caeretani*, οἱ Καιρητανοὶ, et Καιρεταvοί. In Virgilio igitur *Caeritis* recte, ſeu vt a *Caere* ſit, ſeu vt a *Caeres*. *Ceritis* ap. Priſcian. *Caeretis* et *Ceretis* paſſim alii; vitioſe, nam ſic media longa: Καίρητος, vnde *Caeretanus*. inf. X, 183 *Qui Caerete domo*.

nate pro via; proprie terminus et finis viae. 596. Verſum felicem, ipſo verborum ſono rem referentem, mirati ſunt multi: comparato quoque vſſ. 465. 466 Iliad. β. Odimus ſubtilitatem moleſtam in talibus: Ipſum inflammati impetum ingenii in haec natura ducente incidere neceſſe eſt; quomodo enim aliquis celeriter facta languida oratione reddere malit? cf. Disquiſ. I ſub f. Praeiuerat Ennius apud Macrob. VI, 1 ex Annal. VI *totam quatit vngula terram;* et Annal. VII *ſummo ſonitu quatit vngula terram;* XVII *It eques, et plauſu cauа concutit vngula terram.* vid. Vrſin. ad h. l. et Cerda inf. ad XI, 875. *putrem*, in puluerem reſolutum, puluerulentum, quod iam vidimus Georg. I, 44. 215. II, 204. 597. *Caeritis:* Caere, vrbs Agylla, et qui eam incolit, Caeres: vnde poteſt accipi *Caeritis* vrbis et *Caeritis* fluminis. Minio perperam a Seruio huc aduocatur ex X, 183. Fluuius eſt Caeretanus, oppido proximus, nunc *Vacina* dictus, vt Cluuerius docet. Situm autem locorum huiusmodi eſſe putabimus: defluit per agros, vrbe in alto poſita, amnis, cui lucus adiacet; agrorum planitiem cum amne et luco vndique cingunt colles nemoroſi, abietibus conſiti: hoc eſt *colles caui incluſere* (inclu-

Inclusere caui et nigra nemus abiete cingunt.
Siluano fama est veteres sacrasse Pelasgos,
Aruorum pecorisque deo, lucumque diemque,
Qui primi finis aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho et Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis, celsoque omnis de colle videri

599 *ilice cingit* Zulich. a m. pr. *cingit* alii ap. Heins. cum Parrhas. et Goth. sec., repositum a Wakefield; et potest hoc verius videri: nam *nemus cingit* iungenda sunt: mutatum forte ab iis, qui ad *colles* referebant. Ad eam formam, qua exquisitius dictum esse habetur, *nemus cingunt*, Heinsius reuocat eamque formam aliquoties illustrauit. Nil refert, vtrum sequaris; modo teneas, non *nemus cingere lucum*, sed *colles et nemus*, h. colles nemorosos cingere *lucum et vallem*. 601 *Agrorum pecorisq.* Macrob. III Sat. 3. *Siluarum p.* emendabat Cerda, perperam. Est enim omnino Siluanus inter deos agrestes. cf. Burm., vt in eo ipso, quod ex Horatio laudat Cerda: *Siluane, tutor finium.* 603 *Tarcon, Tharco, Tarchon* et h. l. cf. sup. 506. XI, 727. *Tyrrhenus* Goth. sec., quod ornari posset, si tanti res esset. *cuncta tenebant* aliquot Pier.

dunt) *et nemus nigra abiete cingunt* (pro cingit) *vndique* lucum prope amnem. Etiam Lycophr. 1241 Καὶ Πίσσ', Ἀγύλλης θ' αἱ πολύβρηνοι νάπαι. At *colles caui?* non, vt vulgo dicuntur, saxa caua, exesa, cauernosa; v. c. sup. 248 *Inclusumque cauo saxo;* sed qui cauam vallem efficiunt, quam includunt; vt *theatrum cauum; caua vallis.* 600. *Pelasgos, qui;* Agyllam inter eas Etruriae vrbes memorat Dionys. I, 20. III, 58, quas Pelasgos adiisse, in iisque consedisse, et in quibus Pelasgorum sermo praeualuerat et plurimum Pelasgici moris diu obtinuerat. v. Excurs. III ad VIII. 601. *lucumque diemque:* lucum Siluano consecrasse ferebantur aduenae Pelasgi et sollenne annuum Siluano instituisse. 603. Non male, puto, quaeras cum Seruio: quomodo *castra in tutis locis* habere potuerint, si in valle et campis

Iam poterat legio, et latis tendebat in arvis.
Huc pater Aeneas et bello lecta iuuentus
Succedunt, feſſique et equos et corpora curant.
At Venus aetherios inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat; natumque in valle reducta
Vt procul egelido ſecretum flumine vidit:
Talibus adfata eſt dictis, ſeque obtulit vltro:

605 *vt latis t.* emendabat Tan. Faber et Barth., non improbante Heinſio, et recepit illud Cuninghamus, cum Wakefield, et praeferendum eſt vulgatae haud dubie; etſi alterum tuentur exempla ſimilia inprimis Homeri. Heinſius etiam *Latiis* coniecerat. *letis* Franc. a m. pr. *in armis* Exc. Burm. 606 *Hoc p.* Leid., vt ſup. 423. *electa* duo Burm. *bello clara* Goth. tert. 609 *penitusque in v.* Schol. Cruq. ad Horat. I Od. 17. 610 *Et pr.* Parrhaſ. *e gelido* paſſim ſcripti et edd. etiam Pieriani, alii (vt fragm. Vatic. a m. ſec. apud Bottar. p. 167) *et gelido:* Rom. *haec gelido:* Montalb. *ingelido. egelidum flumen* debet eſſe tepidum: atque hoc cum per ſe ab vſu poetarum abhorret, tum multo magis in conuallibus et lucis. Procliuis itaque et ipſe ſum in lectionem cod. Rom. *Vt procul, et gelido ſecretum flumine, vidit.*

erant, et e collibus proſpici et adiri poterant. Eſſet tamen hoc alienum a lectione poetae, qui nunc caſtra epitheto ornare volebat a caſtrorum natura petito: tuentur enim caſtra quouis modo facta eos, qui in iis excubant. 606. *bello lecta* vid. ſup. ad 547. Aeneas cum ſuis in luco confederat. 607. Reliqua poeta exequitur lib. X, 148 ſqq.

608. Haud dubie Maro, ſi carmini ſuperuixiſſet, melius hunc locum conſtituiſſet. Iam ſupra, dum Euandri hoſpitio vtebatur Aeneas, arma caelo delapſa memorauerat, re in prodigium verſa 524 ſeqq. Nunc in luco ad Caere cum ſub arbore conſediſſet Aeneas, ecce Venus adeſt et arma apportat. Compara Iliad. σ, 615. 616, et τ, 3. *nimbos* pro nubibus, aere.

En, perfecta mei promissa coniugis arte
Munera; ne mox aut Laurentis, nate, superbos,
Aut acrem dubites in proelia poscere Turnum.
Dixit, et amplexus nati Cytherea petiuit;
Arma sub aduersa posuit radiantia quercu.
Ille, deae donis et tanto laetus honore,
Expleri nequit, atque oculos per singula voluit,
Miraturque, interque manus et brachia versat
Terribilem cristis galeam flammasque vomentem,

612 *promissi* Exc. Burm. cum Goth. sec, *arce* Sprot. 613 *nec mox* Oudart. et ed. Iunt. *nec mox his* Ed. Ven. *aut* abest Rom. 614 *dubitas* Reg. *arcum* Goth. sec. 616 *auersa* Leid. *radientia* in multis scriptum ap. Burm., vt et aliis locis. *resonantia* coniicit vir doctus ex Iliad. τ, 13 τὰ δ' ἀνέβραχε δαίδαλα πάντα; hoc est variare verba, non emendare. 618 *Impleri* Gud. pro diu. lect. et ms. Thuan. ap. Macrob. V Sat. 8. *per s. versat* sec. Moret. 619 *que* post *miratur* a nonnullis abest: v. Pier., et sic Ald. pr. *manus sua brachia* Parrhas. *versat* Reg. 620 *flammamque* alter Hamb. *flammisque* Parrhas. a pr. m. *vomentem* Gud. ab altera manu in erasa prisca lectione, e qua *nantem* supererat; quod Heins. *tonantem*, Burm. *minantem* supplet.

secretum docte pro solum, in secreto loco, apud flumen. 612. *En perfecta* cf. Iliad. τ, 10, 11. *arte promissa*, cf. ad 531. 534.

617. *honore* puto dictum pro munere, vt γέρας. *expleri nequit* siue vt iungas *donis, et honore* h. adspectu donorum, fere vt υἷος ἐνιπλησθῆναι Odyss. λ, 451. sive quod praestare videtur, *expleri* absolute, nam *obtutu, tuendo* (quod sup. VIII, 265 et I, 713 adiectum erat,) ex ceteris adiunctis facile intelligitur. Wakefield Silu. crit. T. IV p. 200 *donis et honore* per ἓν διὰ δυοῖν accipere iubet, pro donis tam pretiosis. 619. est Homericum τέρπετο etc. Iliad. τ, 18. 620. *flammas vomentem* poetica imago splendoris co-

Fatiferumque enſem, loricam ex aere rigentem,
Sanguineam, ingentem, qualis, quum caerula nubes
Solis inardeſcit radiis, longeque refulget;
Tum leuis ocreas electro auroque recocto,
Haſtamque, et clipei non enarrabile textum.
Illic res Italas Romanorumque triumphos,

621 *loricamque* pr. Hamb. *et loricam* Bigot., paullo melius cum Goth. tert. 623 *refulſit* Goth. ſec, 624 *lentas* Goth. ſec. *recoctas* pr. Rottend. parum ſuauiter. aes — *an ſatis recoctum ſit, ſplendore deprehendente:* Plin. XXIII. ſ. 20. *nitentem* codex Pomponii Laeti ap. Pier.

ruſcantis, ex Iliad. ε, 4 Δαΐδέ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ. 622. *ſanguineam,* Seru., cruentam, terribilem; immo rutilam, ſi ex aere thoracem cogites; ornauit autem et ad terrorem vsque auxit Maro, quod nude poſuerat Homerus Iliad. σ, 609 Θώρηκα Φαεινότερον πυρὸς αὐγῆς. *qualis quum caerula nubes* ex Apollon. IV, 125; vbi vellus aureum νεφέλῃ ἐναλίγκιον, ἥ τ' ἀνιόντος Ἠελίου Φλογερῇσιν ἐρεύθεται ἀκτίνεσσιν. 625. *clipei non enarrabile textum:* materiam, quam explicare nequeat, vt cetera, intelligit Cerda. Malo in eo manere, vt argumentum clipei ſit tam varium et copioſum, vt enarratu difficile videri debeat.

626. Sequitur locus de clipeo Aeneae nobiliſſimus. Clipeum autem cogita ita informatum, vt in media parte, ſeu vmbone, mare eſſet cum pugna Actiaca, de qua verſ. 676 ſeqq.; Exterior autem ora in plures areas ſeu regiones discreta, quarum argumenta, *omiſſis aliis,* ita apponit, vt ſint: I) Lupa Romulum et Remam lactans v. 630. II) Raptae Sabinae, bellum inter Romanos et Sabinos, foedusque inter Romulum et Tatium factum: 635. III) Meti ſupplicium: 642. IV) Roma a Porſenna obſeſſa, cum Coclitis et Porſennae facinoribus: 646. V)

Haud vatum ignarus venturique inſcius aeui,
Fecerat ignipotens; illic genus omne futurae
Stirpis ab Aſcanio, pugnataque in ordine bella.
Fecerat et viridi fetam Mauortis in antro
Procubuiſſe lupam: geminos huic vbera circum

627 *Haud fati* Bigot. cum Goth. tert., quod facile praeferrem, niſi emendatorem redoleret. *fatum* tres ap. Burm. pro *fatorum:* ſic et Bersman. et Melanchth. in marg., et poſt Waddelium praetulit Cuningham, et nuper Wakefield. Scilicet *haud vatum ignarus* Vulcanus videtur inepte dictum eſſe, quaſi deo futura diſcenda fuerint a vatibus. Aliter res ſe habebat IV, 65 *O vatum ignarae mentes,* vbi *mentes vatum* ſunt. In ſaluo tamen res eſt. *Vates* dixit poeta, pro vaticiniis: haud ignarus erat Vulcanus eorum, quae praedicta et promiſſa erant Aeneae eiusque poſteritati. *ignaros* duo alii. 628 *genus omne Latinum* Ed. Ven.; inſcite, addit Burm., ex libro I, 6 repetitum. 629 *in* abeſt Franc. *pugnata ex ordine* Oudart. *pugnantique ordine* Montalb. *pugnantiaq.* Goth. ſec. 629. 630 Quid? ſi diſtinguas: *illic genus o. — bella Fecerat: et v.* 630 *feram* Goth. ſec. ex *fetam.* 631 *geminosque*

Capitolium a Gallis oppugnatum: 652. et, arce iamiam capta, excitati anſeris ſtrepitu Romani ad propugnandum irruentes: VI) Vrbs et religionibus et ſacris celebris, adeoque pace florens: 663. VII) Catilina in Tartaro: 666; VIII) et Cato in Elyſiis: 670. De his quid iudicandum eſſe videatur, v. Excurſ. ad h. l. Dixeram, *omiſſis aliis,* quae a Vulcano in clipeo expreſſa erant, poetam enarrare tantum iſta, quae appoſui. Nam verba poetae ſunt: *Illic res Italas Romanorumque triumphos Fecerat ignipotens; illic genus omne futurae Stirpis ab Aſcanio, pugnataque in ordine bella;* adeoque omnem hiſtoriam regni Albani. *Haud vatum ignarus* h. e. praedictionum, quas a vatibus Aeneas acceperat. 630. *Fecerat et,* inter cetera, quae poeta memorare non vult. Illa de Lupa, lactante Romulum et Remum pueros, egregie et viuidis imaginibus ſuauibusque ſententiis ſunt narrata v. 630 — 634, vt toties in numis et ſignis veterum aliisque operibus occurrunt. *feta,* enixa, vt alibi.

Ludere pendentis pueros, et lambere matrem
Inpauidos; illam tereti ceruice reflexam
Mulcere alternos, et corpora fingere lingua.
Nec procul hinc Romam, et raptas sine more Sabinas
Conseſſu caueae, magnis Circensibus actis,
Addiderat, subitoque nouum consurgere bellum
Romulidis, Tatioque seni, Curibusque seueris.
Post Idem, inter se posito certamine, reges
Armati Iouis ante aram, paterasque tenentes,

Franc. cum edd. nonnullis. 632 *pendentes oculo* Goth. sec. 633 *reflexa* Rom. Gud. et aliquot alii ap. Heins. cum Franc. Non expedit rem Burm. Scilicet dicendum est: esse hanc vulgarem, *cervice reflexa* (etsi et ipsam poeta dignam et Virgilio frequentatam; sic etiam Lucretianum *tereti ceruice reposita*), alteram tamen ad vim epicam ornatumque magis assurgentem lectionem, *ceruice reflexam*. 634 *lingere* aliquot Pier. cum Goth. tert., quod Catroeus venditat; non animaduertens, se plebeium vocabulum anteferre elegantiori. 635 *de more* proferre nonnullos Pierius observat. *sine Marte* ingenioso lusu coni. Io. Schrader. 636 *Conceſſu* passim in Pier. et Burm. *conſenſu* Rom. 637 *Addiderant* Ed. Iunt. 638 *Romulidi* Menag. pr. 640 *ante aram* multi Heins.

Martis antrum multi memorant: conf. Cerda. obuium illud in numis (vid. Eckhel Vol. VI p. 31) et gemmis.

635—641. *sine more*, sine lege, ἀκόσμως, incomposite, temere. cf. VII, 377. V, 694. Etiam Iulius Sabinus explicat: *sine honestate*. 636. *caveam*, h. l. in circo dixit. *magnos Circenses ludos* dixit, quae Liuio et aliis Consualia sunt, Neptuno equestri celebrata, sorte quod in horum locum successerunt Circenses. — 637. Mutauit structuram: *Romam et Sabinas addiderat*, subitoque *consurgere bellum*, pro consurgens bellum, h. e. vnde bellum consurgeret. 638. *Curibus seueris*, ad Sabinorum disciplinam spectare facile intelligitur. Seruii caussa monemus. cf. Cerda, quem et

Stabant, et caesa iungebant foedera porca.
Haud procul inde, citae Metum in diuersa quadrigae
Distulerant (at tu dictis, Albane, maneres!),
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per siluam, et sparsi rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium eiectum Porsena iubebat
Adcipere, ingentique vrbem obsidione premebat;
Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti similem, similemque minanti

et Burm., cum edd.; al. *aras*, perpetua varietate: h. l. minus scite, *aras paterasq.* 641 *caesa porco* maluerat Heins., sed *caesa porca*, elegantius dictum pro tenui et plebeio, *caeso porco*, quod v. c. Liuius habet lib. I, 24, iam Quinctil. obseruauit Inst. Or. VIII, 3, 19. 642 *metum* omnes Pier. et plerique Heins. cum Seru., qui perperam disputat. *metium* tantum sec. Moret. et Ven., sed Gud. cum quatuor aliis *mettum*. Heinsius *Mettium* refinxit et multus in eo est, vt in marmoribus et numis ita scribi doceat; quod ipsi concedemus, quoties de gente Romana Mettia vel *Metia*, nam nil referre arbitror, agitur; sed hic Fuffetium habemus cum praenomine *Meti*. Atque sic Drakenborchium quoque litem diiudicasse video ad Liu. I, 23. 643 *Dispulerant* Medic. a m. sec. *actu* Goth. sec. 645 malit abesse Io. Schrader. *sparso* Bigot., minus docte. 646 *Tarquinum* Ven. Doruill. Ed. Ven. et al., vt et alibi aberratur. *Porsena* multi passim cum Rom., vt ap. Liuium quoque, vid. Gronou. et Drakenb. ad lib. II, 9. Graecis Πορσῖνος, Πορσίνας, Πορσίνας; at *Porsenna* etiam Medic. 647 *ingentemque* Gud. a m. pr.

vide v. 641 de *porca caesa*, ex more perpetuo sacrorum in foederibus faciendis; v. c. Liu. I, 24. Est et hoc argumentum multorum numorum, inprimis Gentis Sulpiciae, Veturiae, Antestiae.

642—645. Liu. I, 27. 28.

643. docte magnaque cum vi

inuersa oratio in illis: *at tu d.* pro: quod in fide non manserat. *mendacis* proprie perfidi. De foeditate spectaculi oculis ingrata v. in Excurs. IV ad h. libr.

646—651. Liu. II, 9 sq. Effictus autem Porsenna stans

Adſpiceres; pontem auderet quod vellere Co-
cles,
Et fluuium vinclis innaret Cloelia ruptis.
In ſummo cuſtos Tarpeiae Manlius arcis
Stabat pro templo, et Capitolia celſa tenebat,
*Romuleoque recens horrebat regia culmo.
Atque hic auratis volitans argenteus anſer

650 *quia v.* omnes Pier. et Heinſiani, Mediceo non excepto. *qui* agnoſcit Iul. Pomp. *qui auellere* vnus Pier. *auderetque auellere* Rom. *quod* vulgg. et Franc. *qui auderet vellere* Ed. Ven. *Cochles* Medic. 651 *At* Leid. *Cleria, Cloria, Coclea, Coclia, Cordia, Delia, Deria*, monſtra librariorum. *ruptis i. C. vinclis* Parrhaſ. 652 *Malius* Rom., alii Pieriani et plerique Heinſ. *Mallius.* 653 *pro templis* Goth. tert. *Capitolia celſa tenebat* Wakefield mutauit in *tegebat*, vt XII, 148 *Turnum et tua moenia texi.* Recte, at nec minus v. c. XII, 705 *quique alta tenebant*, pro tegebant. Verum trahit me in viri docti partes, quod ſtatim 657 iterum eſt: *arcemque tenebant.* 654 *Rumoleo* Rom. Totus hic verſus ſcrupulum iniicit. *Romuli caſam* in Capitolio fuiſſe nemo dubitet. v. Vitruu. II, 1, alios, quos Cerda laudat, et Ouid. Faſt. III, 189 ſqq. Sed mentionem eius hic factam video tam importune, vt nihil magis; nam nec ſtructura nec ſententia vllo eum verſum vinculo comprehendit. Caſa nude commemorata quorſum referri debet? Et tum ſequuntur *auratae porticus.* Quae tandem haec paupertatis et luxuriae in eundem locum coaceruatio! At *recens regia?* in tanto temporum interuallo inde a Romulo ad Manlium. Nec res expeditur, ſi regiam de ipſo Capitolio et Iouis templo accipias. Manent enim reliqua, in quibus laboramus. Alienum itaque et mala manu illatum verſum eſſe arbitror. In edit. Parmenſi verſus retractus eſt poſt v. 641 *Stabant* et 642 *Romuleoque* 643 *Haud procul inde.* 655 *hinc* aliquot Pier. vnus Heinſ. et vnus Burm.

ad Tiberim. 650. *pontem* ſublicium, euellens trabes ſuſblicis impoſitas. *vinclis ruptis,* ſimpl. de cuſtodia accipiendum.

652 — 662. Liu. V, 47. *In ſummo* non clipei; ſed *in ſummo arcis Tarpeiae.* 654. Viſebatur porro in Capitolio, praeter templum, caſa recenti culmo tecta, regia Romuli dicta. Pro *erat* ornate *horrebat.* De ceteris vid. Var. Lect. 655. Quae

Porticibus, Gallos in limine adeſſe canebat;
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defenſi tenebris et dono noctis opacae;
Aurea caeſaries ollis, atque aurea veſtis;
Virgatis lucent ſagulis; tum lactea colla
Auro innectuntur; duo quisque Alpina coruſcant
Gaeſa manu, ſcutis protecti corpora longis.

656 *abeſſe* Rom. 657 *Olli* vnus ap. Pier., isque Romanus; et hoc praeferam cum Io. Schradero, qui laudat Stat. IV Theb. 798 *Illi per dumos et opaca virentibus vmbris Deuia* etc. 659 *illis* alii ap. Pier. *ſolis* Menag. pr. 660 *Virgatis fulgent* pars codd. Heinſ. cum Goth. ſec. cf. Burm. 661 *immiſcentur* Oudart. *duo cuique* Parrhaſ. interpolate. *Albina* duo Burm. et tert. Goth. *coruſcat* Ald. pr. cum aliquot Heinſ. et binis Goth. 662 *Geſſa* Medic., vt paſſim alibi ſcribitur. Eo alludunt Doruill. et Franc.

ſequuntur, poetica ſunt, non quae facile ab artifice in metallo effingi potuerunt. Tum anſer volitans ad noſtrum ſenſum displicere poteſt; forte non aeque ad Romanorum ſenſus. 657. *tenebant*, de conatu, vt ſaepe: iam in eo erant, vt tenerent. *et dono noctis opacae*; paullo otioſius adiectum videtur. *dono* h. beneficio, munere. 659 ſeq. Habitus Gallorum bene expreſſus, etſi alieno forte loco. Notae eorum comae rutilae, ſaga virgata, aurei torques, gaeſa, ſcuta vaſta. *aurea veſtis*: Mirum hanc de barba accipere Servium eumque ſequi alios. Si barba veſtire genas dicitur poetis, an propterea veſtis abſolute de barba dicetur? Veſtem intellige illa ipſa ſagula, ex auro facta, ab artifice (ſeu vt colorem luteum et flauum referret, ſeu quod auro textas veſtes amarent Galli. conf. Silium IV, 155), verſicoloribus ſegmentis vel virgis intertextis: qui quidem habitus Gallis, Germanis, et Britannis frequentatus, Scotis nondum in vſu eſſe deſiit. *lactea colla* proprie de Gallis; *Candidi pene ſunt Galli omnes*, nota vox Ammiani. *duo gaeſa*, e more; vid. Cluuer. German. I, 44 et omnes eos, qui

Hic exsultantis Salios, nudosque Lupercos,
Lanigerosque apices, et labsa ancilia coelo
Extuderat: cassiae ducebant sacra per vrbem
Pilentis matres in mollibus. Hinc procul addit
Tartareas etiam sedes, alta ostia Ditis;
Et scelerum poenas, et te, Catilina, minaci

Cesa. Goth. sec. *Caesa.* Sed *Gaesa* communior scriptura. vid. Heins. Vox est Celtica *Gess.*, vt nuper docuit *Bullet Memoires sur la Langue Celtique* Tom. II hac voce. *pectora* Goth. pr. 663 *Hic* e Pieriis et suis recepit Heins. pro vulg. *hinc. ancylia* passim: vt Gr. ἀγκύλια. 664 *Laries* Medic., ait Heins., a pr. m. pro *apices.* Litura saltem est in Fogginii exemplo. Abest *que* post *lanigeros* a ms. Wakefield. 665 *Extuderant* Rom. *extulerat* aliquot Heins. cum Goth. tert. *excuderat* et *exciderat* alii. Sed *extundere* exquisitius est idem quod *excudere*, nec modo de opere eminenti et anaglypho, sed simpl. de sculptura; Tum et omnino: proferre, inuenire, vt Ge. I, 133. IV, 315. 328. 666 *Huic p.* duo Burm.

Gallicam et Germanicam antiquitatem recoquunt; item Cerda ad h. l. et Heins.

663—666. Religiosa spectacula immiscet poeta: mota ancilia (Martiis Kalendis. v. Ouid. Fast. III, 373 seqq.), Lupercalia (ibid. II, 267 sqq.) et pompam matronarum ad ludos vel sacra, ad quae pilentis vehi licuit. v. Liu. V, 25, 9. Sacra Cereri vel Carmenti facienda Iulius Sabinus potissimum memorat. *mollia* pilenta appellat puto propter mollem et lentum incessum, quem ipsa structura et situs editus ac cellus suasisse videtur. Seruius pensiles currus interpretatur, adeoque mobiles, motu faciles, vt *mollia oscilla*, Ge. II, 389. Iulius autem Sabinus *delicata* exponit. Saltem sic accipiam, quae mollium et delicatorum hominum sunt carpenta. *Apex* laneis vittis ornatus Flaminum proprius.

666—670. Etsi alieno loco intrusa putem loca infera, praeclare tamen ea ornauit. *Catonem piis iura dantem*, tamquam alterum Minoem vel Rhadamanthum, quis non miratus est? Pro *Catilina*

Pendentem scopulo, Furiarumque ora trementem;
Secretosque pios: his dantem iura Catonem. 670
Haec inter tumidi late maris ibat imago

669 *in scopulo* Oudart. *frementem* pr. Rottend. et Ed. Geneu. *timentem* Goth. tert. 670 *pilos* Goth. tert. 671 *Hoc inter* Franc.

erant haud dubie, quos malis supplicio affectos videre. Sed parum prudenter minusque decore poeta Mariym vel Sullam, Cinnam aliumue, qui remp. euerterat, nominasset: Contra in Catilina scelus manifestum et confessum. *pendentem scopulo*, puto tamquam equuleo distentum: tracta rei facie a Prometheo rupi alligato; pro vulture Furiae adsident. *minacem scopulum* tamquam ruiturum et ruina eum sua oppressurum. *Furiarum ora trementem:* vt de Tantalo: *Lucent genialibus altis Aurea fulcra toris — Furiarum maxima Accubat — Exsurgitque facem attollens atque intonat ore:* sup. VI, 605. 606. 607, adde 571. *dantem iura*, iudicem constitutum vt alterum Rhadamanthum: VI, 566. De *Catone Vticensi* agi, liquidum est; vel ex opposito Catilina: alter oppugnauit patriam, alter libertatem propugnauit. Nec vero alius, quam ad eius seueritatem, respectus habitus videtur; quo magis vana est Seruii aliorumque dubitatio verentium, ne Augusto Catonis memoria parum grata esse debuerit. Sed hoc refellere iam alii studuerunt, inprimis ad Horat. I Carm. 12, 35; adde Disc. viri docti in Basnagii *Hist. des Ouvrages des Savans* 1708, p. 102. in qua tamen pauca reperias, quae alicuius momenti sint. At possis in illo haerere, quod Catonem, qui sibi ipsi manus intulit, nunc in Campis piorum locum habere iubeat, cum sup. VI, 434 seq. eos, *qui sibi letum Insontes peperere manu*, alio loco, in prima Inferorum regione, constituerit. Verum aspernatur poeta tam tenacem memoriam, eique licet diuersis carminis partibus diuersas rationes sequi.

671 — 674. Oceanum Homeri Iliad. σ, 606. 607 ante oculos habuisse, et Delphi-

Aurea; sed fluctu spumabant caerula cano;
Et circum argento clari delphines in orbem
Aequora verrebant caudis, aestumque secabant.
In medio classis aeratas, Actia bella,
Cernere erat; totumque instructo Marte videres

672 *spumabat* plerique Pier. Medic. Gud. Moret. sec., etiam ex Goth. alter, vt scilicet *imago spumabat* iungatur; sed recte *caerula spumabant* praetulere Heins. et Burm. *spumabant aequora* Zulich. *caerula ponto* Montalb. a m. pr. Distingui quoque potest: *Haec inter — ibat imago; Aurea sed fluctu spumabant caerula cano;* nescio, an rotundior sic exeat oratio. 673 *arcano clari* Ven. *in orbe* et *in orbes* aliqui Heins. 674 *vertebant* aliquot Burm. et duo Goth. *aestuque* Sprot. 675 *classes auratas* Ed. Ven. *Accia* aberrant aliquot codd. Pier. et Parrhas. *Actia vela* coniecerat Heins. 676 *extructo* aliquot Pier. *instructum* alii.

nes Hesiodi exemplo Sc. Herc. 209 — 212 intexuisse videtur. Aliam Quinti Cal. imitationem iam Cerda notauit l. l. lib. V, 93 sqq. verum is, Homeri exemplo, Oceanum ambire clipei oram fecit. Effinxerat Vulcanus mare ad Actium; spuma albicante et belluis argenteis in mari ex auro facto: naues effictae aere. De reliquis cf. Excurs. de hoc clipeo.

675 sqq. Splendida carminis pars, quam velim vnam clipei argumentum a Poeta factum esse. Iam Propertio hic locus adeo probatus fuit, vt, etsi tum tota Aeneis nondum euulgata esset, ex eo tamen carminis summam praestantiam augurarentur: *Actia Virgilium* (iuuet) *custodis littora Phoebi, Caesaris et fortes dicere posse rates: Qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma, Iactaque Lauinis moenia littoribus. Cedite Romani scriptores, cedite Graii; Nescio quid maius nascitur Iliade:* lib. II El. extr. *In medio* clipei, non maris: etsi hoc mediam clipei partem occupare putandum est; si tamen, praeter pugnam, etiam fugam et triumphum complexa ea est, in plures partes ac loca distincta esse debuit. *Actia* bella, pugnam Actiacam. *totumque instructo Marte* h. classe instructa, *vi-*

Feruere Leucaten, auroque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar
Cum Patribus, Populoque, Penatibus et magnis dIs,
Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammas 680

videre Montalb. 677 *Leuchatem, Leucatem, Leucantem, Leucothoen*, aberratt. *auroque effulgere fluctus;* hoc hemistichium prorsus otiosum et languidum esse arbitror, quodque Tucca Variusque rescindere debebant. Quorsum enim hoc pertinet? inprimis cum iam satis declaratum esset vss. 671. 672 *mare esse aureum.* Et debebat esse *albosque fluctus,* vt cum v. 672 conueniret *fluctu spumabant caerula cano.* 678 *Hic* Franc. 679 *populisque* Ed. Ven. *populo patribusque* Goth. sec. 680 *Stat* Rom. cum aliis Pier. et Heinsius, item Goth. sec., quod praestare puto.

deres *Feruere Leucaten;* locum ex vicinia posuit, vt tanto maior rei esset species. Nam classis vtraque obuersa erat claustris et faucibus sinus Ambracii; pugnatum enim est in exteriore sinu versus mare patente. Agitur autem de ipsa pugna, non de iis, quae anteceserunt. Alioqui locum haberet Florus IV, 11, 4 *Caesar — positisque in Epiro castris Leucadem insulam montemque Leucaten et Ambracii sinus cornua infesta classe succinxerat.* De hemistichio otioso 677 v. V. L. In seqq. non vbique ipsam rerum gestarum fidem, quod nimis religiosum fuisset, quam artis vel carminis rationes et opportunitates videtur sequutus. Nam classi vniuersae M. Agrippa praefuit, Octauianus autem Caesar cum M. Valerio Messala aliisque rerum summae vbique prospicere satagebat. *Italos* praeclare, vt *barbaricas opes* Antonii v. 685 opponeret; et multo augustior rerum species in altero versu: *Cum Patribus, populoque, Penatibus et magnis dIs;* vt caussam reip. a Senatu populoque Romano commissam tueri videretur Augustus. *Penatibus et magnis diis,* explicatiue alterum adiectum pro: et cum Penatibus, magnis diis: cf. sup. ad III, 12. 680. 681. *geminas cui tempora flammas Laeta vomunt.* Perperam ad ocu-

Laeta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.
Parte alia ventis et dIs Agrippa secundis
Arduus agmen agens: cui, belli insigne superbum,
Tempora nauali fulgent rostrata corona.

prima in puppi Prisc. agnoscit lib. VII. cf. III, 527. *g. huic* Gud. 681 *volunt* Medic. a m. pr. *mouent* Sprot. a m. pr. *aperit se* Goth. sec. *aperitur a vertice* Medic., vitiose. Quis tamen credat hoc Cuninghamum recepisse? 684 *lustrata* Goth. pr.

los Augusti fulgentes (v. Sueton. c. 79) refert Seruius et alii. Habuit poeta in animo Diomedis cassidem Iliad. ε, 4 sq. Δαῖέ οἱ ἐκ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος ἀκάματον πῦρ etc., et in miraculum conversus est galeae ex aere fulgor, qui radiorum vel nimbi speciem referre videri poterat, inprimis si bucculas galeae cogites. *laeta* ad splendorem spectat: vt lib. I, 591 *laetos oculis afflarat honores*. Sed cur *geminas flammas* dixit? accipio dictum poetica forma, cum deberet *gemina tempora* memorare. Diuersa res sunt *cristae geminae* VI, 780. In vertice *aperitur*, lucet, apparet (proprie de oriente sidere), stella Iulia, Caesaris capiti appingi solita: in memoriam stellae crinitae, in quam inter ludos funebres habitos anima Caesaris abiisse credita est: vid. Sueton. Caes. 88. Dio XLV, 7, et sup. ad Ecl. IX, 47. Eandem stellam respexit Propert. IV, 6, 30. 31. etsi ille prodigium micantis flammae expressisse videtur: Phoebus *Adstitit Augusti puppem super, et noua flamma Luxit in obliquam ter sinuata facem.*

682. *Parte alia* aciei Agrippa classem agit *ventis secundis*. Aduersus fuerat ad quintum vsque diem ventus. Plutarch. M. Anton. p. 945 F. conf. Seru. in extrema parte notae ad v. 682. 684. *nauali corona*, quae eadem *rostrata*, rostris ex auro vallata, qua paullo ante donatus fuerat in bello Siculo, victo Sex. Pompeio. v. Vellei. II, 81, 3, vbi v. Not., et Cerdam h. l. cum Seruio, et numos Agrippae. Doctius autem dixit *tempora rostrata*.

Hinc ope barbarica, variisque Antonius armis,
Victor ab Aurorae populis et litore rubro,
Aegyptum viresque Orientis et vltima secum
Bactra vehit; sequiturque (nefas) Aegyptia coniunx.
Vna omnes ruere, ac totum spumare, reductis

685 *que* a Pierianis aliquot abest; nec male. *Phariis* coni. Heinsius, eleganter; sed *variis* multo elegantius habendum, vt populos multos ac diuersos habituque adspectuque varios designaret. *Autronius, attonitus*, praue Gothani. 686 *ab europe* Rom. et Goth. tert. *aurora* pr. Rottend. et Leid., iste etiam *populos*. Marklandus ad Statium p. 109 *Ductor ab* emendat; quod ad meum sensum ieiunum est. *Victor* et per se splendidius est, et respectu certe eorum populorum, quos secum trahebat, verissimum; sed et Parthorum et Armenorum respectu non omnino falsum. Nam et Ventidius Parthos vicit V. C. 713, et Canidius, et ipse Antonii legatus, Armeniam deuicit et in Iberos Albanosque exercitum duxit V. C. 716, et ipse Antonius V. C. 718, Artauasde capto Armeniam occupauit V. C. 718. Schraderus ad Musaeum p. 258 acumen τῷ *victor* inesse dicit, *quasi* victor, qui talem se haberi volebat. 687 *Aegupto* codd. Pier. *que* abest Parrhas. Hic Erfurt. alias haud magni momenti codex memorabilem lectionem suppeditat *feresque*: ita vt refingi possit: *Aegyptum, Seresque, Orientis et vltima secum Bactra vehit.*

685. Ex aduerso expressus Antonius: *ope barbarica*, cum copiis ex barbaris populis diuersis (vnde *varia arma*) conscriptis, praeter legiones, quas habebat. cf. Plutarch. M. Anton. p. 944 B. 686. *Victor ab Aurorae populis et littore rubro*, h. Eoo, Indico, magnifice ex sollenni poetarum more. Vult praelia cum Parthis, quibus Oriens tum parebat, dicere, inter quae nonnulla fuere satis felicia. Pari modo *Bactra vltima*, in remotissimo oriente sita, nominat. Habuit Antonius auxilia a rege Medorum submissa, testante Plutarcho p. 944 C. Itidem sic v. 705. 706. *vehit*, ducit copias ex Aegypto et Asia.

689. *reductis remis* proprie Ouid. Met. XI, 461 *reducunt ad fortia pectora*

Conuolsum remis rostrisque tridentibus, aequor. 690
Alta petunt: pelago credas innare reuolsas
Cycladas, aut montis concurrere montibus altos:
Tanta mole viri turritis puppibus instant.
Stuppea flamma manu telisque volatile ferrum

690 *rostrisque stridentibus* pessime legitur cum metri vitio in nonnullis, etiam in Ald. pr. et ex ea excusis; at omissum *que* in Ald. sec. et hinc in aliis; ita *rostris stridentibus* vulgo editum, et lectum quoque in codd., vt Leid. Menag. Goth. pr. Hinc *rostrisque tridentibus* editum in ed. Commelin. ex Palatino; quod sequutus est Pulman. et alii, firmauitque post Cerdam et alios Heins. ex Colot. Medic. Gud. cf. V, 143. *rostrisque rudentibus* Hamb. pr. pro var. lect. 691 *credes* Gud. Versum acumine rhetorico insignem miratur Seneca Suas. I sub. f. adiecto iudicio: *non dicit hoc fieri, sed credi.* Nam addit poeta: *credas innare.* 692 *et* duo Burm. *altis* tres ibid. 694 *telique* ab Heinsio praescripta est tamquam vulgata lectio: fuit ea saltem in ed. Dan. Heinsii; nam vulgo vbique legitur *telisque*, quod firmauit Heins. e Medic., aliisque melioribus; an sic *tela* machinae sunt? ballistae, quibus tela emittuntur? vt manu flamma, machinis sagittae spargantur; quod videtur vulgari interpunctione effici: *Stuppea flamma manu, telisque volatile ferrum Spargitur.* Sustuli interpunctionem, vt sit: *manu spargitur stuppea flamma et ferrum volatile telis.* Vide tamen an recitari possit: *Stuppea flamma, manu telisque volatile ferrum Spargitur.* Ita *flamma* per se, tum tela manibus et machinis emissa, memorantur. Quo tamen exemplo dictum esse

remos. Tum *ruere* videtur dictum transitiue sc. mare remis et ipsa carina, vt sup. I, 35 *spumas salis aere ruebant.* 691. *Alta petunt.* Compara Plutarch. p. 946 B. C. 693. *Tanta mole.* Spectat hoc maxime ad Antonianas naues, ad denos remorum ordines assurgentes, *ad hoc turribus et tabulis alleuatas* etc. Flor. IV, 11, et sua magnitudine, inprimis in ista remigum inopia, ad regendum difficiles. Plutarch. l. c. Dio L, 32. 33. 694. *stuppea flamma:* ad rerum veritatem, cum ab Antonio relictae naues pertinaciter pugnare pergerent.

Spargitur; arua noua Neptunia caede rubefcunt.

Regina in mediis patrio vocat agmina ſiſtro;
Necdum etiam geminos a tergo reſpicit anguis.

putabimus: *ferrum volatile telis?* Brunckius monet *telis* eſſe pro *telorum:* vt V, 609 *per mille coloribus arcum.* Agnoſco analogiam; ſed quam durum eſt: *ferrum telis!* Lenior eſſet ratio, ſi *telum ferro* eſſet ſcriptum. Saltem dicam, *ſpargi ferrum telis,* per tela, h. e. ſpargi miſſilibus. Praefero tamen vel ſic alteram lectionem, cui praeſidium in cod. Rom. eſt *telique volatile ferrum.* Tum *volabile* Montalb., ſed *volatile* iam ſup. IV, 71, quod e Suetio adoptaſſe fertur Virgilius ap. Macrob. VI, 5 extr., e quo laudatur *volucrumque volatile telum.* 696 *Reginam* et *agmine* Rom. *in medio* Franc. v. Burm. 697 *Necdum et* Doruill. *gelidos* coni. Burm. Sane vulgo vna tantum aſpis brachio admota a Cleopatra memoratur (cf. Anthol. Lat. lib. II, 71); cum tamen ſecundum Plutarch. Anton. p. 955 B varii et incerti de necis, quam Cleopatra ſibi intulit, via et ratione rumores fuerint; cf. inprimis ad Propert. III, 11 (ed. Scal. 9), 53. 54; potuit forte et hoc narrari, binos eam angues ſibi admouiſſe, ſingulis forte brachiis ſingulos. Quod idem narrat, fuiſſe qui in brachio Cleopatrae *notas duas* tenues et obſcuras agnouiſſe ſe dicerent, vix ad binas aſpides referri poteſt. At Vellei. II, 87 *admotis ad venas ſerpentibus:*

v. Dio l. c. 34. 35. Horat. I Od. 37, 13 *Vix vna ſoſpes nauis ab ignibus. telis* accipio de machinis ad miſſilia emittenda v. Var. Lect. *nova caede* ſc. inter hos ipſos ignes miſſiles et nauium incendia.

696. Acerbe haec de Cleopatra. Potuit forte, quod tamen ignoro, ſiſtri vſus eſſe apud Aegyptios in bello. Ex hoc tamen loco non conficitur. In ludibrium verſa re ſiſtrum memoratur, quod ipſa, cum turba ſpadonum et feminarum ludis et choreis vacante, in media claſſe verſatur: ſiſtri autem vſus in laſciuia Aegyptiorum frequens. Docet quoque Propertii imitatio lib. III, 11, 43 Auſa Cleopatra — *Romanamque tubam crepitanti pellere ſiſtro.* 697. necdum mortem futuram admota ſibi aſpide proſpicit, aut cogitat. Sequitur forte Virgilius famam aliquam, duos eam angues ſibi admouiſſe.

Omnigenumque deum monſtra, et latrator Anubis,
Contra Neptunum et Venerem contraque Mineruam
Tela tenent. Saeuit medio in certamine Mauors
Caelatus ferro, triſtesque ex aethere Dirae;
Et ſciſſa gaudens vadit Discordia palla:

vt plures fuerint. Cleopatrae morientis ſimulacra fruſtra aduoces, ſunt enim partim Nympharum ſigna, partim recentis manus ſunt. Nec de lamina argentea Pompeiana (*Bronzi di Ercolano* Tom. I extr.) ſatis exploratum eſt, rectene illa ad Cleopatram referatur. 698 *natator* aliquot Pier. *Anobis* Medic. *Anubes* ſec. Rottend. 699 *et* abeſt Doruill. 700 *tenens* Schol. Horat. III Od. 4. *in* abeſt Parrhaſ. 701 *Velatus* Goth. tert. *Diuae* Rom. et Medic. Pierii, Medic. a m. pr., aliique Heinſ., idem agnoſcit Iul. Sabinus. cf. IV, 473. 702 *Exſciſſa* Goth. ſec. *pallas* idem.

698—703. Praelium deorum artifex effinxerat in aere: ab vna parte pugnabant dii Aegyptii, ab altera Romani. In medio pugnam incendunt Mars, Furiae, Discordia, Bellona. Partim haec ex deorum in praeliis Homericis interuentu, partim, inprimis Discordia et Bellona, ex praeclaris locis clipei Achillis Iliad. σ, 535—538 et clipei Herculis apud Heſiodum v. 248 ſqq. 147. 153 ſqq. adumbrata; alias imitationes vide apud Quintum Cal. X, 53 ſqq. XI, 8 ſq. VIII, 186 ſqq. *latrator Anubis*, capite canino, notus vel ex Boiſſardo. Propertius, qui hunc librum, nondum editum, legerat (v. ad v. 675), hinc traxit lib. III, 11, 41 *Auſa Ioui noſtro latrantem opponere Anubin* etc. 701. *caelatus*, exſculptus, nam de anaglypho agitur, et *caelare* ſic proprie in aere dicitur: (vid. *Antiquar. Aufſätze* P. II, p. 134 ſqq.) *ex aethere Dirae* adeoque volantes: quod memorabile eſt. Reddidit eo nomine, puto, Κῆρας Heſiodi in Scut. 248 ſqq. Homero Κῆρες θανάτοιο. Simili modo Mors alata poetis eſt. 702. *ſciſſa Discordia palla*. Eſt *Eris* ex Homero et He-

Quam cum ſanguineo ſequitur Bellona flagello.
Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
Deſuper: omnis eo terrore Aegyptus, et Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.
Ipſa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, et laxos iam iamque inmittere funis.
Illam inter caedes pallentem morte futura

703 *Quin* Goth. pr. *conſanguineo* editum vidit Pierius. 704 *Accius* et h. l. ſcribitur. *arcum tendebat* Medic. Pierii, Gud. et alii Heinſ. cum Doruill. et Goth. ſec. *arcu int.* duo Burmann. 705 *Protinus omnis* Voſſ. pr. *Aegyptos* Probus ap. Heinſ. 706 *Araps* Pier. aliquot. 708 *lapſos* aliquot Burmann. *quo* abeſt Parrhaſ. 709 *Illum* ap. Apulei. de mundo. *caede futura* Oudart.

ſiodo nota. Nouum eſt, quod *ſciſſa palla* illa inſignitur. In arca Cypſeli apud Pauſan. V, 19 erat αἰσχίστη τὸ εἶδος ἐσθῆτα. Redhibuit eam *laceratam pectore veſtem* Petron. cap. 124. *Bellona* cum flagello paſſim obuia. Conf. Cerda.

704. 705. Homero ſublecta et haec Apollinis ſpecies pro Iliacis muris pugnantis Iliad. π, 700 ſeqq., ſed praeclara cum arte et ſollertia. Certavit cum Marone Propert. IV, 6, 55. 56 et 68 et Albinovanus Eleg. in Maecen. 55. 56. Sed eam imaginem facile menti obiicere potuit ſignum in promontorio Actiaco poſitum. Pugnatum autem, vt ſupra diximus, in conſpectu Apollinis Actii, in exteriore parte ſinus Ambracii; de quo videnda Delineatio et Deſcriptio eius ſinus auctore d'Anville (in *Mem. de l'Acad. des Inſcr.* T. XXXII, p. 515). *Actius Apollo* v. ſup. ad III, 275. 707 ſqq. Prima regina fugam circumſpexit, vt omnes tradunt: Plut. Anton. p. 946 E. Dio L, 33. *ventis vocatis* per vela expanſa. v. ad lib. III, 253. *et laxos* intendere funes, adeoque vela explicare et expandere. conf. inſ. X, 229 ibique not. 709. *pallentem morte futura;* quaſi praeſenſione mor-

Fecerat ignipotens vndis et Iapyge ferri;
Contra autem magno maerentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus, et tota veste vocantem
Caeruleum in gremium, latebrosaque flumina, victos.
At Caesar, triplici inuectus Romana triumpho

710 *Iapuge*, *Iapige*, *Iapide*, *Iaspide* in codd., hoc in Goth. sec. 711 *magni*, sc. Pompeii, Waddel. coni. ap. Burm., satis frigide. 712 *et torta* emendabant Gifan. et Vales., sed v. Heins. *et tuta v.* Schol. Horat. Cruqu. ad I Od. 37, et *mota* Cerda coni. *sinum et tota quem* Leid. *sinum et totaque in* duo alii, interpolate. *tota veste*, est, expansa quantum sinus patebat. Laudatur Auson. Mosella 368 *Nauiger vndisona dudum me mole Sarauus Tota veste vocat.*

tis hanc fugam consequuturae. Pallorem autem argento vel alio metallo *debuit* artifex reddere; quemadmodum *vt Iocastae vultum exanimem exhiberet, ex aere et argento conflata massa vsus fertur* artifex. v. Plutarch. Conuiu. Qu. V, 1, et Aristonidas artifex *cum exprimere vellet Athamantis furorem — residentem poenitentia, aes ferrumque miscuit, vt rubigine eius per nitorem aeris relucente exprimeretur verecundiae rubor.* Plin. XXXIV, 14 s. 40. *Iapygem* proprie dixit, nam ab occidentali illa plaga debuit venire ventus Cleopatrae secundus.

711—713. Poeticum visum magnum et praeclarum. Fuga petitur Nilus: is fugientes excipit. Propert. III, 11, 51 in loco hinc expresso: *Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili.* Iam Fluviorum simulacra cogita specie humana, recubantia, et inferiore corporis parte veste tecta, vt tamen sinum facere possint, quem Nilus fugientibus ostentat. Ornate singula, etiam *latebrosa flumina*, quae pro latebris nunc erant.

714 seqq. Tandem trium

Moenia, dIs Italis votum inmortale sacrabat, 715
Maxuma tercentum totam delubra per Vrbem.
Laetitia ludisque viae plausuque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aras;

715 *Moenia cunctorum late comitantibus armis* inepte Goth. sec., nescio vnde arreptum. Plus refert de interpunctione monere, quam Burmannus ad aliarum editionum exemplum immutauit: *At Caesar — dis Italis votum immortale sacrabat. Maxima tercentum totam delubra per vrbem Laetitia, ludisque viae plausuque fremebant.* Ita vero plura parum commode dicta videntur: *votum immortale sacrabat* erit accipiendum forte pro: vota persoluebat. Sed cur *immortale?* et multo magis frigent ista: *templa laetitia, vias ludis plausuque fremuisse.* Itaque reduxi alteram distinguendi rationem. Augustus opera publica, et in his templa, exstruxit plurima, v. Sueton. c. 29, vnde et Liuio, quod satis notum, *templorum omnium conditor aut restitutor* dictus est; idem triumpho inuectus plura templa dedicauit, in aliis dona consecrauit. v. Dio LI, 22. Retraxit haec poeta et in vnum tempus contulit: *maxima tercentum delubra sacrabat, votum immortale,* h. quae vouerat. 716 *de turba* Parrhas. 717 *lusuque* Oblongus Longob. *laudisque* duo Burm. *plausumque* Doruill. *fremebat* alter Goth.; ita saltem iungenda: *plausuque fremebat Omnibus in t. m. chorus;* sed hoc putidum est. 718 *arae* Pier. et Heins. e suis, excepto vno Veneto, probauerunt.

phus Augusti erat repraesentatus in clipeo. Fuit is triplex in trinis diebus: Dalmaticus, Actiacus, Alexandrinus. v. Sueton. Aug. 22. Dio LI, 21. Necesse igitur est ab artifice ea, quae cuiusque diei essent, in vnum fuisse congesta. *votum immortale sacrabat;* templa, opera immortalia, dedicabat ex voto; et quidem magno numero, vnde *trecena* dixit. Quae per reliquam Augusti vitam facta sunt, reuocauit poeta sub vnum tempus. cf. Suet. 29. Dio LI, 22.

717—719. Viuide laetitia publica describitur. Exquisite vero illa dicta pro vulgaribus: omnibus in templis

Ante aras terram caesi strauere iuuenci.
Ipse, sedens niueo candentis limine Phoebi,
Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus; incedunt victae longo ordine gentes,
Quam variae linguis, habitu tam vestis et armis.
Hic Nomadum genus et discinctos Mulciber Afros,

Vellem adiecissent viri docti, quod sententiae acumen in eo deprehenderent. Quid magis frigere dicam, quam in *omnibus templis arae* sc. erant? Licet id credere: sed quid inde? an repetere placet *arae* sc. *fremebant?* Res vero sic expedienda. Exquisite illa dicta pro vulgaribus: Omnibus in templis matronarum supplicantium coetus visebantur, *et arae*, ab artifice expressae, *ante quas* victimae immolabantur. Vulgo lectum fuit *omnibus aris:* idque ex Gothanis primus seruat. *omnibus ara* Parrhas., vitiose. 719 *terras* Doruill. 721 *actatque* Doruill. 722 *l. o. matres* aliquot Pier. 724 *Hinc* hic et sequ. versu aliqui siue vtroque loco siue alterutro tantum. *Numidum* plerique Pier. et tres Goth.

matronarum supplicantium coetus et *arae, ante quas* victimae immolabantur.

720 sqq. Splendida rerum species. Puta triumphatorem Octauianum iam intrasse vrbem. Sedet pro tribunali sub porticu et aditu templi Apollinis Palatini et prospectat (exquisite *recognoscit;* argutatur Burm. in etymo vocis) succedentem pompam triumphalem, in qua portantur coronae aureae, *dona populorum* (conf. Cerda), ducuntur captiui vna cum signis Fluuiorum. 721. *aptatque s. postibus:* coronas ergo in foribus vel porticu templi suspendi curauit. 724. 725. Vides manifeste, quod supra ad vs. 686 monuimus, poetam carmini dignitatem et maiestatem parare ex nominum nouitate vel peregri-

Hic Lelegas Carasque sagittiferosque Gelonos
Finxerat. Euphrates ibat iam mollior vndis,

Numadum alii Heinſ., vt paſſim alibi. v. ſup. ad III, 320. *diſtinctos, disvinctos, deuinctos, discultos*, vitia librariorum: inter quae etiam *Mulcifer* referendum in parte Heinſ. et trinis Goth. *Mulciber* antiquum nomen, quod Maro ab Accio et Egnatio acceperat: Macrob. VI, 5 pr. 725 *Hinc* Goth. tert. *Hinc relegas cerasque* Doruill. *relegas* etiam Rom. *Carrasque* multi: *Carae* etiam Seruio praeſcripti. Male etiam Cerda eo deuenit, vt *Carrhas* Meſopotamiae inferat. *Gelones* duo Burm. 726 *Tinxerat* Rom. *Fixerat* alii Pier. *Pinxerat* quidam apud Taubm.

nitate vel vetuſtate. *Nomadum genus et Afros*. Erat enim in Antonii partibus magna Africae pars a Cyrenis vsque ad Aethiopiam, et interfuit Antonii copiis Bogudes Mauretaniae rex: Plutarch. Anton. p. 944 B. Dio L, 6. *discinctos Afros;* mollitiem hominum arguit veſte laxa et fluente. An is proprius Afrorum habitus fuerit, aliunde ignoramus. *Lelegas Carasque*, vt nominum vetuſtate carmini dignitatem pararet, poſuit pro populis et regibus minoris Aſiae, quos enumeratos vides apud Plutarchum l. c. B. Leleges, de quorum ſedibus Strabo lib. XIII multa disputat, cum Caribus oram Aſiae maritimam tenuerant, antequam ab Ionibus eiecti ad interiora receſſerunt. De his, nec de aliis, Lelegibus h. l. agitur. Fruſtra ad Dacos et Baſtarnas nomen reuocat Maſſonus in *Iano referato* Sect. III c. 5, aduerſus quos M. Craſſus bellum geſſit. Meliore iure ad bellum illud referas *Gelonos*, quos pro Dacis vicinis nominare potuit. Niſi tamen pro Thracibus, vltra quos illi habitabant (cf. ad Georg. II, 115), dicti ſunt, qui in Antonii copiis erant. Horatius, qui ſaepe populos barbaros vltra Danubium memorat, modo Gelonos, modo Getas, modo Sarmatas aut Scythas nominat.

726. *Euphrates ibat iam mollior vndis* h. leniore amne, vt domitum ſe ac ſubiugatum, h. e. populos accolas

Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis;
Indomitique Dahae, et pontem indignatus Araxes.

727 *Norini* Parrhaſ. 728 *Daci* editum olim et ſcriptum paſſim, vel *Dacae*. Male: Ge. III, 497 *Et coniurato deſcendens* Dacus *ab Iſtro*. Sed *Dahae* Medic. *Daae* Rom., etiam Erf., quos vindicauit quoque Cerda. Alii *Dachae, Dachi, Dache, Dace*, indocte, vt et ap. Lucan. VII, 429. vid. ad Silium XIII, 764. *et ponte* Montalb. *Araxis* pr. Hamb.

victos et ſubiectos, ſignificaret. Vti *mollita* dicuntur et alibi, quae victa ac contuſa coercitaque ſunt. Sic *molles animi, mollia corda*. Notum autem vel ex Horatio: *Medumque flumen gentibus additum victis minores voluere vertices:* etſi hoc ad ſeriores annos ſpectat. Magno vero ſpiritu haec dicta et in maius aucta amplificataque ſunt. Aduerſus Parthos enim illo anno nihil aliud nec ſuſceptum nec geſtum, praeterquam quod Auguſtus, Aegypto in poteſtatem p. R. redacta, in Syriam reuerſus Parthorum legatos audiit. conf. Georg. II, 170. IV, f. Si vero haec, quae ſequuntur v. 726. 727. 728, ad triumphum illum recte referuntur, Euphrates et Araxes cum Dahis poetico more populos Orientis deſignant, qui Antonium ſequuti erant, Morini autem et Rhenus triumphum primi diei Dalmaticum reſpiciunt, quo etiam de Morinis, extremae orae Galliae Belgicae ad fretum Britannicum populo (vnde *extremi hominum Morini*, vt *vltimi Britanni, vltima Heſperia*, apud Horatium), et nonnullis Galliae Germaniaeque populis rebellionis ſociis, inprimis Sueuis Rhenum transgreſſis, et a C. Carinate repreſſis, triumphatum fuit; v. Dio LI, 21. Rhenus *bicornis*, Vahalis et Rhenus, vt tum quidem curſus erat, antequam Druſus tertium oſtium, Fleuum, foſſa ducta efficeret. *Dahae*, Nomades ad orientale Caſpii maris littus verſus Oxum incolentes vltra Hyrcanos. *pon-*


Talia, per clipeum Volcani, dona parentis,
Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet; 730
Adtollens humero famamque et fata nepotum.

731 *hŭmeris* Parrhas. *flammamque* Medic. *facta* multi Heins. Vtraque lectio apud Seru.

tem indignatus Araxes; nihil amplius, quam vt flumen rapidum adeoque pontis impatiens diceret, eoque ipso feritatem accolarum Armenorum declararet. Sumserunt hinc Statius, Claudianus, Sidonius, quos apud Cerdam videre licet.

729. Malim *clipeum, dona parentis,* matris Veneris, iungere, quam *talia dona parentis.* 731. *famamque, κλέος*, illustrium factorum sculpturam in clipeo. Ad hunc vltimum versum offenderunt passim viri docti: quibus praeiuit Seruius, seu quisquis ille fuit, quem lacinia pannis Seruianis attexta auctorem habuit: *Hunc versum,* inquit, *notant Critici, quasi superfluo et inutiliter additum, nec conuenientem grauitati eius: namque est magis neotericus.* Addisonus, qui pulcrae simplicitatis sensum habebat mollissimum hunc versum esse aiebat, in quo Virgilius lusisse videretur. Iure notatum versum vt a grauitate alienum et fere frigidum pronuntiat Doruillius. Defendit eundem versum Hurdius, vir ingeniosus et doctus, in *Commentar. Horat.* Vol. I ad v. 97, vbi ambiguitatem sententiae etiam in seueriore carmine tuetur, et hunc locum copiose quidem et satis argute, vt solet, ita tractat, vt ad ancilium religionem et sanctitatem alludi dicat. Enimuero ante pedes erat, quod tam longe petitur, et verbo res transigi potest. Acumen lusus, quem inesse multi arbitrantur, in nostris est sensibus animisque, non in verbis nec in sententia animoque Virgilii. Poeticus sermo ita fert, vt, si quis *clipeum, cui facta praeclara et fata nepotum insculpta sunt,* sustulisse humero (alligatus enim loro clipeus humeris iniicitur) dicendus

sit, res ita efferri possit: sustulisse eum *famam et fata nepotum*. Qui poetica oratione imbutum habet ingenium, nihil amplius cogitat. Qui vero verbatim ista in patrium sermonem transfusa, et ex proprio verborum significatu interpretata mente volvit, notiones alias adiungit, quibus ridicula et inepta redditur sententia.





EXCVRSVS I

Euander Arcas eiusque ſedes in monte Palatino.

Lib. VIII, 51 ſqq. *Arcades his oris, genus a Pallante profectum, Qui regem Euandrum comites* etc. Euander inter fabuloſos heroes eſt, de quibus tamen certior et liquidior aliqua fama erat: nec dubitare licet eum auctorem fuiſſe coloniae Pelasgicae ex Arcadia in Italiam ſeu caſu ſeu conſilio profectae. Vt enim ſuperioribus ſaeculis in Americam, ſic Graeciae priſci incolae migrabant in Italiam, terrarum notarum tum extremam. A gente, quae humanitatis cultum aliquem haberet, ad rudem et incultam eum veniſſe, ex eo intelligitur, quod litteras ſecum attuliſſe ferebatur; cf. Liu. I, 7. Muſicam, artes et vitae huma-


nioris inſtituta alia addit Dionyſ. I, 33. Forte tamen haec omnia ad ſola carmina ſeu vaticinia rediere; nam vaticinandi artem idem intuliſſe memoratus eſt: etſi nec ignotam Italiae, nec barbaris ac rudibus populis adeo inſolentem: ſed tractus ille, ad quem acceſſit, circa Tiberim, a feris hominibus per ſiluas errantibus tum habitatus eſſe narratur. Vaticinia ſeu carmina ad *matrem* eius inter vates habitam referri ſolebant; erat ea incerto nomine, nam, quae vulgo feruntur nomina, ab arte petita ſunt; vt *Carmentis*, puto a *Carmens*, et *Carmentae* et *Themidis*, forte et *Nicoſtratae*; vti comites ei additae *Porrima* et *Poſtuorta*, quia vatibus et praeterita et futura ſunt nota: Seru. ad VIII, 336. Nympham quoque eam ediderant nonnulli, vnde et pater Euandro *Mercurius* datus fuit a poetis, quem ſcriptores *Echemum* Arcadem conſignarunt. Poeta noſter hinc ingenioſe *cognationem* elicuit aliam cum *Atridis* v. 130, aliam cum *Aenea* 134. Cum Atridis quidem hoc modo: Ex Sterope, Atlantis filia, Oenomaus, Elidis rex, ſuſceperat Hippodamiam, Pelopi nuptam, a quo Atridae oriundi. Steropes ſoror erat Maia, Mercurii mater, quem Euandri patrem celebrabant Arcades. Fuit etiam Tyndarei genus a Taygete, tertia Atlantidum, ductum. conf. Apollod. III, 14, 3. 4. 5. Altera ex parte Echemus Timandram duxerat, Clytaemneſtrae et Helenae ſororem, quibus Atridae iuncti erant matrimonio. conf. Seru. et Pompon. Sab. Sufficit, vaticinia per Italiam habita fuiſſe antiquiſſima, ad eam referri ſolita; id quod ad priſcae Italiae ſtatum et indolem declarandam valet. Illud tamen dubito, a Romanisne narratio de Euandro venerit, an, quod magis ſit probabile, a Graecis: vt adeo et haec ipſa forte inter Graecas Italicae hiſtoriae interpolationes referenda eſſe videatur. Certe his deberi videntur, quae de Euandri origine Arcadica narrata ſunt, et de cauſſis profectionis

ſuſceptae. vid. Dionyſ. I, 31 ſeqq. Strabo V, pag. 352. Pauſ. VIII, 43; adde 44 med. Sext. Aurel. Victor O. G. R. 5.

Pallanteum, mox *Palantium* et *Palatium*, Euander condidit, oppidum, vt tum res erant, ſeu arcem in monte Palatino inde dicto. Nomen a proauo Pallante ducit poeta VIII, 54 *Pallantis proaui de nomine Pallanteum:* qui inter maiores Euandri a Pelasgo genus ducentis non occurrit. Poteſt hoc poeta de ſuo finxiſſe, vti Euandri filio idem nomen indidit, potuit et alium auctorem ſequi. Nam Palantem inter Lycaonis filios ediderat Heſiodus, apud Steph. Byz. in Παλάντιον. Alias etymologias, multo minus probandas, habet Varro LL. IV, p. 16. Dordr. Solin. cap. 1, pag. 2 B, vbi vid. Salmaſ. pag. 10. Feſtus in voc. *Palatium.* Seru. ad Aen. VII, 51. A Palantio, Arcadica vrbe, nomen melius deduxit Dionyſ. l. c. qui idem cap. 32 etymologiam aliam, ſed quam ipſe improbat, ab Herculis et Lauinae, Euandri filiae, prole, Pallante, ex Polybio memorat. Sed prior fama vero magis conſentanea, etiam Antonino Pio probata; namque is vrbem Arcadiae Pallantium ex pago fecit et in originis memoriam libertatem cum immunitate a tributis tribuit. Pauſan. VIII, 43. Habitus fuit *Euander* a Romanis inter heroes Indigetes: eius aram ſub Auentino Dionyſius viderat, ibid. cap. 32. Paullo notior eſt *Carmentae* ara, quae ſub Capitolio fuit iuxta portam Carmentalem. vid. Dionyſ. ibid. Solin. 1. *Lupercalium* religio ad Arcades hos cum Euandro Palantium inſidentes vulgo referri ſolita fuit; alia ſacra et inſtituta graeca ab eodem profecta recitat Dionyſ. I, 33.

De *tempore* acceſſus Euandri ad Italiam ſatis inter ſcriptores conuenit, factum eum eſſe LX annos, adeoque

altera aetate, ante Troiam captam, ſub Fauno Latinorum rege. Ornarunt fabulam de Euandro egregie poetae; praeter Virgilium Ouid. Faſt. I, 469 ſeqq., faciem autem locorum, quae Euander tenuit, Propert. IV, Eleg. 1, quae vna ex nobiliſſimis eſt: cum qua comparanda eſt Tibulli lib. II, Eleg. 5.





EXCVRSVS II

De priſcis Italiae incolis et nominibus.

VIII, 314 — 329 *Haec nemora indigenae Fauni Nymphaeque tenebant — Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo Arma Iouis fugiens et regnis exul ademtis. Is genus indocile ac diſperſum montibus altis Compoſuit legesque dedit Latiumque vocari Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris. Aurea, quae perhibent, illo ſub Rege fuerunt Saecula — Deterior donec paullatim ac decolor aetas Et belli rabies et amor ſucceſſit habendi. Tum manus Auſonia et gentes venere Sicanae, Saepius et nomen poſuit Saturnia tellus.* Locus clariſſimus, cuius etiam in hiſtoricis auctoritas eſſe ſolet; illuſtratus quoque a Sext. Aurel. Vict. O. G. R. 3. Videamus itaque paullo curioſius, quae a poeta in eo tradantur.

Antequam Saturnus; ſiue verum id, ſeu, quod probabilius ſit, ſymbolicum eſt nomen, ſationis forte ac melioris

vitae cultus; in eam terram, quae mox Latii nomen obtinuit, veniret, vasta siluarum solitudo, lacus et aquarum colluuies, passim ignes subterranei, late omnia tenebant, nec homines in iis, nisi rari et palantes ac feri. Sallustius in Catil. cap. 6 *Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum.* Aborigines hos fuisse manifestum est, non quasi hoc hominum vel gentis nomen proprium sit habendum; sed communi hoc verbo appellati sunt a scriptoribus primi illi homines ignotae quidem originis, ad Ausonium tamen nomen ac genus, vt probabile fit (vid. sup. Excurs. IV lib. VII), referendi, qui ab origine incoluere loca citra Tiberim. Βορειγόνους interpretatus est Lycophron v. 1253. Cum temporis successu mores legesque illi accepere aduenarum opera. Eas Pelasgos primos Dionysius, Troianos Sallustius, intulisse aiunt; sed communiore fama, victum primi homines in his locis cultumque meliorem a *Saturno* auctore accepisse traduntur, in cuius personam Romani transtulere aureum saeculum et alia plura, quae Graecorum Κρόνος hominum animis subiiciebat, cum semel vtrumque esse eundem putarent, non meliore iure, quam cum Poenorum Baal vel Molochus pro Saturno habitus est. Ab hoc Saturni profugi et latentis in his terris aduentu *Latii* nomen repetit poeta communi popularium errore ex inepta etymologia. vid. sup. Excurs. IV ad lib. VII. In partem beneficii cultus melioris allati aduocatur ab aliis *Ianus*, qui Saturnum hospitio excepisse dicitur. conf. Macrob. Sat. I, 7. Cum semel *aurea aetas* in Saturni aeuum esset reiecta, etiam ferream aetatem ab eius excessu successisse probabile videri debuit. Itaque poeta v. 326 *Deterior donec paullatim ac decolor aetas Et belli rabies et amor successit habendi.* Et ad has temporum vices praeclare refert poeta varias fortunas, quibus partes hae Italiae fuere iactatae. Ad historicam tamen subtilitatem parum accommodate dixisse videri debet: *Tum manus Ausonia et gentes venere Sicanae.* Nam *Sicani*, etsi poetà eos aliis quoque locis (VII, 795 et XI, 317) nominat, nullas in Italia sedes habuere, sed ex

Hiſpania a Liguribus pulſi in Siciliam traiecerunt, vbi temporis ſucceſſu Siculos nacti ſunt accolas, qui ex Italia profugerant. Pro *Sieulis* itaque, ſeu, vt equidem mihi perſuadeo, quod auctores haberet, qui ita traderent, ſeu, quod Seruius ſtatuiſſe videtur ad XI, 317, poeticum morem ſequutus, Sicanos dixit Maro, vt iam Cluuerio obſervatum lib. III, c. I, p. 788, etſi etiam alii ſcriptores eundem errorem admiſerunt, v. c. Gell. I, 10, cum Macrob. I Sat. 5. Maronis exemplo *Sicanos* Rutulis ſocios adiecit lib. VIII, 358 Silius. Tenuerant autem Siculi loca inter Tiberim et Lirim (cf. Dionyſ. I, 9 et al. Inprimis id teſtatur vetus oraculum Pelasgis datum: Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σκτούρνιον αἶαν, ἠδ' Ἀβοριγινίων, ſiue vere antiquum illud fuit, ſiue ſerius fictum). Sane alii Siculos ad inferiorem Italiam et ad ſedes Oenotriorum reuocant, quibus relictis illi in Siciliam traieciſſe narrantur: et habet vtique hoc probabilitatem ex eo, quod e propioribus locis facilior eſſe debuit traiectus in inſulam, quam ex locis circa Tiberim. Enimuero non niſi incerta de his fama ex antiquitate ſuperfuit, quam ad certam aliquam probabilitatem refingere ſtuduerunt ſcriptores, pro ſuo quisque ingenio ac ſenſu. Modi autem erant plures, quibus fama illa vetus digeri et conſtitui poſſet. Itaque alii, vt Antiochus Syracuſanus et Thucydides (Polybium quoque in ea ſententia fuiſſe apparet ex iis, quae de Locris narrat Excerpt. lib. XII, T. III, p. 328), in extrema Italia Siculos fuiſſe aiunt, qui Opicis ceſſerint; pro Siculis alii laudant Elymos, Auſones vel Ligures; alii ex media Italia arceſſiuere Siculos; ex ſuis ſedibus ab Aboriginibus et Pelasgis exturbatos et vsque ad Rhegium per tot barbaras gentes erroribus actos. vid. Excurſ. IV ad lib. VII pr. *Veteres Sicanos* inter adductas a Turno copias recitat poeta lib. VII, 795, adeoque reliquias Siculorum (quos Sicanos appellat) etiamnum, Aeneae aetate, in Italia ſuperfuiſſe neceſſe eſt. Licuit poetae ita opinari; etſi antiquiſſimorum ſcriptorum auctoritate apud Dionyſium binis trinisue ante bellum Troianum aetatibus tota Italia ceſſiſſe narrantur Siculi. At illud alterum magis

probabiliter factum, quod XI, 316—319 agrum Latinum ad Tiberim *finis fuper vsque Sicanos* h. vsque ad Siculorum confinia, *ab Aurunceis Rutulisque* coli ait. Potuerunt enim fines Siculorum etiam iis expulsis memoria hominum frequentari. Disiungit porro poeta *Ausones* ab *Aboriginibus* h. ab iis hominibus feris et silueſtribus, qui primi Italiam coluerunt. Seriores enim, et aurea iam aetate Saturnoque rege sublato, eos Italiam ingressos dicit v. 328 *Tum manus Ausonia.* Potuit et hoc, tamquam poeta, ponere, etiam cum ratione aliqua. Etsi enim communi stirpe procederent et vetus illud ferorum hominum genus et aliae gentes Ausoniae, tamen suis nominibus discretae erant; adeoque mitius ac mansuetius genus per Ausonium nomen declarare licuit. Domeſtica autem fuisse et ciuilia bella inter varias gentes Ausoniae stirpis, adeoque etiam Aborigines bello vexatos esse a ceteris populis communi cum iisdem genere ortis, satis probabile videtur.

Tandem poeta subiicit: *Saepius et nomen posuit Saturnia tellus.* Attigi haec iam supra Exc. XXI, ad lib. I. Declaranda nunc res est paullo vberius, et videndum, an certa sint principia, causſae ac rationes, ad quas reuocari possit. Varia vtique Italiae nomina tradita sunt; si tamen rem paullo accuratius inspicias, parum subtiliter. Omnino frustra hoc expectatur, vt magni terrarum tractus sub vno nomine veniant, antequam sub communem imperii ac regni compagem venerint. Orbis vero terrarum partes nomine proprio designari vix potuerunt ante Geographorum studia. Primis temporibus, vt quaeque gens per stirpes aut per familias sedes sibi proprias cepisset, ita singularum stirpium aut familiarum nomina frequentabantur, neque earum in vnum collectarum, aut communis stirpis, sedis ac loci, nomen in notitiam venire potuit, nisi apud alios homines, qui nouos aduenas certo nomine declarare vellent. Non igitur nisi necessitate suborta, vt alter populus ab altero discerni posset, nomina generica reperta esse probabile sit. Locorum autem ac terrarum nomina, non


nisi ab exteris, qui eas terras adeunt, aut a vicinis populis, in quorum finibus consederunt aduenae, imponi solent. Nomina itaque populorum et terrarum per commercia hominum ortum et causas habent; autochthones, seu primi incolae, nomina vix creant aut curant. Secundum haec tractum illum ab Alpibus ad fretum Siculum porrectum nomine aliquo proprio antiquis temporibus innotuisse frustra sumitur. Sed tractus huius, vt in aliis terris factum, eae partes, quae primae inter reliquas a cultioribus populis, Graeciae inprimis, frequentari coeperant, primae quoque nomine aliquo insignitae sunt; non tam eo, quo indigenae ad suam stirpem aut suas sedes declarandas inter se vtebantur, quam plerumque nouo ab aduenis his vel mercatoribus inuento, et fere ab attributo aliquo locorum vel populi, vel a casu vel a primo terrae aditu, vrbe, promontorio, a noua re, quam vident, accipiunt, petito, interdum etiam ex voce aliqua indigenarum accepta et ad suos sonos deflexa. De talibus itaque populorum aut terrarum nominibus docte quidem multa aliquis argutari potest, sed plerumque inaniter; multo magis si Phoenicia nomina expiscari et enodare volumus; quo quidem genere nihil vidi, quod magis esset lubricum. Multo magis desideres iudicium seuerius, si nomina a poetis adhiberi solita inter nomina populorum ac terrarum propria referunt viri docti: quippe quae creata sunt ab ipsis poetis nouitatis, varietatis, doctrinae aut copiae ostentandae caussa. Quid quod nec nominibus ab historicis prodi solitis multum est tribuendum; quippe quae a primis auctoribus annalium, parum subtilibus ac doctis, accepta propagari solent vsu, et, etiamsi, re diligentius explorata, falsa sint, antiqua tamen superstitione aut vanae opinionis auctoritate, retinentur; vt factum videbimus in Tyrrhenis.

Nomina varia, quae Italiae olim indita memorantur, principio ad singulos tantum diuersis in partibus tractus et agros spectasse probabile fit, quos quidem Graeci primum adierunt vel coloniis frequentarunt. Commune no-

men ne Scylacis quidem aeuo frequentatum fuit; nam is in Periplo Ligures, Tyrrhenos, Latinos, Volscos, Campanos, Samnites, Lucanos, Iapyges, Daunitas, Vmbros, Tyrrhenos ad Adriam memorat; nullam Italiam meminit. *Dauniae* nomen, quo Graeci poetae, et eorum exemplo Horatius, totam Italiam designant, poeta noster simili vsu non commemorauit; at Lycophron v. 1254 Romam conditam ait ὑπὲρ Λατίνους Δαυνίους τ' οἰκισμένην. Quam omnium primam adierunt Pelasgi et Graeci, *Italiae* fuit *ora inferior*. In hac quoque parte Italiae nomen primum auditum, et quidem a Graecis illud impositum ex caussa incerta; eidem soli tractui per multum tempus nomen adhaesit, donec ad vicinas alias aliasque terras proferretur. *Oenotriam*, si proprie dicas, ad sola loca sinui Lametico adiacentia esse reuocandam, et *Italiam* mox in eius nominis vicem succesisse, alio loco vidimus. vid. Excurs. XXI ad lib. I; adde Thucyd. VI, 2. Aristot. de rep. VII, 10. Italiae nomen adhuc ab Herodoto ad inferiorem partem reuocatur; reliqua per Tyrrheniam declarantur (lib. I, 163), quam antea Vmbri tenebant (I, 94). At Aristoteles (eod. c. 10, lib. VII, p. 584 A) τὸ μὲν πρὸς Τυρρηνίαν et τὸ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν καὶ τὸν Ἰόνιον cum Oenotria seu Italia proprie dicta, tamquam partes constituit, in quarum priore Ausones seu Opicos, in altera Chones, qui ex Oenotriis oriundi loca circa Sirin occuparant, in postrema Oenotros collocat. Scymnus Chius, qui sub Attalo II vixit, in Periegesi sua, antiquiores potius quam sui temporis rationem sequutus, post Ligures, Pelasgos cum Tyrrhenis, Vmbros, Ausones, Samnites, Lucanos, Campanos, Oenotrios enumerat: 218 sq. Omnem Italiam mediam aut oram Adriatici maris per Vmbriam declarasse videntur interdum antiquiores, vt in illis, quae de Vmbrorum luxu narrantur ibid. v. 366 sq., quae alii ad Etruscos retulere. Ita vagatur quoque narratio de fertilitate agri inter Vmbros et Adrianos: de Mirab. Audit. 21; nam multo latius olim Vmbri habitarunt vsque ad terras postea Adrianas dictas. *Ausonia* Ausonum sedes declarare debuit, quae a Circeiis inde per

totum maris inferi littus passim sparsae fuerunt. Eadem et Ὀπική dicta, quia Opici seu Osci ex Ausonibus fuere, modo confusi cum iis, modo distincti: v. Strab. V, p. 371 A. B, et Aristot. de Rep. VII, 10, p. 581 A. *Hesperia* Graecum nomen est omnium terrarum ab occidente sitarum. *Latio* igitur nulla nominis varietas manet, quam quod *Saturnia* dicta est. Vides iam, quantopere poetae sermo ab historici subtilitate discrepet.

Nomen autem *terrae Saturniae* proprie ad locum aliquem circa Tiberim, saltem ad cliuum mox Capitolinum dictum pertinuit, qui ab initio *Saturnius* appellatus est (v. Dionys. I, 34. Varro LL. IV, 7; adde Aurel. Vict. O. G. R. 3, vbi v. Annam et Arnzen.). In eo consedisse dicti sunt socii Herculis ex Iberia reducis; vti alterum montem Palatinum tenuere Euandri socii et comites ex Arcadia: cf. Macrob. I Sat. 7, p. 239 ed. Lips.; inde vicina regio Saturnia; αἶα Σατουρνία iam in oraculo Dodonae Pelasgis dato memoratur. v. Dionys. I, 34 (p. 27). 38 (p. 30). cf. Iustin. XLIII, 1; add. alios ap. Cerdam ad VIII, 358. Quando autem tota Italia eo nomine declaratur, ad poetarum hoc morem referendum erat, non, vt Dionysius aliique faciunt, historicis rerum argumentis annumerandum. Virgilius itaque praeclare VIII, 357. 358 de duobus montibus Ianiculo et Capitolino: *Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem. Ianiculum huic, illi fuerat* Saturnia *nomen.*



EXCVRSVS III

Super Etruſcis et Mezentio.

VIII, 478 ſqq. *Haud procul hinc ſaxo incolitur fundata vetuſto Vrbis Agyllinae ſedes, vbi Lydia quondam Gens bello praeclara iugis inſedit Etruſcis. Hanc multos florentem annos rex deinde ſuperbo Imperio et ſaeuis tenuit Mezentius armis.*

Si quid de ſuo fingere recte potuit poeta, erat haec Etruſcorum cum Troianis ſocietas, cum ſemel populos citra Tiberim Latinis et Rutulis ſocios addidiſſet. Etruſcis autem antiquitas ſtirpis et imperii tribui ſolet ea, quae non improbabile faciat, iam Troianis temporibus eos opibus et copiis ſatis valuiſſe. Erat praeterea antiqua illa vtriusque populi conſanguinitas, quam ſup. Exc. VI ad lib. III vidimus, cum Dardanus originem ex Corytho Etruriae duxiſſe ferretur. Habuit tamen et hic poeta famae veterumque fabularum auctoritatem, quam ſequeretur; eamque ita ſequutus eſt, vt nulla in re ab eo deflecteret, quod con-

stante fide traditum acceperat. Scilicet Etruscos, Mezentiumque eorum regem, seu verius Lucumonem (στρατηγὸν Plutarchus appellat Qu. Rom. pag. 275 D. ed. Frf.), cum Latino et Turno Troianis aduenis arma infesta intulisse, constans erat accepta a maioribus fama, etsi diuersis modis narrata. Alii victum Turnum Etruscorum auxilia imploraſſe tradiderant, quos Liuius I, 2 sequi maluit: alii Turno iam occiso Etruscos aduersus Troianos arma sumsisse; factum esse hoc, cum Aeneas aliquot iam annos regnum Latinorum tenuisset; commissam pugnam sub Lauinii moenibus, Aeneaque in Numicio submerso vrbem obsessam tandemque Ascanii consilio et virtute liberatam; Lausum caesum patremque Mezentium in Etruriam dimissum. Ita rem exposuerant L. Caesar et A. Postumius in libro de aduentu Aeneae, laudati ab auctore de Orig. Gent. Rom. cap. 14. 15. Eosdem aut alios auctores, nam Catonem potissimum sequitur, idem tradentes expressit Dionys. Halic. I, 64. 65. Nec discrepant Iustin. XLIII, 1 f., Festus in voc. *Oscillum* ex Cornificio, et Seruius ex Catone, ad Aen. I, 267. IV, 620. At poeta aut diuersos auctores habuit, aut eo fabulam deflexit, vt Mezentius a suis ciuibus regno deiectus ad Turnum confugeret lib. VIII, 489 sqq.

Inter haec tenendum est id, in quo plerique consentiunt, *Mezentium* fuisse *Agyllae* seu *Caeretanorum* regem; vt felix poeta etiam in hac argumenti parte fuerit, vt probabilia, quae sequeretur, in manibus haberet, non ei comminiscenda essent. Conuenit enim hoc cum reliqua historiarum fide, primos opibus inter Etruscos floruisse, saltem exteris innotuisse Agyllaeos, maritimis copiis, et nauigationis commerciis, insigniter auctos. *Hanc* (Agyllam) *multos florentem annos* appellat Maro VIII, 481. Vide Dionys. lib. III, 58. Strabon. V, 337. Hinc quoque Agylla ex omni Etruria vna nota fuit Graecis: et Lycophron v. 1353 totam terram ab hac vrbe designat. Fuere porro Caeretani ex iis Etruscis vrbibus, quae vestigia Pelasgici moris plurima et clariora retinuerant. Itaque bene lib. VIII, 600. 602 apud eos *Pelasgi veteres* sacrum con-

ſtituiſſe memorantur Siluano, antiquo numini, quod Pana aut aliud ſimile numen referebat.

Illud vero mirari ſoleo, vnde ex hoc priſco tempore res tam exiles et parum memorabiles acceperint veteres ſcriptores, quale hoc eſt, quod Plinius lib. XIV, ſ. 14 habet. *M. Varro auctor eſt Mezentium, Etruriae regem, auxilium Rutulis contra Latinos tuliſſe*, vini mercede, *quod tum* in Latino agro *fuiſſet*. Varie, vt in tanta rerum antiquitate, traditum fuit hoc idem. Nam L. Caeſar et A. Poſtumius ſupra laudati inter conditiones, quibus in deditionem accipere vellet Latinos Lauinii obſeſſos Mezentius, memorauerant hanc, *vt omne vinum agri Latini aliquot annis ſibi inferretur*. At Aſcanii conſilio et auctoritate, — *vino ex omni vindemia Ioui publice voto conſecratoque*, Latini vrbe eruperunt, fuſoque praeſidio interfectoque Lauſo, Mezentium fugam facere coegerunt. Is poſtea per legatos amicitiam ſocietatemque Latinorum impetrauit. Ita Victor O. G. R. 15 et ſimilia apud Dionyſ. I, 65. Etiam Plutarch. Qu. Rom. p. 275 D. ed. Fr. rei tamquam vulgo narratae meminit, ſed ſic vt ad Aeneam transferat, quae alii de Aſcanio narrarunt. *Ruſtica vinalia* a Romanis in huius rei memoriam (XII Kal. Maii) fuiſſe inſtituta Feſtus notauit, Anna Fabri ad e. l. obſervante. Quae res ſaltem hoc docet, antiquam fatis et a maioribus acceptam eius rei famam apud Romanos fuiſſe; veritate enim et hiſtoriae fide huiusmodi narrationes non nituntur. Etiam de eius feſti origine varia fuit inter Romanos narratio. v. Varr. de LL. V, p. 48 ed. Dordr. et ipſum Feſtum e. l. Exornauit narrationem ſuo more Ouidius Faſt. IV, 877 ſqq., vt tamen Varronem potiſſimum ante oculos habuiſſe videatur.

Quaeri nunc poteſt, quid Virgilium adduxerit, vt Mezentio tam atrocem perſonam indueret, eumque *Deum contemtorem et ſacrilegum* exhiberet. Poetae ingenium quo tramite progreſſum ſit, facile ex modo memorata narratione intelligi poteſt, et a Macrobio quoque explicatum ſatis eſt Sat. III, 5 *Sed veram huius contumaciſſimi nomi-*

nis (quod contemtor diuum dictus est) *causſam in primo libro Origg. Catonis diligens lector inueniet Ait enim Mezentium Rutulis imperaſſe, vt ſibi offerrent, quas diis primitias offerebant: et Latinos omnes, ſimilis imperii metu, ita vocaſſe* (l. vouiſſe): *Iupiter, ſi tibi magis cordi eſt, nos ea tibi dare potius, quam Mezentio: vt ei nos victores facias! Ergo quod diuinos honores ſibi exegerat, merito dictus eſt a Virgilio contemtor deorum.* Cum impietatis nota, inuſſit deinde poeta ſaeuitiae omnisque crudelitatis infamiam, vt et viua corpora alligaret cadaueribus. v. lib. VIII, 483 ſqq. Hoc poſtremum ex antiquis Tuſcorum fabulis mutuare potuit. Nam Seruius ibi ad 479. 485 ex Ciceronis Hortenſio memorat Tyrrhenos diu piraticam exercuiſſe, *cum captiuos nouis poenis affligerent, occiſorum eos religantes cadaueribus.* Locus ex Hortenſio, quod Cerda quoque notauit, ſeruatus eſt ab Auguſtino contra Iulian. Pelag. lib. IV, 78. Hinc ea immanitas tributa eſt Etruſcis a nonnullis, vt a Valer. Max. IX, 2, exter. 10, vt eos *viuorum corpora cadaueribus aduerſa aduerſis alligata atque adſtricta — tabeſcere ſimul* paſſos eſſe narrarent.

Priſcas fabulas non modo, verum etiam Catonis plerorumque Romanorum miros errores ſuper originibus Italiae a Graecis repetendis, poetam in rem ſuam ingenioſe vertere paſſim vidimus. Alius fuit communis Romanorum, a Graecis acceptus error, vt Etruſcos, Graecis Tyrrhenos dictos, e Lydia repeterent. Errorem dixi, cuius cauſſas alio loco expoſui *(Nov. Commentar. Soc. Gotting.* Tom. III, Parte hiſtor. pag. 36 ſqq. in Comment. *de fabb. relig. Graec. ab Etruſca arte frequentat.)*: inter quas praecipua fuiſſe videtur ipſa nominis antiqui Raſenarum vel Turaſenarum, deprauatio per Graecos in vocem Τυρσηνῶν, Τυῤῥηνῶν, quod modo a τύρσεσι turribus ducebant, modo a Tyrrheno aliquo, qui coloniae auctor fuiſſet. Iam in priſcis Lydorum fabulis occurrebat Tyrrhenus Atyos filius et Manis nepos; hunc itaque Tyrrhenis ſeu Etruſcis nomen

impertiisse deducta ex Lydia colonia mature traditum fuit a nonnullis, quos Herodotus sequitur lib. I, 94, et ex eo Strabo V, p. 335. 336, et Dionys. I, 27. Vellei. I, 1, 4. Tacit. Ann. IV, 55, inprimis Lycophr. 1351. 1359. Dionysius et illud addit, variasse alios et tempora et homines, et vero etiam sapienter monet: a Xantho Lydo, qui patriam historiam conscripserat, a quo adeo vnice hac in re standum erat, nec Tyrrhenum vsquam memorari, nec Maeonum coloniam in Italiam deductam: Atyos vero filios Lydum et *Torrhebum*, vel forte *Tyrrhebum*, deprauata forte scriptura, quam aliquis in vetere Xanthi codice offenderat, Τύῤῥηβον vel Τόῤῥηβον pro Τύῤῥηνον. Ex prisca Pelasgorum stirpe populum fuisse Tyrrhenos, qui vsque ad seriora tempora Lemnum, Imbrum aliaque vicina continentis quoque loca insederant, dubitari nequit. Etiam hos ad Tyrrhenos Italiae retulerunt scriptores, nominis similitudine decepti, sed Dionys. I, 25 eam rationem iniit, vt eos ex iis ipsis Pelasgis fuisse diceret, qui Italiam insederant antiquitus moxque in communi gentis clade inde discesserant: accepisse nomen, quod in Tyrrhenorum finibus consederant. Verum haec Dionysii coniectatio, non narratio antiqui scriptoris fide accepta, est, quae adeo pro fundo historiae a viris doctis haberi non debebat, vti multa alia, quae in hoc primo libro Dionysius manifeste *non vt narrata* verum *opinata* apponit. Myrsilus Lesbius et ipse Tyrrhenos Italia relicta erroribus iactatos tradiderat (apud Dionys. I, 28), sed ineptam narrationem de suo affuit, ab his ipsis erroribus eos tum Πελαργοὺς, *ciconias*, dici coepisse. Contra Anticlides, non ignobilis scriptor, Pelasgos, Lemno et Imbro prius constituta, cum Tyrrheno, Atyis f., in Italiam contendisse tradiderat ap. Strab. lib. V, p. 339 A, quae variae sunt veterum scriptorum periclitationes in vetere fama cum rerum aliarum rationibus componenda. Hellanicus in Phoronide, antiquissimus scriptor, Pelasgos, postquam in sinum Adriaticum appulsi in interiora Italiae immigrarant, narrauerat Tyrrheniam condidisse (Dionys. I, 28); qui ex parte verum

tradidisse videri debet: item Scymnus Chius in Perieg. 218 Κοινὴν δὲ Τυῤῥηνοῖσι χώραν νεμόμενοι: sc. Pelasgi, qui tamen subiicit alia, quae erronea sunt. Etsi enim, Etruscorum origines vltra Alpes quaerendas esse, dubitari vix potest; quod alio quoque loco accurate disputatum est; Pelasgos tamen in has easdem ab occidente Tiberis sitas terras immigrasse, multa arguunt: quos communi gentis nomine fuisse comprehensos nemo mirabitur, vt tamen inde nec contendat quis, Etruscos fuisse Pelasgos. Poeta tamen haec omnia, etsi subductis accuratius historiae calculis recte explosa, erudite et sapienter inter ornamenta carminis adsciuit. Itaque VIII, 479. 480 de Agylla seu Caere, *vbi Lydia quondam Gens bello praeclara iugis insedit Etruscis.* IX, 11. X, 155 *Lydi* pro Etruscis; et lib. II, 781 *Lydius Thybris* a duce Tyrrheno e Lydorum gente. Et quoniam Maeones veteres Lydiae coloni fuerunt, hinc Etrusci *Maeonia iuuentus* VIII, 499. cf. XI, 759. Noua nominis inflexione apud Rutilium Itiner. I, 596 *Tyrrhigenae* dicti sunt.

Tarcontis seu *Tarchontis* nomen, quo poeta inf. v. 603 Lucumonem Agyllaeorum impertiit, non minus ex vetere memoria repetitum est. Fuit enim Tarcon aliquis, qui Tarquinios in Etruria condidisse ferebatur. Eum statim cum Tyrrheno e Lydia in Italiam venisse, Strabo traditum acceperat lib. V, p. 336 A, vulgoque narratum, fuisse eum canum a puero: qua fabula viri sapientiam declarare voluere homines. Repetit eam Eustath. ad Dionys. Perieg. 347 et ad Iliad. B. p. 167, l. 23. Discedit ab his Silius, lib. VIII, 474, a quo *Cortona superbi Tarcontis domus* edita est; et secundum alios, quos Cato Origg. 1 sequebatur, apud Seruium ad lib. X Aen. 179 Pisarum ille conditor habitus est, ab aliis Mantuae ap. Serv. ad X, 198, quibus saltem hoc constat, fuisse Tarcontem inter auctores populi habitum, multasque ad eum vrbes originem retulisse. Aliter ornauit fabulam Lycophron v. 1245. 1249, vbi, praeter Vlyssem, *Tarchon* et *Tyrrhenus*, Telephi Mysorum regis

filii, occurrunt Aeneae in Italia societatemque cum eo iungunt (qui ibi memoratur οἰνοπὸς θέοινος, Bacchus est: cf. Schol. ad 209, de quo non bene dubitaueram). Totus ille locus a v. 1239 memorabilis est ad declarandas veterum Graecorum de his locis notitias: dicitur Aeneam erronem excepisse Tyrrhenia, quo nomine poeta bene Italiam omnino et inprimis loca ad Tiberim declarare potuit, sed, nomine Tyrrheniae seu Etruriae semel posito, alia loca eius maritima recenset, *Lynceum* fluuium, *Pisam et Agyllam*. Cum Lynceum *calidas aquas ebullire* dicat, Cluuerius Ital. ant. pag. 472 paruum amnem nunc *Cornia* dictum ad Vetulonios, vltra promontorium Populonium, probabiliter interpretatur Lynceum, quandoquidem ille calidas aquas paludosas transmeat. cf. sup. Exc. I ad lib. VII, p. 515.

EXCVRSVS IV

De Aeneae clipeo.

VIII, 625 *clipei non enarrabile textum.* Inuenti laudem in splendido hoc loco Virgilio non magis, quam in tot aliis, quae in Aeneide merito miramur, deberi, nota res est. Praeiuerat Homerus clipeo Achillis Iliad. Σ, et Hesiodus, aut quisquis ille fuit, clipeo Herculis. Sed ingenii vim tanto acriorem adhibuit poeta ornando et expoliendo eo, quod ab aliis iam occupatum fuerat. Atqui nec ea ingenii infima laus est. Quae autem in hoc episodio inprimis probanda sunt, haec esse arbitror: primum, quod argumentum elegit argumento et consilio carminis lectorumque Romanorum ingeniis inprimis accommodatum, cum Homerus tantum mirabilia vel adspectu aut varietate grata sectatus esset; Fecit id porro summa cum maiestate verborum, sententiarum et phantasmatum; Consequutus etiam est nouas mirationis causas per expositionem rerum futurarum, quarum cognoscendarum animus humanus auidissimus est: Cumque adeo res Romanas tamquam vaticinii aliquo genere narraret, ad grauiorem spiritum assurgere, res ad miraculum euehere, augere, et amplificare tuto potuit. Sane quidem Aeneae omnia ista, quae in clipeo expressa videbat, prorsus obscura esse debuerunt; *rerumque ignarus imagine gaudet;* verum in his lectorum potius voluptati, quam herois personae, consulere licuit.

Ex *artificii veteris descriptione* passim poetae carminum suorum ornamenta petierunt, quo veteres fabulas in eo expressas narrare liceret. Inter varia inuenta nullum tamen aliud genus opportunius esse videtur clipeo, si priscum clipeos sculpto opere ornandi morem reputes. Multo minus commode v. c. Apollonius I, 721 sqq. fabulas Iasonis pallae intextas enarrat, Europae calatho Moschus Idyll. II, 37 sqq., in veste stragula Catull. LXIV, 50 sqq., in cratere expressas fabulas Met. XIII, 681 et in foribus regiae Solis lib. II,

5 sqq. Ouidius. In palla Harmoniae orbem terrarum acu pictum exhibet Nonnus Dionys. XLI, p. 1070, et sic alii alia. conf. Excurs. IV ad lib. V, vbi add. vestem Sybaritae in Aristot. Mirab. Audit. c. 99 et ibi not. Non ea in his materia, non is arti exercendae locus, vt magnam rerum varietatem expressam satis recte commemoret aliquis.

Acumen autem Virgilii in rerum dilectu et summum ornatum cognoscere qui volet, non modo Homericum illum et Hesiodeum clipeum comparet necesse est, verum eos quoque, qui ad eius exemplum idem argumentum retractare voluerunt: Silium lib. II, 395 sq. Quintum Cal. V pr. Nonnum lib. XXV, p. 664.

Praerepta erant Virgilio, vt in tot aliis, ea, quae in quaque re, in quoque phantasmate, primus ingenii impetus, ipsa naturae vis, primo loco offerre solet animo. Haec occupare liberum erat Homero, tamquam in vacuam possessionem venienti: adeoque eum omnes post se victuros poetas superare in multis necesse erat, sic vt ipse nunquam ab ipsis vinci posset. Cum tamen exponeret omnia cum simplicitate summa, reliquit hoc ipso ingeniis aliis laudem saltem ex eorum, quae pertractasset, exornatione et expolitione.

Homericus clipeus haud dubie plus habebat veritatis, maioremque faciebat operis, tam affabre facti, vt dei manus haberetur, mirationem, quod ad vitae priscae morem, sensum, opinionem, quam totum eius opus spirat, haec erant narrata. Phantasmata, quae oculorum animique sensui obiicit, ἐνάργειαν habent maximam; sunt grandia, pulcra, suauia. Itaque Miltonus in diuino loco de Adami viso ex colle Paradisi lib. XI, 639 Homerum in multis, quam nostrum poetam, exprimere maluit. In *Virgilio* contra captatam occasionem, imitationis studium, argutias varietatis agnoscas facile. Dum autem artis et ingenii expectationem his ipsis facit, excutit ille animis nostris antiquae

heroum vitae, in qua versari debebat narratio, morem speciemque, quae tam iucundum errorem in Homero obiicit, vt ea, quae fabulose tradita, praeter rei naturam in ipso clipeo narrata, occurrunt, credi tamen ab iis hominibus et recte credi potuisse arbitremur. Virgilium autem apparet multa non credidisse, quae alios credere voluit: et hoc voluptatis vim omnem imminuit. Vtinam saltem grauiorem et probabiliorem *caussam* reperisset, cur Aeneae clipeus diuina arte factus afferendus erat! Achillis clipeus Patroclo spoliato in Hectoris potestatem venerat; Eodem ille mox tectus in pugna muneris praestantiam commendat: Iliad. *υ*, 264 sq. In Aeneae strenue factis clipei praecipuus vsus non occurrit nisi forte in pugna cum Turno lib. XII, 739. Desiderare licet pari modo grauiorem caussam clipei ab Hesiodo tam copiose descripti.

Inferior Homero in hoc Maro est, quod, vt iam a Seruio obseruatum, *illic singula, dum fiunt, narrantur: hic vero perfecto opere noscuntur. Nam et hic arma prius accepit Aeneas quam spectaret; ibi, postquam omnia narrata sunt, sic a Thetide deferuntur ad Achillem.* Quae his subiicit alia Seruius, non probanda censeo: verum, cum ab Homero alteram rationem occupatam videret, quid faceret Maro, nisi, vt, si quid nouare volebat, quod vtique debebat, ad alteram vel inuitus descenderet, narraretque adeo ac potius describeret, quae iam facta erant. Sed haec iam veteribus obseruata, vt in Seruio vidimus, docte ac subtiliter exposuit Lessingius in *Laocoonte* p. 184 sqq.

Est tamen aliud non aeque obseruatum, quod tamen magnum inter Homerum et Virgilium et vtriusque clipei descriptionem discrimen constituit. Ab Homero argumenta ita descripta sunt, *vt oculorum sensui obiecta, et ante oculos posita esse videantur;* at Virgilius aliam viam ingressus *menti et animo*, ea, quae expressa in clipeo fuerint, *cogitanda, non videnda*, proponit. Nam exorsus

erat: *Illic res Italas fecerat* v. 626 nec vero eas deinceps enarrat, sed potiora tantum nonnulla ex iis attingit, alia disertius quidem exponit, ita tamen, vt in mentem potius reuocet, et, quomodo expressa sint aut esse potuerint, iudicanda lectori relinquat. Nec nisi in rebus Augusti ad clipei ipsam speciem animum nostrum reuocat et anaglyphum opus aliquod describit: 671 *Haec inter tumidi late maris ibat imago* sqq.

Pugnam in clipeo exsculptam Romanus poeta egregie variauit, si cum Homerico et Hesiodeo clipeo compares. Graeci poetae illo antiquo sermone praeclare in hoc vsi erant, vt Ἔριδα, Κῆρα, Φόβον, in acie constituerent. Reddita haec ipsa aut similia sculptoris arte fuerunt in Cypseli arca apud Pausaniam, quae sigillatim olim accuratius a me exposita sunt: Virgilius *pugnam naualem* substituit et ab Apolline Actiaco propria rerum argumenta petiuit verss. 677 sqq.

Cum in his Virgilium vel defendam vel excusem: est aliud, quod ab aliis non reprehensum video, ipse aegre fero. In *rerum* scilicet *dilectu*, quas in clipeo exsculptas dedit, certum iudicium vix sequutus videri potest. Omissis enim multo clarioribus factis intexuit nonnulla, quae quomodo inter insigniora Romanorum facta vel fata referri potuerint non assequor: vt Meti Fuffetii supplicium, quod quomodo defendam non habeo; etiamsi dixero, Alba diruta Romam insignia consequutam esse incrementa, et foeditatem spectaculi, ad nostrum sensum intolerabilem, asperis et gladiatoriae pugnae adsuetis Romanorum animis minus displicere potuisse. Religionum maiestas excusare forte potest Saliorum tripudia, Lupercorum discursationes, matronarum pompam; in iis tamen nimis presse et anguste Homerum aemulatus esse videtur, qui v. 590 chorum elegantissime effinxerat. Anserem volitantem si omisisset, argumenti maiestati ad nostrum sensum melius consuluisset. Intercipitur porro totus argumenti Romani tenor rebus in-

feris interpositis, etsi video, quid in his sequi potuerit poeta. Voluit forte Catilinae et Catonis meminisse, quorum alterum in inferis scelerum poenas luere par est credere; et oratione docte variata loca commemorat, in quibus illi detinentur. Habet speciem aliquam, nec tamen multum probabilem, hoc, vt dicas, delegisse poetam ea, quorum illo tempore signa passim et sculpta aere vel marmore opera Romae cernebantur. De Lupa, de Sabinis raptis, de Coclite, de Cloelia, Manlio, et anfere verum hoc esse forte potest. Fit quoque probabile, fuisse Augusti tropaea in Capitolio, quae Actiacam pugnam exhiberent.

Inserta est Virgilio in anglicum sermonem a Wartono aliisque conuerso sub Tom. III finem disputatio elegans Viri docti, *W. Whitehead*, super hoc clipeo, in quo ille argumenti dilectum et rationem ita tuetur, vt ciuitatis Romanae statum et conditionem inde ab origine per singulas aetates, simulque summum opum fastigium, quo ab Augusto illa adducta est, describi dicat; omissis tamen iis, quae iam alibi poeta attigerat, v. c. Aen. VI, 756 sq. Expressa itaque esse vrbis primordia, raptas Sabinas, foedusque factum, quo Curibus in vrbem receptis incrementum iam insignius Roma accepit: mox foederis rupti poenam Meti supplicio inflictam: libertatem partam regibus eiectis: bellum Gallicum et Romam reparatam; religiones per Salios, Lupercos, et Matronas declaratas: praemia et poenas apud inferos: tandem Actiacam victoriam, qua terrarum orbi pax et tranquillitas parta, receptaque ex fluctibus ciuilibus ciuitas mox laete efflorvit, Augusto principe: vt illud Propertii lib. III, 11, 50 acclamaretur: *cape Roma triumphum Et longum Augusto salua precare diem.*

Ingeniosam hanc esse clipei enarrationem non nego: vereor, ne illa sit nimis ingeniosa, nec idoneis rerum argumentis declarata: non enim delectum rerum in clipeo sculptarum ita institutum videmus, vt ciuitatis Romanae ata potiora in iis comprehensa sint. Hoc igitur primo loco

erat docendum, ciuitatis Romanae fortunam per haec maxime facta et euenta esse constitutam *).

De *artis* respectu iudicioque, quod multi in poeta nostro agnoscunt, omnino mihi quidem adhuc parum liquet, nec, si dicendum est, quod sentio, magnum aliquod seu picturae seu sculpturae studium poetam nostrum tenuisse arbitror. Nam primum, quae ille exposuit, nihil tale produnt, et eiusmodi sunt, vt etiam vulgariter quisque artium peritus ea carmine comprehendere possit. Tum vero, vt poeta ab eo consilio longissime abfuit, vt artis subtilitatem sequeretur, ita occurrunt non pauca, *quae a sculpturae natura recedunt*, nec facile nec commode ea arte tractari possunt. Qui mare vna cum pugna naVali expressum et tamen in eo innatantes delphines reddidit

*) Simili fere ratione autumabat vir doctus litteris ad me datis *seriem quandam fatorum* in Romanorum *opibus augendis* exhibere voluisse poetam; „hoc eum ipsum innuere partim ab initio: v. 626 *Illic res Italas Romanorumque triumphos — illic genus omne futurae Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella*, tum in fine 731 *Attollens humero famamque et fata nepotum* (de *serie* tamen nihil in his). Ducta serie a partu gemellorum, sequi incrementa vrbis ex nouis ciuibus Sabinis adscriptis v. 635, nouos auctus per Albanos Romam traductos (declaratosne per supplicium Meti? 642), redditam inde et firmatam libertatem Porsenna ab vrbe depulso 646, et vrbem a Gallis liberatam 652. Omissam esse victoriam de Pyrrho et Poenis, quippe quam iam libro VI Anchises memorauerat (satis obscure). Iam subiici a poeta causas incrementorum tantorum, pietatem in deos et cerimoniarum religionem v. 663, secundum illa Horatii III, 6, 5 *Dis te minorem quod geris, imperas*. Quod autem sequitur: *Di multa neglecti dederunt Hesperiae mala luctuosae*, a Virgilio subiungi scelerum in patriam commissorum et natorum inde bellorum ciuilium declaratione (666 memoratur Catilina in Tartaro, Cato in sedibus piorum). Tandem in Romani imperii maiestate ab Augusto vindicata et per terrarum orbem propagata poetam subsistere.“ Sagacitatem et acumen in rerum similium comparatione nemo desideret.

(vss. 671. 674), nae is non adeo magnam graphices peritiam habere potuit. Omnino de arte nec cogitauit Virgilius, nec debuit cogitare, quandoquidem ipse diuersum rei consilium exponit: *Illic genus omne futurae Stirpis ab Ascanio pugnataque in ordine bella.* Atque ex iis decerpturus nonnulla subiicit: *Fecerat et viridi* etc. At enim cum Homero certamen iniit, eiusque exemplo plures anaglyphorum areas constituit; hoc sibi propositum habuit primo loco; altero vt Romanis suis placeret. Si artis rationem habere voluisset, non diuidere clipeum in tantum paruarum arearum numerum, sed, omissis et abiectis ceteris, reuocare omnia ad vnum magnum ac nobile argumentum, et aream saltem *vna pugna Actiaca* exornare debebat, qui totius clipei haud dubie splendidissimus locus est. Quo facto poeta, censeo, probabilitati non modo artis, verum et poeticae probabilitati melius consulturus fuisset.

Sunt tamen *nonnulla ad exprimendum artifice manu egregie accommodata*, multisque passim operibus expressa: vt Romulus et Remus lactentes, raptus Sabinarum, mox bellum et tandem foedus ictum. Meti Fuffetii supplicium, etsi ad sensum nostrum nimis foedum et auersandum, vt iam diximus, duris Romanorum ingeniis forte minus displicuit. Vrbs a Porsenna obsessa, reuulsus ab Horatio Coclite pons, Capitolium a Gallis obsessum, et a Manlio propugnatum; Saliorum saltatio, Lupercorum discursus, matronarum inuectio: sunt haec talia, quae opere exsculpto expressa placere potuerunt.

Enimuero, dices, sunt *alia, quae ab artifice reddi nequierunt;* in his illa: *Incedunt victae longo ordine gentes, Quam variae linguis, habitu tam vestiis et auro* — et paullo ante: *Omnibus in templis matrum cho-*

rus, omnibus arae etc. arcum intendebat Apollo Desuper, omnis eo terrore Aegyptus et Indi, Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei. Talis vero reprehensio hominem, artis forte notitia imbutum, poetices vtique imperitum argueret. Est enim hoc in poeta nostro magno ingenio et arte factum, quod ornatum iniecit tamquam vestem narrationis nuditati, nec satis esse putauit, describere opus toreuticum, in cuius veritate seruanda nullam sibi videbat religionem esse impositam. Nec hoc ad artem pertinet, aut excusatione adiuuandum, aut inter poeticas licentias referendum, quod viri docti faciunt (Misc. Obss. Tom. I, p. 20. IV, p. 198, et Burmann. h. l. ad VIII, 634, et ad Aen. I, 483); verum poetices lex et natura facere iubet, vt res ab arte expressas iis auxiliis et modis, quibus illa valet, poeta exprimat suis coloribus et ornamentis. Hinc tuenda illa v. 634 *Mulcere alternos*, et v. 697 *Necdum etiam geminos a tergo respicit angues.* Nam poetae haec sunt, nec ab artifice duae aspides expressae erant. Sicque tot alia ad ornatum faciunt, aut poetica phantasmata obiiciunt, quibus inflammata mens multa videt, quae sensibus subiecta non sunt: *Illum indignanti similem similemque minanti Adspiceres* etc. Sed in his, in quibus pro se quisque facile disertus esse potest, disertum esse nihil attinet.

Difficillima operis declarandi et commendandi pars est pugna naualis vna cum mari: qua in clipei parte illa locanda sit in operis descriptione: inprimis cum poeta id tam parum diserte exposuerit: 671 *Haec inter*, ait, *tumidi late maris ibat imago.* Potest adeo esse inter cetera, quae clipeus exhibebat, argumenta, aut inter cetera, quae poeta recensu facto memorauerat; quo sensu constituto pugna erat argumentum areae ceteris similis. Probabilius tamen, totum mare cum pugna in vmbonem ac mediam par-

tem fuisse reiectum. Ita tamen superest alia difficultas, qua in parte triumphus Augusti 714 sqq. expressus esse videri debeat. Saltem in medio clipeo locum vix habere potuit. Secundum haec, si aequi esse volumus, suum cuique aestimandi relictum esto arbitrium.

An *clipei superficies tot rerum diuersarum argumenta capere potuerit*, nunc nemo facile quaerat: post virorum ingeniosorum operam in clipei adumbratione stilo aereo facta collocatam. Alterum exemplum in Anglica interpretatione supra commemorata vidimus ad *Whitehead* iudicium, L. P. Boitardi arte, sed, quod factum nollemus, ad picturae naturam propius expressum; alterum, quod anaglyphum melius refert, arte tamen et iudicio alteri posthabendum, opera *Le Lorrain* ad *Comitis de Caylus* praecepta (Tom. XXVII *Hist. de l'Acad. des Inscript.* t. III). Consentit vterque artifex in hoc, vt exterior clipei ora, in plures regiones distincta, comprehendat ea, quae a v. 630 ad v. 670 commemorata sunt; reliqua autem in interiorem aream reiiciunt. Exterioris illius orae regiones constituunt vterque duodecim. Sunt tamen alia, in quibus in diuersa abeunt; in aliis vterque veritatem argumenti et moris Romani deserunt. Sed singula persequi velle, inprimis nulla clipei delineatione adiecta, fastidium faceret. Interiorem aream ab exteriore separat circumductus in orbem, sed tenui limbo, Oceanus, innatant, quod rideas, delphines. Apud Homerum et Hesiodum, Oceanus extremam clipei oram ambit. At Virgilius Oceanum omnino non memorat, sed 671 *tumidum mare*, scil. Ionium: quod nostri artifices in area interiore ponunt; hanc enim, seu vmbonem clipei (vt adeo *In medio* v. 675 sit, in medio clipeo), artifex Gallus in tres areas, quae pugnam in mari Actiaco, fugam, triumphum exhibent, Britannus autem, reiectis locis inferis in nouissimam inter XII areas, in quatuor regiones diuisit:

vt prima sit inita pugna v. 676—688, tum pugna commissa vss. 689—703, tertio fuga 704—713, tandemque triumphus 714. Spectant ex his tres ad mare ad Actium. Equidem bene perspecta non habeo, nisi forte haec: inesse clipeo argumenta, quae ab artifice non infeliciter tractari possint, et artis quoque operibus passim reddita sint, qua tamen arte, quo ordine, in clipeo exhibita ea poeta cogitauerit, non apparere; nec vero quaeri debere, quandoquidem poeta non graphice, sed poetice haec adumbraverit, et adumbrare debuerit. Sunt argumenta illa, meo quidem iudicio, non nisi vndecim: I. Lupa cum Romulo et Remo. II. Sabinae raptae. III. Foedus ad aram. IV. Meti Fuffetii supplicium. V. Tiberis et Porsenna minabundus. VI. Capitolium, Manlius, Anser. VII. Supplicatio. VIII. Tartarus cum Catilina. IX. Elysium cum Catone. X. Pugna ad Actium. Apollo Actius. Nilus. Cleopatrae fuga. XI. Triumphus Augusti.


Elegantiam *in disponendo argumento* clipei frustra, puto, laudibus extollunt viri docti. Interior ambitus nullo modo delectare potest adspectu, in quatuor aut, quod multo molestius est ad oculos, in tres partes discretus: inprimis tot rerum et hominum signis in tam angustum spatium coartatis.

Vt igitur paucis complectar, quae mihi *de artis iudicio*, quod poetae tribuere solent, pronuntianda videantur: habuit ille forte in animo singulorum signorum singularumque rerum formas et exempla, quae in vrbe et Capitolio passim occurrere ipsi debebant: ea tamen, quae in clipeo hoc efficta dedit, *non sculptoris, sed poetae ingenio* delegit et in vnum locum congessit diuersi argumenti res, quae narratae, si altera post alteram auditione accipiatur, admiratione animum mouere possunt; vt eaedem arte expressae oculos tenerent, nec voluit nec cu-

rauit aut operam dare debuit. *Poetica* itaque habenda sunt *ornamenta*, quae tamquam in clipeo expressa, narrauit, poetico quoque more tractata, non anaglypha ad artis elegantiam seu inuenta seu expolita. Inde splendidissimae carminis partes vix a sculptore bene, etsi Comitem de Caylus ea de re nil dubitare video (*Tableaux tirés de l'Eneide de Virgile* pag. 369 seqq.), reddi possunt; inprimis praelium deorum v. 698 sqq. *Omnigenumque deum monstra* etc. *Actius haec cernens arcum intendebat Apollo Desuper — omnes vertebant terga Sabaei. Ipsa videbatur ventis regina vocatis Vela dare et laxos iamiamque immittere funes — Contra autem Nilum — Pandentemque sinus et tota veste vocantem* etc. Vides haec locis ac temporibus esse tam diversa, vt vno argumento, seu vna tabula nullo modo comprehendi possint. In triumpho autem Caesaris plura admixta sunt, quae poetica phantasmata sunt praeclara, sed nulla arte vno temporis momento vnoque et eodem locorum spatio exhiberi queunt.

Artis notionem poetae non esse obuersatam vltimo loco declarat *materia clipei*, mira mixtura auro, argento, ferro in idem opus conflato. Per porticus Capitolii (v. 655) *auratas* anser *argenteus* volitat: ipsi Galli *aurea* caesarie, *aureis* virgatis vestibus et torquibus *aureis*. Non igitur ectypo modo opere haec expressa, verum ad priscum et Homerici aeui morem etiam coloribus variata, auro saltem et argento, in aerea clipei area. Porro v. 671 mare *auro* effictum: (Melius apud Propert. l. c. IV, 6, 26 *armorum radiis picta tremebat aqua) sed fluctu spumabant caerula cano*. In *caerula* non etymon vocis cogitandum videtur: sed simpliciter mare: idque argenteos fluctus habere debuit: innatant tamen delphines, iidem quoque argentei: *Et circum argento clari*

delphines in orbem Aequora verrebant caudis aestumque secabant. Mox Manors *caelatus ferro* v. 700 h. e. ferro vel chalybe exsculptus. Alia super hoc clipeo in notis passim sunt obseruata.



LIPSIAE MDCCXCVII
EX OFFICINA DÖRRIA


W8570

(3)

W018

ULB Halle
006 587 720
3


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-721494-p0736-1



P. VIRGILIVS MARO

VARIETATE LECTIONIS

ET

PERPETVA ADNOTATIONE

ILLVSTRATVS

A

CHR. GOTTL. HEYNE

EDITIO TERTIA

NOVIS CVRIS EMENDATA ET AVCTA



VOLVMEN TERTIVM

AENEIDIS LIBRI V—VIII

LIPSIAE

SVMTIBVS CASPARI FRITSCH